ΧΕΙΡΑΓΩΓΙΑ,
Siue
CYNOSVRA IVRIS:
Quæ est,

FARRAGO SELECTISS. LIBELLORVM ISAGOGICORVM, DE IVRIS ARTE, OMNIque ratione docendæ discendæq; Iurisprudẽtiæ, à summis & præstantiss. seculi nostri Iureconsultis conscriptorum.

ACCESSIT
FR. HOTOM. & IO. T. FREIGII I.C. *Item* ANONYMI *Liber, de Iurisconsulto perfecto, antehac numquam in lucem editus. Cum eiusdem generis quibusdam alijs Commentariolis, de optimo genere interpretandi.*

Item
IVLII PACII I. C. Oratio de Iuris ciuilis difficultate ac docendi Methodo.

In gratiam Studiosorum Iuris omnia Vno edita Volumine.

A
NICOLAO REVSNERO LEORINO Iureconsulto.

auctore damnato

SPIRÆ
Apud Bernardum Albinum
1588.

AD ILLVSTRES ET GENEROSOS DOMINOS.

PHILIPPVM ET ALBERTVM FVGGEros, inclyti herois D. Marci Fuggeri, Reipub. Augustanæ Duumuiri præfecti FF. Comites Kirchbergæ, Weisenhorni, &c.

NICOLAI REVSNERI IVRISCON.

Præfatio.

Quemadmodum in mari q nauigant: quò nauim guber nẽt directius. vel ad gnomonẽ, vel ad Cynosuram,

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

cursum dirigunt suum. Ita cuiusque disciplinæ studiosos, maximè verò ipsius Iurisprudentiæ, certam quandam viam & rationem tenere vtile est, quã in discendo sequantur: ne in hoc vasto immẽsoq; iuris Oceano semper fluctuent: aut errẽt,

vagenturq́ latiùs: sed declinatis relictisq́ deuijs, iter institutum compēdiaria, aut saltem rectâ via vrgeāt: & studiorum curriculum eò maturiùs faciliusq́ absoluant. Permultos enim videas sæpenumero, sine consilio & ratione (vt in prouerbio est) εἰς κενὸν τρέχειν: qui strenuè quidem solent currere: sed nulla certa ratione adhibita: quæ permōstret, quid & quatenus sequi oporteat. in quosq́ conuenit celebratum, illud nescio cuius dicterium: καλῶς μὲν τρέχουσιν, ἀλλ᾽ ἔξω τῆς ὁδοῦ. Quò fit, vt aut in itinere semel suscepto deerrent, atque exorbitent: aut omninò in diuersum tendant, longeq́ diuertant: aut saltem non sine dispendio perueniant eò, quò tēdunt. Itaque in iure addiscendo omnino opus est via quadam incipientibus: sed ea quidem plana, & cùm ad ingrediendum, tùm ad demōstrandum expedita: ac præterea opus est manu doctoris & quasi ductoris auxiliaria: qua tāquā filo Ariadnes in rectā & proximam viam deducti, solidam iuris ac legum cognitionem minimo cum labore ac fastidio consequātur. Etenim, auctore Tullio, non solùm scire aliquid artis est sed quædam ars etiam docendi. Alioquin enim (vt Iustinianus loquitur)

sistatim

si statim ab initio rudem adhuc & infirmum studiosi animum multitudine ac varietate rerum onerauerimus: duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus: aut cum magno labore eius, sæpe etiam cum diffidentia, quæ plerunque iuuenes auertit, serius ad id perducemus: ad quod leuiori via ductus, sine magno labore, & sine vlla diffidentia, maturiùs perduci potuisset. Quod ipsum quoque, vt alia omnia, præclarè in hunc modum præcipit M. Fab. Quintilianus in suis Oratoriis Institutionibus: Per omnes (inquit) numeros penitùs cognoscere, vt ad summã sciẽtiæ necessarium est: ita incipientibus breuiùs ac simpliciùs tradi magis conuenit. Aut enim difficultate traditionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent: aut ea tempore, quo præcipuè alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur. Quamobrẽ commendari debet meritò eorum fides atque industria: qui ea quæ ad rectam studiorum institutionem pertinent, non viua solùm voce proponere, verùm etiam scriptis mãdare solent: ne viam secutos deuiam iuris studiosos necesse sit corrigere intempestiuè errorem,

vel dediſcendo rurſus, vel ſaltem pœnitendo, Nam & hoc nomine maximè placet Neratij noſtri illud IVS CIVILE ET POSSE ET DEBERE ESSE FINITVM. Hinc tot extant eruditi libelli; partim de iuris arte & diſciplina, partim de ſtudio eius rectè inſtituendo, accuratè dextreq́; conſcripti: quos in manibus eſſe diſcentium ſanè perquàm vtile & neceſſarium eſt: ſed ita, vt in his & modus, & delectus adhibeatur. Neque enim vna & ſimplex eſt docendi diſcendiq́; iuris erudita ratio: ſed multiplex & varia: in qua ſuo quiſque ingenio ac genio plerunq; ducitur: adeoq́;, vt Poeta dicit,

Trahit ſua quemque voluptas,

Poteſt itaque in eo ſuo quiſque vti arbitrio ac iudicio: vnumq́; ex illis omnibus ſibi deligere potiſsimum, cuius ductum ſequantur: & ad cuius methodum cogitationes omnes ſuas ſic dirigant, tanquàm ad paruulam illam Cynoſuram,

Quæ curſu interiore, breui conuertitur orbe,

vt ait Aratus: potiùs quàm ad Elicen, & clariſsimos Septentriones, hoc eſt, Commẽtarios illos maiores interpretum, & gloſſemata, latiore ſpecie, non ad tenue elimata: quod ſanè

qui

qui faciunt, eos errare & vagari latiùs, & serius ita cursum absoluere suum necesse est. Caterùm libellum hunc, quem ob causam modò indicatam placuit CYNOSVRAM IVRIS inscribere, morem secutus maiorum quasi per manus traditum & passim iam receptum, in vestro potissimum nomine, Generosi Domini, apparere, & in manus hominũ venire volui: a quo & dignitatis, & splendoris plurimum ei accedere posse arbitrarer. Nam ea est illustris gentis & familia vestra claritas ea maiorum & parentum vestrorũ peruagata laus, & toto orbe terrarum cognita virtus ac gloria. ea denique nominis ingeniiq; vestri felicitas & amplitudo vt si minùs suo fortassis, at vestro saltem genio, multò & viuacius, & commendatius opusculum istud sit futurum. Possem equidem si vellem, & si opus esse intelligerem, vera cum laude commemorare multa de amplissimi generis vestri, non solùm erga patriam Rempublicã, sed omne genus hominum, adeoq; totum Imperium Romanum meritis collatis. ex quibus eminet maximè veluti lumen aliquod clarissimũ praclara illa & eximia liberalitas, a. immo potiùs magnificentia illustris proge

nitorum vestrorum erga bonas literas: quas in lucem è tenebris reuocare, & ab interitu vindicare opibus sumptibusq; suis vnicè studuerunt multis annis: idq; fecerunt cum sua virtute ac indole permoti: tum verò inprimis, vt opinor, exemplum nobilissima illius familia Medicea, qua primò Musis Asia Graciaq; pulsis hospitium prabuit Florentia in Italia & Turcis illas quas dixi, regiones vastantibus, literarum monimenta nobis conseruauit, & ad posteros propagauit, aliaq; opera splendidissime, & sempiterna memoria ac laude dignissima confecit. Qua sanè res posteà familia huic clarissima, & amicitias, affinitatesq; summorum regum ac principū in Europa, & honores maximos, dignitatésque supremas, atque adeò principatum tandem totius Hetruria peperit. Eadem quoque laus gētis & familia vestra propria & quasi peculiaris est: eadē Iacobo Abauo vestro fortunarum maximarum, & possessionum amplissimarum perpetuum decus, eadem Georgio Proauo summam auctoritatem, & honores splendidissimos, eadem Antonio Auo summorum principum, imò Regum ac Casarum, fauorem & gratiam, omniumq; hominum amorem

amorem ac studium: eadem denique Marco patri vestro præter cætera laudis & gloriæ insignia ac decora summum dignitatis gradum in vrbe vestra, & inclyta Reipub. Augustanæ Duumuiratum: fratribus etiã vestris Georgio & Antonio præter matrimonia splẽdidißima, & affinitates clarißimas, magnã opinionem virtutis, doctrinæ, prudentiæ, in iuuanda ornandaq; Repub. peperit hactenus, & adhuc parit quotidie: quam profectò laudem & gloriam patritam auitamq; vos quoque tueri studio ac industria, vt præclarum & optabile, ita laudabile vobis & gloriosum omnino futurum est. Quod equidem votum meum ex animo sincero & candido profectum, vt Deum immortalem numine suo approbare vehementer opto ac precor: ita bonitati clemẽtiaq; diuinæ vitam salutémq; omnium vestrûm in multos propagandam annos unicè commendo: ac præterea fidem industriamq; meam vobis opto totiq; familiæ vestræ ad omnes res paratam vnà defero.

INDEX OPVSCVLORVM *PARTE PRIMA CYNOSVRAE sequentes tituli continentur.*

Clau-

PARTE CYNOSVRAE secunda.

21 Anonymi liber de Iuriſcōſulto perfecto.

22 Iulij pacij I C. oratio De Iuris ciuilis difficultate, ac docendi Methodo.

23 Fr. Hotomanni Iuriſcōſultus ſiue de optimo genere Iuris interpretandi.

24 Mart, Antonij Delrij De principiis ſeu elemētis Iuris Epitoma ex Ioach. Hypperi Commentariis conflata.

25 Anonymi modus & ratio docendi interpretandique iuris ciuilis.

26 Io. Thomæ Freigij Idea boni & perfecti Iuriſconſulti.

27 Andreæ Alciati & M. Gribaldi De iuris interpretibus iudicium.

28 Nicol. Reuſneri De Iuriſconſ. Italię, Galliæ, Germaniæ: itemque & de Iuriſprudētiæ adminiculis diuerſorum auctorum Epigrammata.

29 Stephani Bodæi Proſopopœia Iuriſprudentiæ. Qualis eſſe bonus Iuriſconſultus debeat.

Imp. Iuſtinianus in l.1.§.6.C.de veter. iur.enucle.

Omnia meritò noſtra facimus, quibus ex nobis impertitur auctoritas. nã qui ſubtiliter factum emendat, aut in ordinem redigit, laudabilior eſt eo, qui primus inuênit.

ERRATA

Fol.7.lin.4 eam.f 8. 7 corpus.f.20 l.1.moribus f. 23.2.fine.f 35.l 26 e. Vsurum.f 38.l.18 excreuisset f 39. l.13. Non.l 17. Vt.f.:0 l 11 quid,f.66.l 4 accessione.l 9.1. capienam.f 70 l.4 nescio l.23 pradiscias f.71 l.8 ratorũ. g 73 l.24.Vt inquit Ennius,alij accendere, &c. f 74.l 32. nequiremus.f 75.l 5.nol: f 75 l.antep.firma integrũ. f.77.l.4 Vel f 79 l.1.satyrã.l pen.maluerũt.f.87.l.12. turim l 17 Verum.pen.fuerit.f.S l 9.eius.f. 90.l.30. cunctatorũ 9.l.1 poterit.l.11.memoria.f 00.l.17.monui.l.28 actiuorẽ.f. 02 l 8 lege Cassi f.113 l.8.immutãtes.f.124 l 7.index.f 125.l 12 Medium.l.pẽ. Posterius.f. 128.l.11 Cõtratabulas: f. 3.l 17,artis.f.134.l.pe.patroni.f.141.l.8 coquenda.f.143 l 4. Aquiliana.l.33 Solutio f.1 5.l 33. Voraturus f.185.l.6 pra attentione.f.188.l 19.genus seu.f.191 l 9.definiui.f.194.l.14.hypotecaria.f. 195.l.Vlt. Adhac.

NICOLAI REVS-NERI IVRISCON-sulti auctorij damnati

DE IVRIS ARTE IVSTINIANEA ORATIO.

QVod à Deo Opt. Max. semper precatus sum, A V D. vt opera & industria aliquando mea vsui, & adiuméto esse possem scholæ & Reipublicæ: eius voti me hactenus compotem factum esse, & adhuc quotidie fieri, imprimis certè lætor, & gaudeo: Deoque immortali pro hoc tãto beneficio immortales gratias ago: & vt gaudium hoc mihi perpetuum faciat, ex animo precor, & opto. Nam & annis amplius septendecim in munere hoc docendi versor publico: in quo partim linguas, & artes bonas docendo per integrum fermè sexennium: partim verò ius profitendo: ac præterea longè grauissimum administrandæ scholæ munus per reliquũ tempus omne sustinẽdo: Spartam, vt potui ac debui, ornare studui meam: & nunc iterum diuino numine in hãc stationem me collocatum esse intelligo: in qua & docendo, & aduocando, & consulendo, operam pro virili parte nauem meam inclytæ huic academiæ, & Reipublicæ, cui ego studium, officium, laborẽ meũ iamdudum & pollicitus sum, & detuli: ac in omne posterum tempus polliceor. & defero. Quæ sanè res vt mihi, magistratuique meo, & academiæ, vrbique nostræ,

adeoq́ue toti Reipub. literariæ bene atque feliciter eueniat: à Deo immortali votis omnibus ac precationibus exposco. Quanquã verò satis abundè mihi perspicere videor: quænam de me opinio atque expectatio Senatus, & Collegij huius amplissimi cõcepta sit: cui omninò respondere, & satisfacere, vt decet, per q̃ graue & difficile mihi futurum est: tamen quum non humano consilio, sed propè diuinitùs mihi hoc munus datum atque oblatum esse recordor: eo ipso me plurimum cõsolari, & bene, vt decet, sperare: & de benignitate diuina prolixè mihi polliceri incipio: cui ego omnem euentum ac successum, omnemq́ue fortunæ & consiliorum actionumq́ue mearum curã ac gubernationem committo: tum verò in fide & beneuolentia tot & tãtorum virorũ, quos præsentes intueor, libẽter acquiesco: quorum præclarum de me iudiciũ & æstimationem nisi omni fide & diligẽtia tueri semper conabor: profecto hac sorte & fortuna me ipse nõ satis dignum iudicabo. Et quoniam Institutionum iuris ciuilis Imperialium professio mihi demandata est auctoritate publica: minimè equidem alienum me facturum arbitror: si more, & instituto maiorum, in hoc principio lectionis meæ, pauca quædam præmittam de vsu & fructu eius libelli: vt quodnã operæ precium facturi sint studiosi auditores meliùs commodiúsque intelligant. Quam ego commentationem & quasi scholã dum apud vos perago AVDITORES: quæso vos & obtestor vehementer, vt me breuiter dicentem, quantum & ingenij mei tenuitas, & temporis huius&c ratio postulare videtur, benignè attenteq; auscultetis.

Principio nemini vestrûm AVD. dubium esse potest: magnam esse iuris ciuilis cùm dignitatem & amplitudinem: tum etiam vtilitatem atque necessitatem: cuius summo semper in honore fuit cognitio, atq; interpretatio. Neque hoc sanè iniuria. Quid enim aliud

est ius

est ius ciuile, quam legis diuinæ, & naturalis veluti quædam determinatio, atq; explicatio? Quid verò aliud est Iurisprudentia: quam, vt Celsus ait, ars æqui, & boni: seu, vt Vlpianus, diuinarũ atque humanarum rerum notitia: & iusti atque iniusti sciẽtia? Nam finis quidem iuris est ipsa iustitia: quæ, vt Philosophus vult, est anima, seu, vt Salomon, sanitas Reipublicæ: origo verò eius nõ tam ad Decemuirales illas tabulas, quas Tit. Liuius fontem appellat iuris publici, atq; priuati: quam ad decem Edicti Perpetui verba, diuino digito in duabus tabulis Mosi cœlitus traditis notata, meritò referri debet: vnde omnis cognitio æqui, boniq; descendit. Quæ ipsa profectò non solùm publicè vniuersis, sed & priuatim singulis hominibus perutilis & pernecessaria est: qui & honestè viuere, & alterum nõ lædere, & suum cuique tribuere volunt: in quibus rebus omnis vis iustitiæ, omnisq; iuris ratio atq; præceptio consistit. Neq; enim iustitiã in omnibus vitæ negotiis aut tueri vllo modo, aut colere quisquã potest: nisi iure, & æquitate eius cognita: qua equidem sublata, nihil est, quare exploratum cuiquã possit esse, quid suum, aut quid alienũ sit: nihilq; est omnino, quod æquabile inter omnes, atq; vnum omnibus esse queat. Itaq; rectè M. Tullius Cicero nihil in ciuitate tã diligenter, & tam sanctè retinendum esse putat, quam ius ciuile: cuius sanè ignorantia vt neminẽ excusat, ex rescripto Gordiani Imperatoris: ita in omni vita summè ea noxia atque detrimentosa est. Quod præclarè etiã hoc modo rescripserunt Valentinianus & Martianus Imperatores: Leges (inquiunt) sacratissimæ, quæ vitam hominum constringunt, intelligi ab omnibus debent, vt vniuersi præscripto earum cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectẽtur. Sed iuris quidem ciuilis cognitio, non nisi ex veterum Iurisconsultorũ & Imperatorũ libris de Iure scriptis, rectè a quoquam percipitur: quos qui contẽnit, is ius ciuile con-

temnit: qui autem ius ciuile contemnit, is legem diuinam contemnit: quod qui facit, is non modò vincula reuellit iudiciorum, & vtilitatis, vitaque communis: sed naturæ quoque repugnat, & Gigantum more bellat cum Diis: quòd profectò quam sit impiũ ac nefarium, nemo sano mentis iudicio præditus ignorat. Ac ius quidem ciuile Romanorum, quod scriptis potissimùm legibus continetur, in tres libros digestum est: Institutiones nimirum, Pandectas, & Codicem: cuius veluti pars quædam sunt, & appendix Nouellæ Constitutiones Imperatorum: quæ idcircò colophon Iuris à quibusdam rectè appellãtur. In his autem peruolutandis quoniam ordinem quendam tenere necesse est: meritò primum sibi locum vindicat Institutiones: quæ sunt prima veluti legum incunabula. vt Imperator nominat: in quibus tyro iuris, vt ita dicam, vagit, & circumagitur. Nam & sua studiis est infantia, teste Fabio: & vt corporum etiam fortissimorum à lacte cuiusque initium duxit: ita excellentissima quæque ingenia edidisse aliquando vagitum consentaneum est. Quod igitur Plato præcipit in Republica bene rectéque constituta paucissimas esse debere leges: exemplo Lycurgi legislatoris, qui suas ῥήτρας ita breuiter cõtexuit, vt nõ scripto mandari, sed memoriæ tradi possent: id verò imprimis nobis faciẽdum esse arbitror in iure tradendo: vt primo loco proponantur Institutiones: quæ, auctore Iustiniano, totius legitimæ scientiæ fundamenta atque elementa continent: eamque ob causam rectè sic appellantur Institutiones, quod iis tyrones & nouitij huius disciplinæ instituantur, & quasi initientur: quibus hoc modo rectè perceptis atque cognitis, paulatim ad altiora, & difficiliora discẽtibus patet aditus. Quam sanè docendi ac discendi iuris rationem tanquam optimam atque expeditissimã ipsemet Imperator inculcat in Institutionibus suis: quum primò leui & simplici via, ac deinde diligentissima,
atque

atque exactissima interpretatione singula tradenda esse monet: propterea, quòd si statim ab initio rudis adhuc, & infirmus animus studiosi, multitudine ac varieteate rerũ oneretur: alterum duorum, aut desertor studiorum efficiatur: aut cum magno labore eius, sæpè etiam cum diffidentia, quæ plerumque iuuenes auertit, seriùs ad id perducatur: ad quod leuiori via ductus, sine magno labore, & sine vlla desperatione, maturius perduci potuisset. Quod & Fabius docet in Proœm. lib. Institu. Orat. 8. Per omnes (inquit) numeros penitùs cognoscere vt ad summam scientiæ necessarium est: ita incipientibus breuiùs ac simpliciùs tradi magis cõuenit. Aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent: aut eo tempore, quo præcipuè alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur. Itaque via quadam opus est incipientibus: sed ea plana, & cùm ad ingrediendum, tum ed demonstrandum expedita: ne præpostera illa, atque perplexa institutione tardentur studia multorum: qui desperatione debilitati, experiri posteà id nolint, quod se assequi posse diffidunt. Neque verò noua est hæc principiorum iuris ciuilis tradendorum ratio ac disciplina: ad captum ingeniumque discẽtium accommodata: quam & summos illos, & antiquissimos Iurisconsultos, quorum ex libris Pandectarum opus compositum est, atque concinnatum, studiosè accurateque obseruasse constat. Nam & veteres Romani habuerunt xij. tabulas: quibus, auctore Liuio, absolutũ est veluti corpus omnis iuris Romani: quas Sex Cæcilius Iuriscõs. apud Gellium, exploratis multarum vrbium legibus, eleganti breuitate verborum scriptas esse: Licinius verò Crassus totam ciuilẽ scientiam, descriptis omnibus ciuitatis vtilitatibus ac partibus, continere: eamque ob causam M. Cicero pueros statim ætate sua has ipsas leges, tanquam car-

men necessarium, ediscere solitos fuisse affirmat. Sed & præter has iidem habuerunt Edictum Prætoris perpetuum: itemque Sex. Aelij Tripartitam: qui liber, vt testis est pomponius, veluti quædam incunabula iuris continebat. In sequenti verò ætate mox cœperunt in vsu esse complures eiusdem libelli Isagogici: à summis & maximis Iuris auctoribus scripti: quorũ ex genere sunt Epitome Hermogeniani, & Enchiridiõ Sexti Pomponij, & Institutiones Florentini, T. Caij, Domi. Vlpiani, Iul. Pauli. Callistrati, Ael. Martiani, & aliorum: ex quorum Commentariis demum aureolus iste libellus Institutionum iuris ciuilis, quẽ in manibus habemus, auctoritate Imperatoria, quasi ad verbum descriptus: & in breue corpus doctrinæ hoc modo redactus est: quo fores aperiuntur penetralia iuris intrare cupientibus: ex quo summa eius dignitas, atque præstantia facilè perspicitur. Quem profectò libellum si probè rectéque cognouerimus, A V D. nihil equidem causæ video: cur aliam iuris artem, siue Seruianam, siue Tullianam, quam toties à multis expetitam atque expectatam esse scimus, magnopere requiramus. Meminisse enim vos puto A V D. sermonis illius, quem sub persona Lic. Crassi, Q. Mutio Scæuola. & M. Antonio Cotta, & Paulo Sulpitio audientibus, M. Tullius Cicero in libris de Oratore proponit: quum olim nullos fuisse fatetur, qui ius artificiose digestum generatim componerent: proptereáque difficilem visam esse iuris scientiam: cuius ars nulla esset eiusmodi, quæ rem dissolutam diuulsámque cõglutinaret. & ratione quadam constringeret: se verò ipsum iampridem ait hoc cogitare: vt omne ius ciuile in genera digerat, quæ quidem per pauca sint: deinde eorũ generum quasi membra quædam dispertiat: tum propriam cuiusque vim definitione declarẽt: id si hoc modo perficiat: perfectam artem iuris ciuilis fore magis magnam & vberem: quam difficilem & obscuram: Interea

terea autem, dum hæc, quæ dispersa sunt, in vnũ quasi corpus cogantur, licere vel passim carpẽtem, & colligentem vndique repleri scientia iuris ciuilis: neque enim multis etiã libris, aut voluminibus magnis cõtineri: eademq; elata primùm à pluribus: deinde paucis commutatis verbis etiã ab iisdem scriptoribus sæpiùs fortassis scripta esse. Quam sanè iuris ciuilis informationem credo equidem secutum fuisse Q. Mutiũ Scæuolam: quem Pomponius Iurisconsul. generatim ius ciuile constituisse scribit: in XIIX. libros redigẽdo: cuius deinceps auditor fuit Ser. Sulpitius, quẽ magistro suo etiam præstãtiorẽ tandẽ fuisse Iurisconsultum M. Cicero in Bruto contendit, qui iuris ciuilis magnum vsum apud Q. Mutium fuisse, artem in vno Seruio asserit: propterea quòd is [illegible] quoque didicisset artem: qua doceret rem vniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretãdo, ambiguam primùm videre: deinde distinguere: postremò habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur: & quæ quibus propositis essent, quæque nõ essent cõsequentia: quam artem Seruius quasi lucem attulit ad ea, quæ confusè ab aliis respondebantur, aut agebantur. Sed & scripsisse M. Tulliũ de iure ciuili in artẽ redigendo testis est A. Gellius: verùm nõ omnino eum absoluisse Fabius indicat. Caius verò Suetonius Iulium Cæsarem laudat: quòd is destinasset ius ciuile ad certum modum redigere: atq; ex immẽsa diffusaque legũ copia in paucissimos libros cõferre. Quam olim AVD. artem iuris Crassus, quam Mutius, quam Seruius, quam Tullius, quam ipse denique Cæsar meditatus est: eam ipsam profectò omnibus numeris absolutam, atque perfectam haud infeliciter nobis restituit laudatissimus Imperator Iustinianus: vsus in eo opera & industria Triboniani. Theophili, Dorothei, aliorũque iuris peritorum: qui ex antiquorum prudentium monumentis, quibus auctori-

tatem conſcribendarum interpretandarumque legũ, Principes Romani dederunt, hanc ipſam Inſtitutionũ iuris ciuilis, ſiue Epitomé, ſiue ἐκλογὴν, ſiue εἰσαγωγὴν, aut, vt Tulliano verbo vtar, συναγωγὴν, quæ iuris Romani ars quędam certa eſſet, & diſciplina, magna dexteritate collegerunt: & certum quoddã veluti corporis iuris perpetui, quod finitum eſſe poſſe, & debere Neratius monet, hoc modo conſtituerunt. Quod equidem ita vobis planũ fecero A V D. ſi nimirum oſtendero, nõ tam à Prætoris edicto, aut legibus xij. tabularum, quam ex intima Philoſophia artẽ hãc Iuris ciuilis Iuſtinianæam penitus hauſtam: ac præterea in ea tradenda Seruij illam artem (Dialecticam dico) magna ex parte adhibitam eſſe. Nam & Vlpianus Iuriſconſultos, quos ſacerdotes Iuſtitię nominat, veram, ac non fucatam, aut ſimulatam Philoſophiam amplexos eſſe cõfirmat: & M. Cicero in perſona Craſſi veriſimè ſcribit: moralem Philoſophiam eoſdẽ habere fontes omnium diſputationum ſuarum, quæ iure ciuili & legibus continentur. Qui & lib. 5. de Finib. laudat illam Peripateticæ diſcipiinæ partem, quæ nõ ſolùm ad priuatæ vitæ rationem, ſed etiam ad rerum publicarum rectionem relata ſit: & lib. de orat 3. ſcribit, Academicos olim appellatos eſſe politicos Philoſophos. Ex quo illud eiuſdem eſt in libro de Oratore primo: Fremãt (inquit) omnes licet: Bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum vnus mihi videtur xij. tabularum libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis põdere, & vtilitatis vbertate ſuperare. Quemadmodum & apud Gellium Phauorinus ille Philoſophus refert, ſe non minori cum voluptate legere xij. tabulas, quam decem Platonis libros de legib⁹. Sic & Euphrates ille Philoſophus apud Plinium, pulcherrimam Philoſophiæ partem eſſe dicit, negotium agere Reipub. & de eo cognoſcere, ac iudicare: & inter homines iuſtitiam exercere. Quomodo

& Plutar-

& Plutarchus in Themistocle laudat Phlearium quẽdam professorem ciuilis sapientiæ a Solone primùm traditæ: quæ tota esset πολιτική, & in Reipubl. administratione posita, quæ nimirum est Philosophiæ pars illa, quam Socrates olim de cœlo in terras reuocasse perhibetur: perinde vt & Isocrates ad Demonicũ ciuilem doctrinã κράτιστον τῆς φιλοσοφίας, id est, partem Philosophiæ præstantissimam, & vtilissimam appellat. Agite verò A V D. videamus breuiter, si non graue est aut molestum: & consideremus diligenter, quam præcipuè artem & viam, rationemque docendi in fontibus, principiisque iuris demonstrandis, sequutus sit optimus auctor Aristoteles: quo nemo Philosophorũ aut doctior, aut acutior, aut in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrior vnquam fuisse existimatur. Qui quidem in Nicomachicis primùm iustitiæ, deinde iuris ipsius definitiones ac partitiones aliquot proponit, eodem fere ordine & modo: quem Iurisconsulti tenuerunt. Nam & iustitiam aliam esse dicit communem siue generalem, quæ in societate hominũ tuenda versatur: cuius partes sunt duæ: Lex nimirum & æquitas: aliam verò priuatam, siue specialẽ: quę in suum cuique tribuendo, & rerum cõtractarum fide versatur: ex quo alia distributrix, alia commutatrix appellatur: illa in delictis corrigendis, & officiis honoribusque distribuẽdis potissimum cernitur: hæc verò in rerum dominio & personarũ obligatione cõsistit. Quæ & ipsa obligatio partim est voluntaria: cuius generis sunt omnes contractus, vt venditio, emptio, mutuum, fideiussio, commodatum, depositum, locatio, conductio: partim verò nõ voluntaria, & quodammodo inuita: cuiusmodi sunt delicta, aut quasi: siue ea sint clandestina, vt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, plagium, falsum testimonium: siue violenta, vt homicidium, rapina, maledictum, iniuria, cõtumelia: de quibus rebus omnibus motæ lites atq;

controuersiæ neutiquam componi posse videntur: sine iudiciis & iudiciorum formulis, quas legis actiones Iurisconsulti nominant: siquidem omnia iudicia (vt ait Cicero) aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorū causa reperta sunt. Sed & idem Aristoteles eodem libro personarum cōditionem & differentiam ex iuris partitione colligit: quod aut est domesticum aut ciuile: quorum illud Græci οἰκονομικὸν, hoc πολιτικὸν nominant. Domesticum autē partim herile est, vt est potestas dominorum in seruos partim paternū, vt est patrū potestas erga liberos: & quæ huic similis est quodāmodo, auctoritas tutorum curatorūue in pupillos aut adultos: partim deniq; cōiugale, veluti est matrimoniū, in quo est iuris & vitæ cōitas quædā viro cū vxore. Ciuile verò ius partim est naturale, quod natura valet, & eādē vbiq; vim habet: & vel in æq. & boni ratione cernitur: quod propriè ac verè dicitur ius naturale: estque æternum, & perpetuò sibi constans: vel in vtilitate communi, quod ius gentium vocatur: & saluo naturæ iure pro eorum, qui præsunt, arbitrio aliquando variatur: partim verò legitimum, quod & ciuile in specie sic dicitur: quod lege & cōsensu hominum valet: & omnibus aut pluribus in vnaquaque ciuitate vtile est: neque vnum vbique gentium & idem est: sed persæpe mutatur pro vtilitatum præsentium ratione, & pro diuersitate locorum ac temporum, & ipsarum Rerumpublicarum. Nec sanè multum in hac discrepare videtur altera eiusdem partitio in Rhetoricis. qua legem aliam esse dicit cōmunem, vt est ius naturæ, & gentium, quod omnium hominum consensu & more, sed natura duce, passim receptum est, etiamsi scriptum non sit: aliā verò propriam, quę cuiusque ciuitatis, aut nationis oportunitatibus accommodatur, vt ius ciuile, quod vel scriptum est, vt ius legitimum: vel non scriptum, vt ius consuetudinis, & Æquum bonum, quorum illud moribus

ribus constat: hoc legis scriptæ reliquum est, & velu-
ti residuum quoddam, id est, vt Philosophus loquitur,
ἔλλειμμα νόμου γεγραμμένου. Cõferte iam A V D.
si vultis, cum his quæ dixi. artem illam iuris ciuilis Iu-
stinianeam: quæ hisce Institutionum libris contine-
tur: qua Imperator veterum prudentum exẽplo (quos
& ipsos philosophatos esse cõstat, sed, vt ille olim di-
xit, paucis) fontes & principia Iurisprudentiæ ex Phi-
losophorum disputationibus, & axiomatis iuris deri-
uat: & in his explicandis eam potissimùm docendi ra-
tionem vsurpat: qua genus in formas primùm, dein-
de formarum formas ita diuiditur: vt tandem ad indi-
uidua perueniatur: quam viam docendi Græci vocant
διαιρετικὴν: propter certam rationem, quæ fit, vt
dixi, partiendo, atque diuidendo. Primùm enim in ge-
nere explicat Imperator: quid iustitia sit, & quid iuris-
prudentia, cuius finis est iustitia, quæ iuris quædam
est, vt ait Cicero, executio: & a qua iuris nomen descẽ-
dit, auctore Vlpiano. Deinde iuris aliquot diuisiones
& partitiones subnectit: ex singulis causarum generi-
bus sumptas: quod primò quidem in publicum & pri-
uatum diuiditur: priuatum autem in naturale, gen-
tium, & ciuile: Ciuile denique in scriptum, & non scri
ptum. Postremò his veluti quibusdam fontibus iuris-
prudentię breuiter apertis, summam totius iuris pro-
ponit, & materiam iuris triplicem facit, quod vel de
personis, vel de rebus, vel de actionibus constitutum
est: &, quemadmodum in partitione proposuit, ita or-
dine explicat. Ac primùm quidem de iure persona-
rum, hoc est, de statu hominu disserit Imperator: qui
aut sunt serui, vt qui in potestate herili sunt, aut liberi,
siue illi sint ingenui, hoc est, ex matre libera temp libe
ri, siue liberti, id est, seruitute iusta liberati, & vel alieni
iuris, vt filiifamilias, qui in patria sunt potestate, quæ
aut iustis nuptiis, aut adoptione constituitur: vel sui
iuris, veluti patresfamilias, qui quidem aut in tutela
sunt, vt pupilli: aut in cura, vt adulti: aut neutro iure

tenentur, vt maiores xxv. annis: nisi fortassis prodigi fuerint, aut furiosi, qui perpetuos habent rerum suarum quosdam veluti administros, & procuratores siue actores. Deinde de iure rerum, quarum multiplex est differentia, secundo loco tractat Imperator: cuius duo sunt summa capita: Dominiũ nimirum, & obligatio: propterea quòd aut rem suam esse, aut aliquid sibi ab altero deberi, plerumque in iure contenditur. Sed dominium quidem iure duplici acquiritur: partim naturali, vt occupatione, accessione, traditione: partim ciuili, vel verum singularum, quod fit vsucapione & donatione: vel vniuersarum, vt hęreditate, siue ex testamento, siue ab intestato: itemque bonorum possessione, & aliis quibusdam modis. Quò etiã pertinent legata ac fideicommissa, & id genus alia. Obligatio verò acquiritur aut ex cõtractu, aut ex delicto. Ac contractus quidem alij re fiunt, vt mutuum, commodatum, depositum, pignus: alij verbis, vt stipulatio: alij literis, vt syngrapha: alij denique consensu, vt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatũ. Quo etiam referri possunt quasi contractus, vt negociorum gestio, tutelę administratio, communio rerũ, aditio hæreditatis, indebiti cõdictio. Priuatorum autem delictorum, quæ ciuilem faciunt obligationem, quatuor sunt genera: furtum, rapina, damnũ, iniuria. Pertinent eódem quasi delicta, quibus obligantur iudices, qui litem suam faciunt: itemque hi, quorum ex cœnaculo aliquid deiectum effusumque sit, quo alicui nocitum est, & similia. Postremo de iure actionum explicat Imperator: quo verbo omnem iudiciorum ordinem, & processum iuris intelligit: siue ad ipsos litigatores, id est, actorem vel reum, siue ad Prætorem, siue ad iudicem, arbitrúmue res pertineat. In quibus explicandis primùm actorum intentiones, tum ciuiles, tum Prætorias, quę vel in rem, vel in personam, vel vtramque simul competunt: & vel ex dominio, vel ex

obligatione nascuntur: deinde reorum exceptiones, ac defensiones: tum Prætorum interdicta, & quodnā iudicis sit officium, & quæ vis & potestas, ordine persequitur: quibus omnibus criminalia subiicit iudicia, quæ publica vocātur: & ad ius publicum propriè pertinet. Intelligitis, opinor, Auditores, qualis sit ars illa Iurisprudentiæ, quam in hisce Institutionum libris præscripsit Imperator Iustinianus: & a qua profectò non multum diuersa est partitio illa Aristotelea, de qua suprà facta est mentio: vt profectò nimis morosè is stomachetur omnia: qui aliam, præter hanc, meliorem, atque expeditiorem viam & rationem discendi, ac docendi iuris fastidiosè desiderat. Equidem si quid intelligere aut iudicare possum Auditores, hoc vobis affirmo, & confirmo: eum qui hasce iuris ciuilis Institutiones probè rectéque didicerit: pro bono Iurisperito meritò haberi posse ac debere. Notum enim est vetus verbum, barbarum illud quidem, sed tamen verum: Bonus Institutionista, bonus Iurista. Magnum verò quiddam, & magnificum est, Auditores in Republica Iurisconsulti personam ac nomen posse tueri, hoc est, eius, qui, secundum Vlpianum, æqui, boniq́ue notitiam profitetur, qui iustitiam colit: qui æquum ab iniquo separat, qui licitum ab illicito discernit: qui denique bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum exhortatione efficere homines studet: veram, non simulatam Philosophiam affectans: ac veluti quidam iustitiæ æquitatisq́ue sacerdos, & antistes iuris constitutus, cuius domus sine dubio est, vt ait Tullius, oraculum ciuitatis: vt de se possit suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo: se esse eū, vnde sibi si non populi, & reges, at omnes sui ciues consilium expetāt.

Suarum rerum incerti: quos ipse sua ope ex
Incertis certos, compotesq́ue consilij
Dimittat, ne res temerè tractent turbidas.

Quò fit, vt iuris scientiam ante hanc confusionem temporum in possessione sua Principes retinuerint: & amplissimi quique & clarissimi ciues studio huic pręfuerint Romæ: qui hoc veluti subsidium a prima adolescentia sibi comparauerunt, non tam ad causarum vsum forensem, quam ad commodum Reipublicæ, & ad decus, ornamentumque senectutis: cui profecto celebrandę atque ornandæ nullum honestius est perfugiũ, quàm iuris ciuilis interpretatio. Quod exemplo Q. Mutij egregiè demonstrat M. Cicero: cuius ianuam & vestibulum, etiam in eius infirmissima valetudine, affectaque iam ætate, maxima quotidie frequentia ciuium, ac summorum hominum splendore celebratum fuisse scribit. Neque vero mihi propositũ est multa in hoc loco & tẽpore de laudib' iurisprudẽtiæ cõmemorare, quæ ab aliis fusè alias & copiosè exposita sunt: tãtùm hoc dicam Auditores: ciuilem hãc sapientiam (sic enim Iustinianus describit Iurisprudentiam) longè vtilissimam, & sanctissimam esse disciplinam, quæ magistra est vitæ, magistra disciplinæ, magistra virtutis, sine qua nec domus, nec ciuitas, nec Respublica administrari, ac ne mundus quidem vniuersus cõstare potest, ipso teste Iustiniano. Cuius sanè professio publicè priuatimque vtilis, & grata multis, & ad beneficiis astringendos homines maximè accõmodata est: siquidem, auctore Tullio, in iure cauere, & consilio iuuare, atque hoc scientiæ genere prodesse quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiã, vt rectè dixerit Iustinianus Imperator, leges non permittere quenquam aut in paupertate viuere, aut in anxietate mori. Sed verus tamen finis Iurisprudentiæ, & veluti scopus est, Reipublicæ administratio, atque procuratio: cuius anchoræ sunt duæ, secundum Solonem: præmia nimirum, atq; pœnæ, in quibus rectè distribuendis omnis iuris & iustitiæ ratio, ac disciplina versatur.

Facite

Facite igitur Adolescentes: (nam ad vos potissimú mea hæc se cõuertit oratio) & in hoc studium, in quo estis, sedulò ac diligenter incumbite: & Iurisprudentiam, omnis humanitatis & sanctitatis matrem, omniumque cõsiliorum & cogitationum comitem, magno animo studioque, magno complectimini: vt spes nos pulcerrima foueat (Libet enim Iustinianeis verbis vos clausulæ loco cohortari) toto legitimo opere perfecto, posse etiam Rempublicam in partibus eius vobis credendis, rectè atque ordine gubernari. Quo ipso & hoc futurum est: vt eodem pacto & familiæ vestræ honorem, & generi memoriam, & patriæ gloriã, & amicis laudem, & vobismetipsis totius vitæ maximos amplissimosque fructus comparaturi sitis. Neq; verò est Auditores, quòd vestrûm cuiusquam elãguescat industria: aut animus ab vno omnium pulcerrimo & grauissimo iurisprudentiæ studio temerè refugiat. si cogitat fortassis illud, quod vulgò existimatur: cognitionem iuris rem magnam ac difficilem esse. Nam si quidem difficultas est aliqua huius disciplinæ: ea profectò aut non tanta est, vt plerisque opinione magis, quam re ipsa habetur: aut si ita esset, tamen vtilitatis magnitudo, vt dixi, deberet adolescentes ad suscipiendum discendi laborem impellere. Nam, vt Poëta canit, *Labor omnia vincit improbus*: &, secũdum Comicum, *Nihil tam difficile est, quin quærendo inuestigari possit.* Opus est itaque diligentia, quæ cùm in omnibus rebus, tum vel maximè in hoc scientiæ genere plurimum valet: hæc præcipuè colenda est vobis, Auditores, hæc semper adhibenda: hæc, nihil est, quod non assequatur. Equidem hoc vobis Auditores, quotquot ad operas doctrinæ meæ deinceps venire cogitatis, de me sanè polliceor, vt debeo, ac spondeo: me in iure vobis tradendo non minus aut operæ, aut laboris positurũ: quam & vtilitatis vestræ, & fidei conscientiæque meæ ratio postulat; meque diuino numi-

ne illud effecturum, vt si quantum ego ad docendum, tantum vos ad discendum diligentiæ fortassis afferetis: multos aliquando, magnosque fructus percepturi sitis industriæ, disciplinæque vestræ: vnde ad vos redeat tandem laus, honor, dignitas, cum priuato commodo & emolumento Reipublicæ coniuncta. Quod certè & mea sponte facio libenter, & vrbis Acedemięque nostræ principum ac præfectorum iussu, & imperio. Quos ego in hoc auspicio professionis meę quum præsentes hoc loco intueor: & ad hos oculorũ aciem conuerto: viros mediusfidiùs & religionis, & doctrinæ, & virtutis laude præstãtissimos, quorum in societatem, licet valde ipsis omnibus imparem, me Respublica ipsa vocauit: & eo me collocauit in gradu: vnde possem in luce Acedamię huius, & ipsius ciuitatis oculis, qualemcunque hanc ingenij studiique mei fœturam depromere: hæc igitur firmamenta Ecclesiæ, hæc ornamenta ciuitatis, hæc deniq; columina scholæ, quum ex hoc loco intueor: sanè, vt debeo, ex animo omnes veneror, & colo: & cùm pro omni beneficio in me hactenus collato, tũ pro honore isto scholæ meæ habito, & pro audientia hac tam benignè, & tam humaniter mihi facta, magnas, quas possum, gratias ago, quorum sanè in iudicio, & amore, vt ornamẽti, & commodi mihi statuo plurimum: ita omnem rem meam atque curam, adeoq; meipsum totum, fidei eorum ac bonitati magnopere commendo: iisque vicissim vniuersis & singulis repromitto: me, si minus fortassis respondere tot & tantis officiis potero, perpetuo tamen studio, & singulari quodam obseruãtiæ genere, vt spero, iis omnibus, vt decet, aliquo saltẽ modo satisfacturum. Sed quoniam, secundum Poetam, *Multa leuant promissa fidem*: &, vt Tullius vult, vbi re ipsa opus est, non opus est multis verbis: nolo equidem Auditores prolixiùs, quàm par est, de me, aut mihi, aut vobis polliceri: sed in conscientia rectæ volun-

tatis

tatis mea, & vestra erga me fide ac beneuolentia planè mihi conquiescendum duco. Quamobrem, quod reliquum est, Auditores, vt in eodem, a quo cœpit, desinat oratio mea: Deum Opt. Max. obtestor, & oro, vt is, cuius auspiciis hæc prouincia mihi suscepta est, in ea gerenda, administrandaque, & animi magnitudinem, & studij cõstantiam, & successus felicitatem mihi largiatur: & ad optatum tandem finem suo hac ductu, & numine, prosperè, faustequе perducat, vt nimirum ea res cedat ad laudem, & gloriam nominis diuini, & ad Ecclesiæ, Reiq; publicæ Christianæ salutem, incolumitatemque sempiternam.

FRANCISCI DVARENI I.C. AD ANDREAM Guillartum V.C.L. Andreæ Guillart, libellorum in regia magistri F. Epistola

De ratione docendi discendiq; iuris conscripta.

SÆpè mecũ egisti, Guillarte, vt quæ tu, & ex æqualibus tuis nõnulli ciuiles disciplinæ studiosi iuuenes, me aliquãdo de ratione docendi discendique iuris ex tempore disserentem audieratis, ea vobis paulò accuratiùs descripta traderem, ac communicarem: quò & diutius permanerent prodita literis, & faciliùs etiam à vobis repeti, ac per otium considerari possent. Quòd autem expectatione tua id tardiùs effecerim: vna hæc causa me herculè fuit, quòd in gratiam

potissimùm tuam à nobis descriptum, ad multorum manus peruenturum augurabar. Itaque ego aliquantisper cunctandum esse duxi, vt non solùm in eius rei cogitatione diutiùs versari, vtrum etiam cum viris sapientibus, & eruditis, de toto hoc genere colloqui ac commentari possem: haudquáquã ignarus, quantũ ea συζήτησις, & communicatio opinionũ, ad quamque rem cognoscendam percipiendamque, momentum habeat. Illud verò percommodè cecidit, quòd sicut M. Cicero de optimo Reipu. statu scripturus, Romanam tantum Rempublicam sibi describendam esse putauit, quòd ea omnibus aliis antecelleret: ita & mihi quódnam esset optimum illud iuris docẽdi genus inquirenti, quo etiam magna ex parte eiusdẽ discendi ratio videtur contineri, non aliud tandem mihi hoc tempore præstantius occurrit, quàm quod in nostra schola haud ita pridem institutum, & à te cæterisque felicioris ingenij atque indolis iuuenibus magno cum plausu exceptum fuit. Sic enim futurum spero, aut confido potiùs, vt nostrum hoc institutum, quod vel primoribus degustatum labris tempore placuit, vbi variã multiplicémque eius vtilitatẽ ac suauitatẽ ostẽdero, singulari quodam studio & amore cõplectamini. Atque vtinam ego tam graphicè rem totam depingere, vobisque velut oculis spectãdam proponere possim, quàm vehementer, quámque ex animo de vestris, omniúmque proborum adolescentium studiis bene mereri studeo. Nõ enim sum nescius, quã personam in hac celebri schola sustineam, & quantum expediat iuuentuti, de his rebus, quæ ad studiorum rationem pertinent, subinde admoneri: quũ prę- sertim hodie quam paucissimi sint, qui ea recto consilio aggrediantur: & in quos illud non conueniat, καλῶς μὲν τρέχουσιν: ἀλλ᾽ ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ. Inde fit, vt sedulò quidem plerósque, sed irrito labore, & admodum infeliciter moliri videamus: quos ab errore

rore in viam reuocare, boni præceptoris esse existimo. Sed quum vos iam cohortatione nostra excitati, rectam (nisi fallor) viam ingredi cœperitis: nō adeò fortassis necessarium vobis hoc nostrum officium videri possit. Attamen vt currentes (quod aiunt) instigemus, operam dabimus, vt quę nos ad rectā studiorum institutionem idonea atque vtilia esse comperimus, ea si minùs eleganti, & splendida oratione, simplici certè, & non nimis (vt speramus) abiecta, nunc breuiter exponamus. Verùm antequam ad eius rei tractationem aggredimur, quędam de vulgari illo Professorum in legibus interpretādis more, qui etiānum vbiq; in scholis retinetur, dicturi sumus, Ismeniámq; tibicinem imitari, qui discipulis suis non tantùm bene, sed etiam malè canentes ostendebat, dicens, Hoc modo canendum est, illo nequaquam. Nam & hac ratione aduersariorum calumnias refellemus: quos vtique nobis ęquiores fore confidimus, vbi intellexerint veterem receptámque docendi consuetudinem non temerè a nobis, nec qualibet de causa immutatā fuisse. Scimus enim, quanta nos premant inuidia apud imperitam plebiculam nonnulli: duorum scilicet vitiorū nos insimulātes: quorū vnū Græci φιλόκαινον, id est, nouarum rerum appetentiam; alterū huic germanum ac propinquū, ἀψίκορον vocant, quo mox fastidiuntur paulò antè adamata. Quibus vitiis haud scio an aliud in Repub. sit perniciosius. Et vtinam accusatores nostri à maledicentia, & obtrectandi libidine tam alieni essent, quàm nos hæc vitia odimus, ac detestamur. Etenim tantùm abest, vt res bonas atq; vtiles innouantibus faueamus, vt ne eas quidem, quæ aliquid habent incommodi (modò nimis intolerabile non sit) facilè mutari patiamur. Nec adeò Plautinum illud improbamus, quod à quibusdā accepimus nobis obiici solere: Nota res mala optima est: Veruntamen si quid tempore ipso admoniti in veteribus in-

stitutis depræhendimus, quod seculi nostri maioribus parum conueniat, idq́ue emẽdatione aliqua dignum iudicauimus: equidem non arbitror iure id nobis vitio verti posse. Nam & in legibus publicis idem vsuuenire scimus: quæ (vt ait Liuius) mortales, ac temporibus ipsis mutabiles sunt: vt quæ in bello latæ sunt, pax; quæ in pace, bellum plerumque abroget. Sic & in nauis administratione, alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui esse videmus, & experimur. Iam verò, quum inter omnes sanos, atq; eruditos homines, qui sese huic studio dediderũt, constet: eam interpręandi iuris consuetudinem inoleuisse, vt nullo vnquá seculo ferri à quoquam debuerit, nedum hoc felicissimo, & præcellentium ingeniorum feracissimo tempore: quis tam iniquus in nos iudex, vt causam nostrá bonorum omniũ fauore ac patrocinio magis, quàm insectatione dignam esse non protinus iudicet? Nec sanè opus est, quæ peccantur in ea re, singula copiosiùs hic recenseri, quæ vobis non ignota esse reor. Memini siquidem ex vobis audire, quum nuper in huiusmodi Doctores incidi fletis, tantùm istius corruptissimæ doctrinæ odium animo concepisse, vt parum abfuerit, quin studio iuris multa salute dicta, ad quamuis aliã ex inferioribus, ac leuioribus disciplinis, animum applicaretis: idque vos facturos fuisse, nisi noua nostra docendi ratio, aut (vt verius dicam) vetus, sed a vobis longo interuallo repetita ac renouata, cuius fama vos in scholam, auditoriumq́ue nostrũ pertraxerat, eosdẽ repræssisset & continuisset. Dicam igitur ex multis, ac propemodum infinitis pauca: ex quibus nostrum de ea re iudicium a vestro non multùm discrepare cognoscetis: & vos istius incepti, quasi ex certa ratione magis, quam errore aliquo, ac leuitate iuuenili profectum sit, minus (vt spero) pœnitebit.

Ac inprimis illud magnopere improbandum ducimus, quòd proprietas Latini sermonis (cuius meritò tribui-

cò tribuitur laus veteribus Iurecõsultis) hodie in omnibus ferè gymnasiis negligitur. Nã pro Latinis, propriis & elegantibus vocabulis, noua eademq; inepta & monstrosa a professoribus cuduntur: ex quibus cõflata oratio, quia prę nimia obscuritate non intelligitur, idonea ad docendum esse non potest. Idque factũ à plerisq; scio: qui quum verbis propriis, & apud scriptores probatos, quos quotidie manibus tererent, vsitatis, satis commodè & dilucidè cogitata sua efferre possent: tamẽ quò disputationes suas obscuriores redderent, & offusa rudioribus caligine, maiori in vulgus essent admirationi: noua atque inaudita comminisci maluerunt, quæ nemo, nisi ab ipsis per multos annos edoctus, aut in huiusmodi scriptis diu multúmq; versatus intelligeret. Erunt fortasse, qui dicent, rudi adhuc & impolito seculo verbis ex medio sumptis vtendum fuisse quę ab idiotis & plebeiis hominibus (quales tũ plerique huius artis studiosi erant) minore negotio perciperentur. Balbus enim (vt in prouerbio est) balbum rectiùs intelligit. Sit ita sanè: Non enim summo iure cum iis, qui ista defendunt, contendere cupio. Sed quæ, malum, dementia est? vobis, vestrique similibus, id est, bonarum artium linguarúmque peritia non leuiter instructis iuuenibus, quales hodie magna ex parte videmus, eos qui ad iuris ciuilis studia se conferunt, hasce ineptias obtrudere, & ea oratione vti, quæ rebus obscuris nullam addat lucem, claris verò & perspicuis tenebras obducat. Accedit hoc etiam mali, quòd ea sermonis rusticitas, & plusquam Scythica barbaries, auditores ipsos elegantioribus perpolitos literis, ab hac disciplina prorsus alienat, & auertit: quos ad eam potiùs, vtpote seueriorẽ, & primo aspectu inamœnam, orationis nitore & puritate, velut illecebris quibusdam & lenociniis, allici conueniebat. Nec tantùm ideo nocet iuuẽtuti horrida incultáque istorũ oratio, quod nullis eam blanditiis demulceat:

verùm etiam, quia nullius ferè creduntur esse iudicij, quî tam ineptè & inquinatè siue scribũt, siue loquuntur. Nam incredibilis illa infantia eos in rectè dicendi studio, & iis auctoribus legendis, quibus prudentia & iudicium acquiritur, & cõfirmatur, seriam operam non posuisse, ac ne puerilibus quidem disciplinis imbutos esse satis arguit. Itaque talibus professoribus si qui dant operam, vel inopia meliorum, vel aliqua fortassis necessitate adacti: quia contemptim & oscitanter audiunt magis, quàm auscultant, minore cum fructu id faciant, necesse est. Cæterùm ista corruptè loquendi ac scribendi consuetudo, quos errores, quasq; contentiones pariat, tam facilè mihi esset hic demõstrare, quàm liquidò confirmare possum, ingẽtem illam commentariorum molem, qua totum penè ius obrutum est, magna ex parte ex futilibus & otiosis altercationibus, quas puri sermonis contẽptus & ignoratio peperit, natam esse. Sed quia instituti nostri ratio fusiùs hæc disseri non patitur: ad reliqua iuris professorum vitia atq; errata, iam nostra festinet oratio. In quibus illud non minimum est, quod methodus & ars docendi, non minùs quàm sermonis proprietas apud eos contempta iacet: licet vtraque res ad docendum æquè sit necessaria. Nam (vt præclarè inquit Cicero) non solùm aliquid scire artis est, sed est quædam ars etiam docendi, in qua Seruium Sulpitium valdè exercitatum fuisse, ideóque cæteris excelluisse Iurecõsultis, idem auctor est. Fieri enim non potest, vt sine ea methodo, quam Aristoteles, Galenus, & alij eruditissimi viri docuerunt, quaque in scriptis suis vsi sunt, quicquam rectè doceatur. At in istorum doctrina, Dij boni, quàm confusanea, ac (vt verè dicam) monstrosa sunt omnia. Miscentur & confunduntur, quæ oportebat secerni, & quę natura coniungi postulat, seiñguntur, ac distrahuntur: vt quod de veteribus quibusdam Iureconsultis scriptum reliquit Cicero, multò rectiùs

in istos

in istos torqueri posse videatur. Sed Iureconsulti, inquit, sine erroris obiiciendi causa, quò plura & difficiliora esse videantur: siue (quod similius veri est) ignoratione docendi sæpè quod positum est in vna cognitione, id in infinita dispertiuntur. Nōne vides, vt omnes in omniū interpretū, q propè innumerabiles sunt, cōmentariis magis, quam legibus interpretādis occupati, de re paucissima, pręter rē infinita tum scribunt, tum loquuntur? vt alienissimis locis inculcant quæcunque libet? vt vnius voculæ arrepta occasione, euagātur a proposito, nihil pensi habentes (vt rectè quidam ait) quid quoque loco aut dicatur, aut scribatur? vt denique Bartolis, Baldis, Paulis, Fulgosiis, Alexandris, Iasonibus, Socinis, Curtiis, Deciis, Purpuratis, aliisque multò ignobilioribus appellandis, eorumque recensendis opinionibus sibi placent? Quasi verò non cuiuis homini ingenioso, & mediocriter in his studiis versato, id factu perquàm facile sit: aut obscurum sit, eos ad inanem quandam memoriæ ostentationem, non ad studiosorum vtilitatem id facere. Titus Quintius Imperator pop. Rom. quum Ætolorum legati in concilio quodā Achæos a fide Rom. abducere volentes, vires suas supra modum extollerent, ac variis generibus armorum, & inauditarum gentium nominibus commemorandis ipsos terrerēt, facilè sic eos elusisse fertur: Res (inquit) simillima est cœnæ Chalcidensis hospitis mei, hominis & boni, & sciti conuiuatoris, apud quem solstitiali tempore cōuiuio accepti, quum miraremur, vnde illi eo tempore anni tanta suppeteret venatus copia: tum arridens homo non (quam isti sunt) gloriosus, ex vno suo domestico varietatem illam, & speciem feriaę carnis factam esse confessus est: non secus isti faciunt (inquit) qui variis & horrendis nominibus vos territāt, quum vna gens sit. Hi enim omnes Syrij sunt, sed armis inter se ad speciem ingentis exercitus distincti. Idem & vos

de hac tam magnifica & fastuosa variorum iuris interpretum librorum, tractatuum commemoratione, proculdubio existimare debetis, quæ sine vllo fructu & commodo ad miraculum excitandum fieri solet. Eadem enim descripta sunt à pluribus: sed paucis cōmutatis verbis, ac plerunque ne commutatis quidem toties repetita, vt non dubitem, quin omnia huiusmo di scripta quamlibet prolixa & verbosa, si quis in eo modicè sibi elaborandum esse duxerit, ad paucissimū numerum librorum facilè redigi queant. Est & aliud, idque tertium, in quo ita grauiter, meo iudicio, peccatur a multis: vt cætera, quæ per se grauia sunt, errata, præ hoc vno leuia, ac propè contemnenda videantur: nempe quòd illis impostoribus non satis est barbarè & confusè omnia tractare: nisi etiam disputationibus suis Sophisticen perpetuò admisceant. Summā enim ingenij laudem esse ducunt, non vera explicare, sed bonas, vtiles & receptas aliorum sententias petulanter euertere: quasi ipsos pudeat vsquam cum quoquam consentire, & nihil verum, nisi idem diuersum sit. Et quia turpe sibi existimant homines plus satis ambitiosi, quæ recta & simplicia sunt, quia nimirum scilicet vulgaria & facilia sequi, quibus præstigiis (Dij boni) & commentis veritatem obruunt, quò aliquid paulò argutius, nec ab aliis antè excogitatum (id enim palmarium est inter eos) in medium adduxisse videantur. Itaque de huiusmodi Doctoribus illud verè dici potest, quod Antonius apud Ciceronem de Philosophis scribit: Ipsi se compūgunt suis acuminibus, & multa quærendo reperiunt non modò ea, quæ iam non possint ipsi dissoluere, sed etiam quibus antè extorsa, & potiùs detexta, propè retexantur. Hæc quia nō intelliguntur a iuuenibus, nec adeò intelligi possunt, videntur plerique ingeniosa, qui ea sola mirantur, & habent in pretio, quæ non intelligunt, & subtilissimam oportere rem esse arbitrantur, quam ipsi nō cernant.

cernant. Quæ verò simplicia atque perspicua sunt, quæque plus operis habent, quam ostentationis, ipsis vt puerilia sordent, ac nihili fiunt. Ego verò, tantùm abest vt acumen istud magnoperè mirer, vt etiam bonorum omnium virorum & eruditorum odio, & insectatione dignum esse putem. Nam pleraque id genus inuenta, quæ magno illi cum fastu, vt noua, atque inaudita in cœlum efferunt, huiusmodi esse certò scimus: vt mirum videri non debeat, si homini sano, & integri iudicij nullo vnquã tẽpore in mentẽ venerint. Quę quidẽ vt arguta sint atque ingeniosa: quia tamẽ inanissima prudẽtię sunt, nullũ afferunt studiosis fructũ: quin potiùs ita iudiciũ omne peruertũt & corrũpunt, vt vulgus hominũ rectiùs atque sinceriùs, quàm qui talibus argutiis, sophisticisque cauillis assueuerunt, de ciuilibus ac seriis rebus iudicare soleat. Quid enim aliud eos facere videas, quam λεπτολογεῖν, καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν: vt de Philosophis Aristophanes ait, id est, non tantùm de rebus tenuibus ac friuolis disputare, sed etiam de meris nugamentis anxiè torqueri. Euclidis schola, quòd arguta quidem, sed ad rectè viuẽdũ inutilia docere videretur, χολὴ id est, bilis & molestia à quodã vocitata est: quum tamẽ discipulis suis ea traderet, quæ si minus ad mores, & rectam vitæ institutionem, saltẽ ad idipsum, quod profitebatur, magnoperè pertinerent. Quo igitur nomine istorum scholam vocari par est, qui veram germanámque philosophiam, id est, boni & æqui scientiam professi, non tam iustitiæ & æquitatis, quam litigandi monstrant vias? Quædam fortassis augendi criminis causa nonnullis confinxisse videbor: verùm non dubito, quin homines sani & eruditi, quibus hęc σοφιστομανία ignota non est, multò parciùs, quam res tanta postulet, de ea me loqui existiment. Ac breui futurum auguror, vt fucus ille (quem pauci tantũ hodie perspiciunt) non minus innotescat hominibus

quàm Aristotelicæ Philosophiæ professorum impostura, nostro seculo omnibus patefacta atque explorata est. Eò enim euaserunt istorum præstigiæ: vt nulla dissimulatione tegi diu possint, quas ne ipsi quidē omnino probant: sed eos id piget consiteri, tum quia seram esse pœnitentiam credunt, tum etiam quia nisi omnia perturbent, & de industria nebulas offundentes, artem reddant obscuriorem: verētur, ne in tenui, & exposita omnibus scientia versari: nec tanta mercede, quanta plerique eorum docent, id est, amplissima digni videantur. Scitum est illud Catonis, qui mirari se aiebat, quod non videret aruspex, quoties aruspicem vidisset: sentiens hoc genus diuinationum nihil aliud, quàm merá imposturá esse. Nobis verò lōgè aliud accidit, quàm Catoni, qui iuuentutis imperitæ stultitiam & patientiam facere, & suauiter eos ridere solitos, non ignoramus. Malam eorum mentem atq; improbitatem magis demiramur: quos nō pudet studiosorum iuuenum simplicitate sic abuti, & in ea re, quæ maximè omnium seria est, maximíque momenti, tum procaciter ludere: ídque vel in ipsis institutionum libris, qui elementa iuris ciuilis, via & ratione perquàm eleganter accuratéque descripta continēt. Quo quid indignius dici, cogitaríue potest? Hęc sunt, mi Andrea, quæ de corruptissima illa iuris interpretādi consuetudine, quæ vulgò in gymnasiis hodie recepta est, quantum instituta breuitas, & modus epistolæ patiebatur, immo verò magis, quam patiebatur, dicēda putaui. Ex quibus (opinor) intelligis, quātopere hæc pestis discentium studia remoretur: quantumque detrimenti qua pubicè, qua priuatim afferat. Vnde fit, vt quum scientia iuris omnium facilima meritò à veteribus sit existimata: nullus tamen labor, nulla ætas ad percipiendam eam satis esse credatur. Menedemus quidam Heretriensis dicebat, plurimos nauigare Athenas studiorum gratia, qui primùm

esscns

essent Sapientes, deinde Philosophi, hoc est, Sapiētiæ amantes, postea Rhetores, denique progressu temporis euadere idiotas. Idem de huius disciplinæ studiosis vulgò iactari solere quis nescit? nimirum, quòd primo anno sint Doctores, altero, Licentiati, tertio Bacchalaurei, postremo rerū omnium imperiti. Quod vtiq; de his, qui a sycophātis istis, & præstigiatoribus instituuntur, qui frigidissimis nescio quibus argutiis instructi, artem Iurisprudentię solos se tenere iactitant, verissimum esse puto. Nec tamē inficias eo, ex illis tenebris, quamlibet densis, ac planè cimmeriis, quosdā fortassis emergere, & ad culmen eruditionis aliquando aspirare: id quod si fortè nobis obiiciat aliquis, in promptu est quod respondeam: qui hoc exemplo adducti a methodo, & recta discendi ratione abhorrent, iis hominibus persimiles videri, quos accepimus, quū ipsis Romam contendentibus tuta, plana, compēdiaria, & facilis mōstrata esset via, per aliā nihilominùs asperiorē, longiorémq;, ac lōgè periculosiorē iter facere maluisse: ꝙ eo itinere plerosq; cū ingenti sudore, ac summis difficultatibus eò peruenisse intelligerent.

Superest, vt illam ipsam vobis commonstremus viam, qua facilè, & sine vllo, aut certè quam minimo errore (vt quidem nostra est opinio) ad summum doctrinæ ciuilis fastigium conscendere possitis. Qua in re vereor, ne si fortè reconditum quiddam, aut valde difficile, & magnificum a me expectatis, intellecta oratione consilióque nostro, protinus audiam, ὤδινεν αἰλοῦρος, εἶτα μῦν ἀπέκτενεν. At videndum est vobis, ne quod plerique faciūt, rei vtilitatem & fructum ex specie eiusdem metiamini: idémq; vobis eueniat, quod cani Æsopico, qui vmbram carniū, quòd ea maior appereret, captās, veras amisit carnes. Quæ enim hac de re a nobis dicētur, etsi primo aspectu tenuia fortè appareant: ea tamen multò plus habere in recessu, quam in fronte polliceantur, confir-

mare ausim. Sed iam ad institutum reuertor meum. Si igitur mihi iuuenis in iure ciuili detur instituẽdus, explorabo primùm ac perspiciam, an his literis, quibus tinctum eum esse oportet, qui nõ tam Leguleius, quàm Iuriscõsultus, ac (vt Græci dicunt) πολιτικὸς sit futurus, mediocriter saltem instructus sit. Nam sicut Arcesilaus dicebat, In officinam Fullonis lanam deferendam non esse: ita magno in errore versari eos existimo, qui quum literis Gręcis ac Latinis ne imbuti quidem sint, intempestiuè, & illotis (quod aiũt) pedibus ad iuris ciuilis studium irrumpunt. Ac si mihi quidem videbitur ab iis rebus nõ omninò imparatus esse, quæ viam ad cognoscendum ius ciuile muniunt: hortabor eum ante omnia, vt libros quatuor Institutionum accuratè legat atque ediscat. quos magna ex parte vel absque Doctoris opera per se ipse assequi & intelligere poterit. Quia tamen viua præceptoris vox maiorem ferè vim habet, quàm lectio : nec sicut præceptor, ita libri dubitantibus nobis (vt ait Plato) satis commodè respondent: hoc quoque adiumento laborem eius minuere ac subleuare conabor : sed ita: vt præter simplicissimam quandam, & breuissimam obscuriorum vocum: & propriam huius artis, explanationem nihil a me accipiat. Quod quũ paucis mẽsibus perfectum à nobis fuerit: is, si me audiet, eãdem crebrò repetet lectionem, ac tandiu leget, relegẽtq;, quoad memoriæ penitùs hæserint, quæcũque illis libris descripta sunt. Est autẽ ea Iustiniani Isagoge tam artificiosè contexta: vt si quis οἰκονομίαν eius, atq; ordinem, quo nihil est ad memoriã iuuandã vtilius, cõsiderauerit: adhibita medioc i diligẽtia, facilè totã recitare memoriter queat. Hoc veluti iacto gradu, ad Pandectarum lectionem progrediendum erit: quæ (vt nomen ipsum indicat) vniuersam boni & æqui scientiam atque doctrinam complectuntur. Sed ne rerum infinita propè multitudine & varietate, obscuriorum

præsertim

præſertim, & perplexarum, quæ his libris diſputatæ ſunt, paulò rudius adhuc ingenium obruatur: facturus mihi videor operæpretium: ſi titulos ipſos eo, quo deſcripti ſunt, ordine à Treboniano, leui ac ſimplici interpretatione percurrero, & tanquam in tabula depinxero, quid ſub quoque ſummatim cõtineatur. Ac in ſingulis ferè edictum aliquod a Prætore propoſitũ videas, cui ex Vlpiano, aliiſque veteribus cõſultis ſubiecta ſit interpretatio. Quod qui non animaduertũt, quia ſcopum non vident, ad quem referenda ſint omnia, maximis ſæpè & grauiſsimis erroribus implicantur. Itaque demonſtrata ſerie, ac diſpoſitione titulorum (quam vulgò continuationem vocant) eius edicti tum auditorem admoneri, tum verba, ſi qua ſint, quæ lucem interpretationis deſiderent, breuiter & perſpicuè declarari ſufficiet. Quod munus in noſtro gymnaſio quanta cũ laude obierit collega meus, Doctórque veſter, nomine Baro, ſed doctrina & eruditione Varro: nemo veſtrûm eſt, qui ignoret. Earum verò quæſtionum omnium, quæ ex ſingulis edicti verbis exiſtunt, & ab Vlpiano ac cæteris diligentiſsimè explicantur, in aliud tempus tractatio reiiciẽda eſt. Huiúſque conſilij mei ſanè grauiſsimas cauſas habeo. Nam eruditorum conſenſu receptum eſt, in docendis artibus, ab iis, quæ vniuerſalia, & nobis notiora ſunt, ad ſingularia procedendum eſſe. Ac ſæpenumerò expertus ipſe ſum, quantum ea res fructum ſtudioſis afferat. Legendo ſiquidem ac docendo in pleraque Iureconſultorum reſpõſa crebrò incidi: quæ etſi breuiſſima ſint, & ad titulum vnum ſpecialem maximè pertineant: nemo tamen ex eis ſenſum aliquem idoneũ, niſi perceptis quinque, ſexúe aliis titulis, elicere poſſit. Titulos quum dico: capita & ſummas rerum intelligo: quas tenere, ac velut in cõſpectu habere, mirum in modum prodeſt iuris ſtudioſo, antequam vaſtiſsimum illud pelagus præceptionum, quæ circa ſingula

versantur, ingressus fuerit. Tantáque est huius rei vtilitas, vt confirmare non dubitē, si quis ita se bona fide exercuerit, eum in iure ciuili rudem habendum non esse. Verùm vt operi inchoato fastigium imponatur, nihilque prætermittatur eorum, quæ iuris nostri auctores prodiderint, quęque ad cumulandam iurisprudentiam pertineant: conabor equidem eum, quem, vt dixi, instituendum suscepero, quasi decurso spacio à calce (vt ita dicam) ad carceres reuocare. Itaq; iam inde ab initio repetita Pādectarum prælectione, omnia sic excutiam, vt nihil tā minutum sit in his libris, quod nō persequar & explanem. Nam etsi prima illa de qua iam diximus, informatio mirè vtilis sit, non tamen ea est, vt hominem ciuilis disciplinæ auidissimū omnino explere, & satiare queat. Nec verò hæc paulò subtilior disputatio, vt ingentem eius fructum mittam, aut iniucūda, aut omnino difficilis ei futura est: si ratione ac modo gubernetur: id est, si explosis primùm argutissimis illis (si Diis placet) interpretum nugis, omnia ad boni & æqui normam sincera & cōmoda interpretatione exigātur: deinde disponantur, & artificiosè digerantur ea, quæ sparsim & sine vllo ordine à Triboniano sub singulos Pandectarū, & Codicis Iustinianei titulos congesta sunt. Tametsi enim de titulorum collocatione neminem iure conqueri posse arbitror: tamen res ipsa loquitur, Tribonianum in tractando cuiusque tituli argumento, nullam ordinis aut methodi rationem habuisse. Quamobrem ad professoris munus maximè hoc pertinere existimo: vt quæ sic diffusa, ac dissipata sunt, generatim describere, & tum definitionibus, tum diuisionibus ex arte petitis digerere, atque illustrare studeat. Ita enim fiet, vt quæ infinita, ac innumerabilia videntur, incerta, eadémque paucissima cogātur genera: nec solùm commodiùs doceri & percipi, sed etiā multò faciliùs memoria comprehendi possint. Idque ego pluribus ostēderem:

derem: nisi ad quos hæc à me scribãtur, cernerem. Nã ex quo hanc iuris discendi viam in publico auditorio iuuentuti præmonstrare, atq; adeò præire cœpi: equidem facilè animaduerti, quàm cupidè eam secuti sitis: vt iam nõ posit tota nostra ratio vobis perspecta non esse, quam quò vehementiùs amare, & amplecti in animum induxeritis: eò maiorem, ac vberiorem ex ea fructum vos percepturos speramus, atque confidimus. Confecto enim hoc cursu, librisque Pãdectarũ, & Codicis Iustiniani hac ratione atque arte compositis, & conclusis: si quis tertio, aut quarto quoq; mense non oscitanter eos perlegerit: (quod fieri commodissimè posse non semel expertus sum) non dubito, quin omnia tandem, quæcunque eisdem voluminibus continentur, velut vngues digitósque suos in memoria, & tanquam in numerato habiturus sit. Itaque quod cæteri toto vitæ suæ tempore vix assequuntur: facilè, & cum tanta voluptate, quanta ex cuiusque artis studio maxima percipi potest, breui tempore perueniet. Quod tamen non ita accipi velim, quasi eo aspirare quẽquam hoc studio posse contendam, vt omnes casus, qui quãdoque inciderint, quídue de singulis respõdendum sit, in promptu habeat. Natura enim rei non patitur hæc vllis literis, aut scriptis comprehendi: tantum abest, vt hominis memoria contineri posint. Quapropter eorum stultitiã admirari soleo, qui in vulgatissimis interpretum commentariis, omnem ętatatem terunt, vt inde singulorum negociorum cognitionem hauriant: ei profectò nõ absimiles, cuius meminit Lucianus, qui in maris littore sedens, conabatur singulas vndas pernumerare, donec vndas vndis trudentibus obrueretur, animóq; angeretur, ꝙ eas numero amplecti nõ posset. Nam vt quis memoriæ mander, quæcunque a Bartolo & cæteris scripta sunt, quod fieri profectò nequit: quota tamẽ erit portio eorum, quæ quotidie inter mortales contingunt,

nec vllis adhuc ſcriptis definita ſunt? Ex hoc igitur ſtudio prçceptionum quarundam & theorematũ vniuerſalium, quibus ad iudicãdum ex æquo & bono de ſingulis negotiis præparemur, & informemur, cognitio tantùm ſperãda eſt. Nam ſingularia, quia infinita ſunt, ſub nullam artem aut præceptonẽ cadũt. Verùm vt certiùs atque expeditiùs boni & æqui artẽ ad negocia ſingula accõmodare queamus, adhibẽdus eſt vſus, ſine quo diſciplinæ fructus omnis perit: vt vice verſa, vſus abſq; methodo & via minimum valet: alterius ſic altera poſcit opem res, & coniurat amicè. Iis igitur, qui ad perfectionem huius artis conſequendam aceruum ingentem librorum ſibi parant, periculum eſt, ne idem, quod illi Medico eueniat: quẽ Galenus ſcribit, quum nullam vnquam methodum componendorum pharmacorum didiciſſet, amiſsis libris, quibus multæ huiuſmodi compoſitiones deſcriptç erãt, tabe confectum periiſſe. Sed verba ipſa Galeni, quibus ille diuinus vir nos docet, quam infeliciter in quibúſque artibus & diſciplinis verſetur is: qui duabus hiſce rebus non vtitur, in vniuerſalibus methodo, in ſingularibus exercitatione, ſubiiciam:

τῆς προκειμένης πραγματείας σκοπὸν ἐχούσης
σὺν τοῖς ἄλλοις καὶ τοῦτον ὡς ἐὰν ἀπολέσω-
μέν ποτε τὸ βιβλίον, ἐν ᾧ τῶν φαρμάκων, οἷς
χρώμεθα, τὰς συνθέσεις γεγραμμένας ἔχο-
μεν· αὐτοὺς ἡμᾶς δύνασθαι συντιθέναι παρα-
πλήσια τοῖς ἀπολλυμένοις ἀναγκαῖον ἐστὶ.
πρῶτον μὲν ἡμᾶς καθόλου τινὰ τύπον ὁδοῦ με-
μαθηκέναι, δι' ἧς εὑρήσομεν ὃ προεθέμεθα. δεύ-
τερον δὲ γεγυμνάσθαι κατὰ τὴν ὁδὸν, ταύτην τὸν
πολλοῖς τῶν κατὰ μέρος εἰδότας, ὅτι χωρὶς τοῦ
γυμνάσασθαι τὸ τοιοῦτο γυμνάσιον, οὐδὲν τῶν ἔρ-
γων

γωνίσματα περαίνεται. δυνατὸν δὲ καὶ τὸ συμβὰν ἐκ δητισίμων ὧν ἐγὼ γινώσκω δυοῖν ἰατροῖν. ὁ μὲν γὰρ ὑπὸ λύπης, ὡς τῆς ἑαυτοῦ τοιούτων γραφῶν ἀπωλείας συντακείς, ἀπέθανεν· ὁ δὲ ἀπέστη τῶν ἰατρικῶν ἔργων. ὑπάρχει δὲ τοῖς νῦν καθεστῶσιν, ὡς ἐγὼ λέγω, πρὸς τῷ δύνασθαι συντιθέναι φάρμακα χρήσιμα, καὶ τὸ κοινοῖς εἶναι τῶν γεγραμμένων τοῖς πρὸ ἡμῶν ἰατροῖς, ὥσθ᾽ ἡδέως προσχρῆσθαι πᾶσι τοῖς ὑπ᾽ ἐκείνων γεγραμμένοις, εἴτ᾽ ἂν αὐτὸς εὕρῃ κατὰ τὴν διδαχθησομένην μέθοδον.

Expectas forsitan à me, vt quid de Bartolo, Baldo, Iasone, & aliis eiusdem notæ scriptoribus, sentiã, quoque in numero apud me sint: & an eorum scripta existimem ad id, quod instituimus, profutura, planiùs explicem. Quod an facturus essem, hoc tepore multum addubitaui. Qui enim illorum auctoritatẽ aut conuellere omninò, aut labefactare student, quanta etiam nunc flagrent inuidia, quãtaque tum inscitiæ, tum errogantiæ, & temeritatis suspicione laborent: non sum tam imperitus rerum, vt non intelligam. Quosdã item scio clari nominis Iureconsultos mandasse literis, adeò necessarios huiusmodi commentarios esse, vt sine illis tueri se nõ possit iuris ciuilis disciplina. Quorum auctoritatem ac iudicium eleuare, hominis confidentis atque impudentis esse videtur. Attamen quia non ego is sum, qui me falli posse non putem: neque hoc mihi assumo, vt quenquam ex iis, qui aliter quam ego sentiunt, ad meam opinionem traducam. Equidem in nullius hominis iustam reprehensionem incursurum me putaui: si de rebus vtilissimis, & cognitione dignissimis, qui meus sit sensus, tibi id efflagitanti familiariter & humaniter, vt

singularis tua in me beneuolentia, atque obseruantia, & meus in te amor postulat, explicarem, ac patefacerem. Hæc igitur mea ratio est, vt quamuis non nemo ex eorum auctorum lectione aliquid fortè vtilitatis referre possit, si quis tamen via à nobis mõstrata ad verę solidæque eruditionis laudem grassari volet, nulla re vehementius cursum eius tardari atque impediri existime, quam si in huiusmodi scriptis hæreat. Quæ qualia sint, quia abũ sè iam a nobis disputatu est, hoc loco nihil attinet dicere. Ne tamen hæc ad viuum (vt dicitur) resecare videamur: Platonicæ cuiusdam legis in hac re exemplum secuturi sumus. Sicut enim in legibus suis aquam alienã vicinis haurire prohibet, antequam in suis fundis ad argillã vsque terram effoderint, regionemque aqua carentem inuenerit: ita & nos huius disciplinæ studioso permittimus, vt quum se in veterum iuris auctorum lectione diligenter exercuerit, si doctrina eorum suauissima non vorata modò, sed concocta etiam, & in succũ ac sanguinem cõuersa, nõdum expletus fuerit: ad præclaros hosce magistros se conferat, eorumque doctrina arbitrio suo se ingurgitet. Verùm non puto (vt dicam ingenuè) cuiquam mortalium hoc accidere posse: vt tam lautis innutritus epulis, istorũ mẽsas vnquam expetat. Quanquam enim homini in veterum scriptis feliciter versato multa ex facto proponi poterũt, in quibus hærere videbitur: subsidium tamen non ab huiusmodi commentariis, sed ab vsu & exercitatione magis petẽdum sibi esse cogitabit. Recte siquidem, & verè Anaxagoras dixit: Manum esse causam sapientiæ: his verbis innuens, eam sine vsu & experientia parari non posse. Sed quia non paucos huic nostræ sententiæ adeò refragaturos esse satis perspicio: vt nullis possint rationibus flecti, quibus videlicet persuasum est, omnia quæcunque in quæstionẽ venire possunt, ex lectione & libris discenda esse: au-

ctoris

ctoris grauissimi & locupletissimi Ciceronis iudiciũ ipsis opponam, qui lib. 2 de Orat. ita scribit: Sic statuo, vt in cæteris artibus, quum tradita sunt cuiusque artis difficilima: reliqua: quia aut faciliora, aut similia sint, tradi nõ necesse esse, vt in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusuis vel formæ, vel ætatis, etiam si non didicerit, pingere: neq; esse periculum, qui leonem, aut taurum pingat, egregiè ne idẽ in multis aliis quadrupedibus facere non possit: neque est omninò ars vlla, in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, a Doctore tradantur: sed qui primarum, & certarum rerum genera ipsa didicerint, reliqua persequuntur. Similiter arbitror in hac siue ratione siue exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, vt eorum mentes, qui aut de Republica, aut de ipsis rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiát, ad suum arbitrium mouere possit: tunc de toto illo genere reliquarum orationum nõ plus quæsiturum esse, quid dicat, quam Polycletũ illum, quum Herculem fingebat, quemadmodũ pellem, aut hydram fingeret, etiamsi hæc nũquã separatim facere didicisset. Habes, mi Andrea, omnem rationẽ consilij mei: quæ vt grauior sit apud vos, atq; etiam gratior, illud verè dixero, nõ tantùm me (si ita tulerit occasio) libenter ea visurum, vt illa apud Homerum Calypso loquitur,

> Ἀλλὰ τὰ μὲν νοέω καὶ φράσομαι ὅσσ' ἂν ἐμοίπερ
> Αὐτῇ μηδοίμην, ὅτε με χρειὼ τόσον ἵκοι.

Verùm etiam post quindecim, & eò amplius annos, quos euoluendis interpretum omnium, quamlibet leuium ac plebeiorum, commentariis cõsumpsi, quũ me profectus mei maximè pœniteret, aliis priùs tentatis diligenter omnibus viis, in hac vna tandem me conquieuisse: nec portum vllum adhuc, qui me, tan-

quam ex longo errore diu iactatum exciperet, alium
reperire potuisse. Quum igitur tantum in hac studio-
rum ratione commodi deprehendisse mihi videar,
quantum vix eloqui possum: non solùm tibi sæpiùs
idem roganti consilium impertiri meum volui: sed
hortari etiam & admonere, vt ad ea, quá pleno iam
gradu me auctore ingressus es, via ne vnquam defle-
ctas. Tametsi enim me errare, & labi posse cogito: ta-
men quia te propter suauissimos mores, eximiamq;
tuam ac verè heroicam indolem vnicè diligo, meque
tibi charissimum esse sentio: facere profectò nō pos-
sum quin te ad id studiorum genus exstimulem, atq;
incendam: quod cum longo vsu & meditatione opti-
mum esse iudicauerim, vtque eo mihi probatum est,
vt præ cæteris id mihi amplectendum esse duxerim.
Excitat me præterea non mediocriter hinc muneris
mei, illinc generis ordinisque tui recordatio: vt tibi,
quem sapientissimus clarissimusq; pater mihi in dis-
ciplinam tradidit, honestissima quæque & vtilissima
suggeram. Si enim lōge vtilior est is, qui multos red-
dit idoneos gubernandę Reipub. quam qui ipse rectè
gubernat, vt Socrates dicebat, tantò certè feliciùs o-
peram in studiis tuis promouendis positurus sum:
quantò doctrina tua ob splendorem fortunæ patriáq;
simul & auitā amplitudinē illustrior & magis conspi-
cua futura est, eiusq; fructus & vtilitas latiùs diffun-
detur. M. Cicero quondam Romæ Senatū decreuisse
scribis: vt de Principum filiis sex singulis Ethruriæ po
pulis in diuinādi arte instituendi traderentur: ne ars
(vt ipse inquit) tanta propter tenuitatem hominum
à religionis authoritate abduceretur ad mercedem
atque quæstum. Sic mihi videtur Iurisprudentia (quā
eorum hominum eruditione, qui lucri tantùm causa
illi se dedunt, vulgò obsolescere videmus) non aliter
dignitatem, maiestatemq; suā retinere posse, quam si
nobilitas capessendę Reipub. auida, studio iuris prę-
cipuè

cipuè excolatur, & velut interdicto aliqua in veterẽ restituatur possessionem. Nam priscis temporibus ita se huic studio nobiles adolescentes dabant, vt suis ordinis proprium quoddammodò esse videretur. Quod vt summe optandum est hoc tem pore: ita maiore quodam studio & alacritate in id incumbendum esse duximus: vt etiam a maioribus viam, quæ asperitate sua non te solùm, sed quoscunque alios generosioris animi iuuenes ab itinere suscepto deterrebat, aut industria nostra complanaremus: aut certè, quemadmodum id commode perfici queat, ostéderemus. Quod etsi fortè nos vsquequaque assecuti non simus: honestam tamen voluntatem nostram, & conatum, qui in magnis rebus plerunque laudari solet, te alumnum disciplinæ nostrę boni & æqui consulturum non diffidimus. Vale. Biturigibus Calendis Septembris, 1544.

EGVINARII BARONIS IVRISCONSVLTI, De ratione docendi discendique iuris ciuilis ad studiosam legum iuuentutem commonefactio.

MArcus Tullius Cicero, de via & ratione verba faciens, quæ artes, quæ literis continentur, doceri discique oportet, nullam sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse auctor est, etiam si, quam plenissimè scribi possunt, in manus hominum scriptæ veniant:

Quod nominatim de iure ciuili eodem loco, nimirũ quadam ad Trebatium Testam epistola affirmat his verbis: Num ius ciuile vestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamē lucemq; desiderant. Qui tamen mox, velut exceptionquadam, sententiam suam corrigit, de Topicis suis ad Trebatium eũdem scriptis, sentiens: Quanquam (inquit) tu si attentè leges, si sapius: per te omnia consequere, vt certè intelligas: vt verò etiã ipsi tibi loci proposita quæstione occurrant, exercitatione cõsequére. Sed quid ego M. Ciceronem profero? etsi sine controuersia inter Latinos optimus disciplinarum tractandarum Censor habitus sit: extant publicę leges, aquæ & ignis interdictione, relegationibus, pœnis, mulctisque variis sancitæ, quibus eadem via, quam Cicero commonstrat, tibi præscripta est. Nam quum penè ad duo millia librorum, versuum verò plus quàm tricies centena ius ciuile olim exercuisset: Fla. Iustiniani Cæsaris cura effectum est vt in lxvj. libros, Quatuor nimirum Institutionum, L. Pandectarum, & xij. Constitutionum, cum paucis Nouellis legibus redigeretur: a quo etiam quid quibusq; temporibus tradi a professoribus, disciq; abs te oporteat, diligentissimè præcipitur. Etenim primo professionis anno quatuor libros institutionum, cum totidem Pandectorum libris Iestinianeis nouis ab vno eodemq; Doctore tradi par est. Secundo anno libros septem de iudiciis, cũ quatuor singularibus, tertio octo de rebus, & tres singulares: quarto anno libros singulares decem: eos qui supersunt, quatuordecim Digestorum libros, cum duodecim Constitutionum, & Authenticis legibus per te cõsequi anno quinto potes. Et hæc quidem de ratione tuorum studiorum, Iustiniani Magni, cuius leges scire cupis, lex est: cui statuto moribusque priuatorum hominum neque abrogari, neq; quicqua derogari fas est. Ex qua lege, siue terni, siue quaterni

quaterni doctores intra statutum numerum sint, in singulis Academiis ita profiteri debēt: vt singulis annis singuli: qui iam quadraginta libros a Iustiniano præscriptos interpretati sint, Institutiões & τὰ πρῶτα rursus sibi sumant: aliis iam vnius anni professione, aliis duorū antecedentibus. Ita enim fiet, vt quotannis in gymnasium euntes, sibi deligere doctorem possint: qui modo & ordine a legumlatore constituto, quantum cuique satis sit, intra quadriennium explicet: atque sequentes, si lubet, audire: & ter vel quater, intra præscriptum quadriennium, Institutiones cum quinque ex septem partibus Digestorum præeūte magistro, ordine perlegere. Nam ignoro, si quis differendi artem, literarum scientiam, & reliquā philosophiam ad ius ciuile attulerit: cum per se, partim ex iuris libris, partim ex qualibuscunque commentariis consequi posse, vt tandem intelligat: sed doctus professor in iis verbis, quæ iuris ciuilis propria sunt, lōgo alioqui perferendo labore, ex tempore leuabit. Sed & his annua professio satisfaciet: etsi Iustinianus rationem studiorum pluribus potiùs, quam paucis, egregiè præter cæteros doctis accommodet. Vtramquanque viam ingrediare: totius operis dispositionē inter progrediēdum obserues necesse est: quod ea res (vti in cæteris) mirum in modum memoriam iuuet. In singulis vero titulis, vt nautæ ad Cynosuram solent, ad legem. S C. plebiscitum, constitutionem, edictū respicies perpetuò: quò iureconsultorū responsa, quæstiones, commentarij sub eundem titulum congesti per Iustinianum spectat. Quam quidem ad rem nonnihil (nisi fallor) adiumenti in commentariis ad Pandectas tibi afferro: certè promouere tua studia bona fide conor: valde te obsecrans: vt vel me adhuc viuo, vel mortuo, rudia quandoque polias, & consummes imperfecta: qualia hominis opera esse solent. Et hæc quidem rectè docendi discendique iuris

ciuilis ratio est: de qua mihi parciùs dicendum fuit: quòd Franciscus Duarenus idem argumentum & ornatè, & copiosè nuper explicauerit: cui (vt veterum consultorum more dicam) idem quod mihi videtur. Quæ quamuis ita se habeant aduersus præscriptam à legumlatoribus, & sapientissimis hominibus rationem, omnia præposterè in gymnasiis tractari videas. Nam & a fine iuris plerunque incipere, & ne parum more ad cætera regredi, illis magnis professoribus placet: & glossas (quod indignius ferendum est hoc doctissimo seculo) legibus ipsis anteponere: quas tamē omninò eis asscribere vetuit Iustinianus: vt omitam ex omnibus hisce libris, quibus ius ciuile cōtinetur, vix senes singulis quadrienniis in singulis Academiis interpretari solere, quos & ipsos passim, & contra edicti perpetui ordine profitentur: repertis in hoc magnificis verbis, cū apparatu, ordinaria lectio, &c. Quibus persuadent id demum esse Iurisconsulti, quod Vlpianus ab inferis fortè suscitatus sine interprete nō intelligat. Quid verbis opus? In hoc conspirasse ad vnum dixeris: vt contra, quam legumlatori placuit, doceant: & nescio quodnam docendi cacoethes, hac in re legibus ipsis præponant: vt si rectam discendi rationem propria oratione explicare atq; euoluere velis, eam dicas ei contrariã: qua miseri auditores vtantur hoc tempore in gymnasiis. Ergo destinata hisce studiis iuuentus, rectè dicendi studium optimam viuendi rationem cum Pomponio Consulto existima: & vtrúmne legumlatoribus, & sapientissimis quibusque, an illis nullo duce, præter inueteratum barbariẹ morem, glossemata profitentibus de studiorum ratione obediendum sit, etiam atque etiá vide, & vale. Biturigib. Cal. Maij

M. D. XLVI

MATTHAEI VVESENBECHII IVRISCON.

auct. dam.

DE IVRIS ARTE ET SCIENTIA *comparanda Consultatio, ex Prolegomenis Iurisprudentiæ descripta.*

QVanquam de ratione studij iuris, & Iustinianum in Pandectarum prooemio, & multos deinceps iuris auctores præcepisse animaduerto: in quibus vel præcipuam hac in parte laudem (meo quidem iudicio) meretur Fr. Duarenus, qui copiosa elegantique epistola (sic enim inscribere voluit) magnum attulit adiumentũ hominibus nostris: vt nõ modò Iurisprudentię rudes, sed etiam docti non parùm se arbitrentur adeptos: & ad discendum docendúmque ius ciuile meliùs, & ad iudicium de toto hoc genere, rectiùs faciendum: tamen quia nõnulla ab eo prætermissa, quędam etiam vt opinor, non admodum ex vsu studiosorum videntur consulta & disputata: de quibus tamen iuuentutem, ne a recto studiorum cursu aberret, admoneri maximè eius interesse arbitor: eò veritus non sum, quasi post Roscium saltare fabulam: & quæ mihi cauenda, quæ sequenda petendáque hoc in stadio præterea viderentur, paucis explicare. Verè enim cum aliis omnibus in negociis suscipiẽdis, tum maximè in ponendis doctrinarum fundamẽtis, [illegible]: fertéque vulgò dicitur, sibi quemque magistrum esse pessimum. Mihi quidem initio ætatis tempo-

re, atque adeò ante puberes annos, in hāc studiorum viam, voluntate parentum, ingresso, vtinam tà dexter aliquis occurrisset Mercurius: qui rectā in semitam digitum intendisset: quoque duce ac permōstratore, facilem ad optatam metam miniméque impeditum cursum, diuino munere fuisset cōcessum: sperarem vtiq, laboribus nostris, & ingenij culturæ, maiores fructus constare aliquádo potuisse. Nam tametsi eorum omniū, qui quasi itinera conſectandæ Iurisprudentiæ nobis aperuerunt, libellos & præcepta didicissem: non ab his tamen ita instrui, & iudicium informare potui: quin errore consilij, quasi tempestate quadam, a recta expeditáq; nauigatione in scopulos delatus, magnam temporis ac laborum iacturam antè fecerim, quam meo doctus malo, in viā redire tandem: & de constituenda rectè horum studiorum methodo potuerim aliquid suspicari. Sed quod nobis adiumenti, temporum consiliorúmque quædam infelicitas præclusit: id alijs inuidere non decet eum, qui in docendo præstare fidē, & boni non modò magistri, sed etiam viri officio fungi, in animum induxit. Quod itaque homines minimè mali facere solet: qui superatis maris difficultatibus in portam reuersi, de periculis, déque tota nauigationis ratione, alios oram soluentes libenter edocent: & id mihi puto in hoc institutionis exorsu faciendum, vt cùm ipse iactantibus errorum tempestatibus, naufragium penè studiorum fecerim, admoneam alios, in vastum huius studij Oceanum cōtendentes: quem cursum omni studio persequi ac tenere, quæ vada & scopulos effugere atque euitare, cautè prudentérque debeant. Principiò credo eos non expectare, vt qui se Iurisprudentiæ in disciplinam tradere, in animū induxerunt, iis dicam hanc scholam ingressuris, naturam institutioni idoneam, & laboris patientem afferendam: & egredientibus rursum atque edoctis vsum ad doctrinā

adiun-

adiungendũ esse, quãdo omnẽ cuiusq; rei eruditionẽ absoluant natura, ars & exercitatio. ac ne quidem illud opus vt copiosiùs exequar & demonstrem: eos & vtriusque linguæ, quibus ius nostrum continetur atq; traditum est, & historiarum præsertim Romanarum cognitione, aliisq́ue humanitatis artibus, libero homine dignis, sapientiæque adminiculis imbutos esse oportere nã vt de historiæ Romanæ notitia, sine qua cæcum est omne Iurisprudentiæ studium, nihil ampliùs addam: illud hoc in genere silentio præterire non possum: sicuti Plato Geometriam & Arithmeticam suas esse statuit alas, quarum quasi remigio ad cœlestium corporum, & totius vniuersi cognitionem homines euehãtur: sic videri mihi, duo imprimis instrumenta a liberalioribus disciplinis candidato iuris esse petenda: quibus adminiculis subnixus in artẽ huius prudentiæ maioribus auspiciis, minoréq; cum difficultate pertendat: disputatricem nempe scientiam, & eam Philosophiæ partẽ, quæ de moribus inscribitur: quarum illa δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, hæc σύνεσιν πολιτικὴν complectitur: in qua vtraque bene, qui versatus non sit: non est sperandum, eũ de legibus, de disputationibus humanarum rerũ difficilioribus, de tota denique Iurisprudentiæ & iurisdictionis ratione, iudicium rectè facere & cõformare vnquam posse. Qui verò harum artium doctrina & exercitatione ingenia præculta sic habent, & præparata: vt ad maiora contendere rectè possint: hi demũ σὺν τύχῃ ἀγαθῇ ad nostram hanc Iurisprudentiæ scholã accedunto. In qua primùm audiant Institutionum iuris libros accuratè: nec audiant modò, sed etiam legant, relegántque quotidie, adiunctis Theophili, Cuiacii, Gabr. Mudæi, Fr. Hotomanni, aliorúmque paucorum commentariis: atque ita ab his interpretibus adiuti, eam iuris epitomen nocturna diurnáque versent manu: voluant sursum ac deorsum: & tamdiu

tamdiu assidua lectione illi immorentur: donec eam firmè conceptam animo in memoria penitùs habeãt comprehensam. Δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά: &

Lectio lecta placet, decies repetita placebit:

vt est in prouerbiali versu. Huic alter quasi πάρεργος rectè atque vtiliter adiungetur labor: si verborum significationes atq; breues iuris regulæ, ex duobus postremis digestorum titulis ediscantur: sicuti quosdam memini, singulis diebus aliquot de verborum significatione, regulisq; iuris capita successiuis horis memoriæ commendantes, & ab eadem reposcentes, lõgè plus inde adiumenti ad ius nostrum intelligendũ capere, quam ex copiosis illis doctorum glossematis: quibus si rudem & adhuc infirmum studiosi animum onerauerimus, duorum alterum, aut deteriorem studiorum efficiemus: aut cum magno labore eius, sæpè etiam cum diffidentia (quæ plerunque iuuenes auertit,) serius ad id perducemus: ad quod leuiore via, sine magno labore, & sine vlla diffidentia, maturiùs perduci potuisset. Hoc igitur iacto fundamento, maturè erit ad Pandectarum lectionem perueniendũ: quibus quia tota iuris scientia, quod & nomen indicat, continetur: ideo omnis cura, cogitatio, studium, ocium atque negocium in earum lectione erit locandum. Ac vt Socratem eadem semper de eadem iustitia disputare solitum refert Xenophon: ita operæpretiũ est, nõ distringi varia & operosa lectione animos discentium: neque a corpore Digestorum in alia omnia traduci, sed huic innutriri oportet: ab hoc solidus Iurisprudentiæ succus, natiuusque sanguis est imbibendus. Non multa, sed multùm legendum esse veteres dixerũt: id & nobis dictum ac præceptum esse, in horum studiorũ meditatione, perpetuò cogitemus. Ac ne hic iterum infinita penè rerum multitudine & difficultate rude ingenium obruatur, præceptáque desperatione oblanguescat: néue in tam vasto rerum

diuer-

diuersissimarum Oceano hac illuc lectione, sine certa via & explicatione iactetur: conuenit tyronibus, summas quasdam rerum, velut in corpus redactas, proponi: & ostendi Pandectarum seriem, ac iusta omnium tractationũ dispositione & consequentia, simul quid in quoque titulo contineatur, summatim delineari: cùm edicto recitato explanatóque, ad quod omnia consultorum responsa pertineant: tum vbi illud defuerit materia in locos Dialecticæ methodi redacta, & breuiter explicata: vt totius operis forma animo concipi, & memoria teneri possit. Atque hæc quidẽ ratio longè plus confert vtilitatis: quam omnes isti methodici libelli, in vnum congesti aceruum: qui alij super alios quotidiè prodeunt: scilicet, vt ab hoc limpidissimo iurisprudentiæ fonte, ad turbidos puteos, & lutulenta stagna, iuuentus inscita istorum indicatione abducatur. Quantum enim est, inclusam habere memoria, vniuersalem Pandectarum dispositionem, & rerum sibi inuicem aptarum consequentiumque videre seriem, tanquam in tabula propositam? Quòd si non modò delectat aliis in rebus elegãs proportio, &, vt Xenophõ ait οὐ γὰρ ἐστὶν οὕτως εὔχρηστον οὐδὲν, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις, sed multum etiam ad intelligentiam, resque memoria rectè complectẽdas, commodat: an quicquam in hoc vastissimo iuris studio magis conducibile ac necessarium arbitramur, quam scire ordinem materiarum omnium, & connexionem tam variarum rerum animo habere percursam? Sed hũc laborem mox sequi debet totius operis ædificatio & fastigium: in quo alia aliis placuisse video: ego tamen reticere nõ possum ea, quæ & a doctissimis viris tradita, & continuato complurium annorum studio mediocri etiã in huius scientiæ vsu atque exercitatione non parũ opportuna intelligo. Ac principiò mihi quidem hoc cũ aliis plerisque conuenit: tametsi titulorum ordo in

Pand.& Cod.temerè reprehendi immutariq́ue non debeat:tamen in tractando cuiusque tituli argumẽto,nullam magnoperè veræ methodi habitã esse rationem. Nam in constitutionibus Principum,videre licet ordinem magis temporum,quam rerum esse seruatum.In Pandectis autem, siue ordo aliquis in singulorum tractatuum explicatione existit (vt defendit Hopperus) siue (quod ego quidem opinor) a compositoribus iuris,in Republi & aula magis, quam in schola versatis hominibus, non magnoperè hac in parte est elaboratum:id certè negari nõ potest, & res ipsa loquitur: ad lõgè aptiorem commodioremque, & intelligentię,& memoriæ, & vsui forensi ordinem, singulos tractatus reuocari,redigiq́ue posse.Quæ ratio quum doctissimo experientissimóque viro M Ciceroni placuerit:quumque ab acutissimo eius rei architecto Aristotele profecta,hactenus in scholis propter euidentem vtilitatem sit retenta, nõ est, cur nobis displicere,vel parum ad discendum accommodata debeat videri,Itaque studio sibi habeant, cùm ipsi iuris professores tùm , si horũ industria destituãtur, studiosi:vt quæ sparsim ac cõfusè in singulis Digestorum titulis tractata reperiantur,ea in certam cogant scienter,componantq; sedem, & vnumquodque responsum, aut sententiam consulti,suum in locũ partiantur ordine,atq; distinguant:ac quasi dispersa seiunctáque membra,in vnum corpus aptè cõpositéq; iungant & coagmẽtent;hac videlicet ratione, vt quæ leges aut verbum,aut rem propositã explicant,in locum definitionis primò referantur:cui propria, differentiæ,& accidentia cuiusq; rei (substantialia & naturalia nostri vocant) adiungi,veluti glossemata definitionis possunt. Tum quando definitioni adiunctum est,vt res diuidatur:partes rerũ,aut species, aut gradus mox in sedem diuisionis locẽtur:pòst, quæ rei propositæ causæ sint efficiẽtes,quæ materia,quæ for-

ma, quis finis atque effectus, quæ adiuncta & affinia, quæ interpretatio, quæ contraria, quæ actiones, quales & quotuplices inde nascantur, & coram quo iudice illæ, quibus, cõtra quos, ad quid, qua forma & ordine competant, quomodo probandæ sint: quis denique finis & effectus, quæ cognata & adiacentia earum actionum existant: quæ contraria: quęque exceptiones opponi eis possint, inuestigetur: atq; ita etiã minutissimæ cuiusque materiæ partes, certa via ac ratione in idonea redigantur capita: nihil vt intactum, nihil non suo loco distributum, aptéque concinnatum, nec in Pandectis, nec in Codice, neque in alia vtriusque iuris parte relinquatur. Non enim vllum extare arbitror iuris responsum, cuius aliqua nõ possit esse vtilitas, aut in definiendo, aut disceptando, aut argumentis probabiliter per ratiocinationẽ exstruẽdis: vt, quod de Medica doctrina dixit Hippocrates, nos quoque hactenus vsurpare queamus: ὁ δὲ μικρὸν, οὐδὲν παραφρονητέον. Atque in hac parte vtile esse iudico, sequi titulorum ordinem in Pãd, Cod. & Decretalibus institutum: iisque suis locis aptè intertexere tractationes similes: qui cum singulis plurimum habere affinitatis videbuntur: atque in titulos ita distributos conferre, quicquid in reliquis vtriusque iuris libris consentaneum his potest reperiri. Digestis ergo hunc ad modum materiis, restat vltimus labor, in examinandis suo loco singulis per analysin legibus, causisq; earum, & partibus penitùs introspiciendis. Sed hic rationem materiarum haberi oportet. Turpe est enim difficiles habere nugas: & stultus labor est ineptiarum, vt ille ait. Etsi enim cognitio omnium partium iuris per se iucunda existit: tamen studij nostri finis est, sicut esse debet, idem qui iustitiæ: nempe actio, & vsus forensis: vt in iudiciis, in foro, in omni negotio, quid ęquum, quid iniquum sit, exploratum habeamus: atque hoc scientiæ genere

in forum vsumque producto, Reipub. totique humano generi quamplurimùm commodemus. Hæc porrò meliùs ex actionibus & materiis, e media hominũ vita desumptis cognosci possunt, quam ex illis difficilimis iuris antiqui formulis ac disputationibus subtilissimis Iurisconsultorum: quos videre licet inuestigandæ veritatis studio, atque ipso (credo) amore cognitionis, & quadam ingenij abundãtia sæpiùs minutissima quæque consectari, & in quæstionibus quibusdam perplexis, neque tamen admodum hoc tempore necessariis, plurimum studij atq; operæ ponere. Præsertim quum plerique, qui ad ius discẽdum ciuile ingrediuntur, temporis non habeant satis, vt per minutissimas quasque voluminum nostrorum partes consectari omnes, & penitùs explorare possint: sæpè etiam ambitione & foro obruti, è medio cursu ad ciuilem vitam priùs reuocentur: quam tãtam rerum varietatem complecti animo omnem queant. Itaque auctor hortatorq; iis sum, vt leuiter perlectis iis, quæ ab vsibus nostrorum iudiciorum planè abhorrent, in eas partes cursum studiorum dirigant: quæ vt vbertate & vsu sunt potiores, ita cognitu nõ parum faciliores planioréſque inueniantur: cuiusmodi sunt ferè omnia, ad ordinem iudiciorum, contractus, res creditas, cæterásque obligationes, actiones, iura coniugiorum, dotium, ac successionum, tutelas, testamentorum compositionem, delicta & pœnas, aliasq; cõsimiles vitæ quotidianæ partes accommodata. Hos Iurisprudentiæ sinus diligenter exploret, penetret, scrutetúrq; licet iuris studiosus: nihil enim in eorum inuestigatione operæ temporisque ponet: cuius non postea fructus aliquis & vtilitas in foro constabit. Quòd si ne hæc quidem flagrãti eius studio fecerint satis: tunc nihil sanè veto, quò minùs in steriles illas & desertas insulas deferatur: inibiq ὡς ἐν παρόδῳ aliquantisper, explorandi tamen magis, quàm commorandi

morandi causa oberret. Postquã ergo planum fecimus, quibus in iuris partibus præcipuè sit elaborandum: restat, vt exequamur, qua ratione & via plenior earum inuestigatio examinatióque sit instituenda. Digestis itaque in eum ordinem, de quo dixi, omnibus iuris capitibus: iterum retexenda hæc tela erit: & singuli articuli secundum analysin diligenter explorandi. Ac principiò totum illud, quòd lex, aut cuiusque responsi constitutionisúe caput dicit, in summam quandam est redigendum: quæ & paucis integram eius sententiam concludat. & rectè infigi memoriæ queat. Huius autem sententiæ διότι & ratio quæ legislatorem mouit, accuratè inuestiganda: cuius cognitio non modò ad propositi capitis intelligentiã pertinebit: sed ad similes casus quandoq; incidentes: & diiudicationẽ aliarũ specierũ rectè per ratiocinationẽ extendetur. Nã scire, est rem per causas nosse. Scire leges (inquit Caius) non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. Et Paulus: Res magis quam verba intuẽda sunt: quia rebus nõ verbis leges imponuntur. Post hæc proximũ fuerit. vt in suas partes legẽ per analysin resoluamus: singulaq; exequamur & perpẽdamus verba, sentẽtias, ꝑsonas, res, facta, aliasq; ꝓpositæ speciei circũstantias, quæ omnia explicanda exemplis, & ad vsum forensem, atq; etiã ad theses & locos communes (Regulas vocant) erũt referenda & accommodãda: vt his particularibus exẽplis regulæ confirmentur: confirmatæque vsibus variorum negociorum aliquãdo seruire queãt. Postremus labor erit, facta aliarum legum, vel similium, vel pugnantium collatione, cõciliare omnia, & cõnectere, ac rectè distinguere, exploratis aut similitudinis, aut differentiæ causis. Qui fons est omnium distinctionum in toto iure: quarum sine mediocri, vel potiùs exquisita notitia, nemo est, vt se feliciter consulere cuiquam, & rectè de iure respondere posse arbi-

tretur. Vt enim nulla est iuris regula, quę nõ suas recipiat exceptiones: ita vix puto vllam esse iuris thesin, aut definitionem tam generalem, quæ non aliquo casu per distinctionem excludatur, & vim suam amittat. Ad hoc autem rectè perficiendum in primis glossæ Accursij ordinariæ magno sunt adiumento: qui vir acerrimo ingenio, diuináque memoria præditus, videtur omnem iurisprudentiam sic in numerato habuisse, atque in promptu, vt nihil in toto iure propemodum occurrat: quin quid illi consentaneum sit, qui cum eo pugnet, quibus casibus locum habeat, quibus excludatur, tantum non sub conspectũ subiicere possit. Sunt qui præcipiunt, in singularũ legum explicatione, primùm quædã quasi prolegomena præmittere. quibus, quæ ad propositæ legis intelligentiam cognitu necessaria videntur, præuia quadam expositione præmonstrentur: tùm summam legis subiicere: pòst facti speciem proponere: de eáq; per rationes dubitandi ac decidendi disputare: mox legem in certas partes & membra diuidere, ac ex singulis annotare theses cognitione dignas (Notabilia vocant) deinceps singularum partium verba perlegere & explicare: ac vltimò singula, quæ vel obstare definitioni legis, vel aliqua in parte ei derogare videri possunt, aptè distinguere ac conciliare, quæ omnia his versibus complexus est M. Gribaldus.

Præmitto, scindo, summo, causasque figuro,
Perlego, do causas, connoto, & obijcio.

E[illegible]onis ratio a superiore non longè abest: & [illegible]ngioribus, aut etiam obscuris, mihi nequaqu[illegible]et. Habet enim multum lucis, & ad explica[illegible]rum intricatarum non parum opport[illegible]t. Sed absurdum fuerit vnum velut calce[illegible] inducere pedibus velle: & in singulis, etiã facil[illegible] & apertis, hæc omnia pue[illegible] consectari, [illegible] est aliud, quàm nodum (vt aiunt)

aiut)in scirpo quærere:& inutili rerũ mole,inaniq́ue curiositate,aures animósque auditorum defatigare. Restat extremum de adhibēdis interpretibus,in quo fateor difficile omnium iudiciis satisfacere:quòd pro dispari vitæ instituto alij aliter opinentur. Enimuerò vt ille philosophandum,sed paucis autumat: Sic ego in scholis parcè adhibendos interpretes existimo: ne vel multitudine disputationum obruantur ingenia, vel a melioribus studiis alienissimo tēpore abducantur. Præstat sanè primam institutionem præceptorũ dumtaxat viuæ voci, solíque legum intelligentiæ ac studio dare. Etenim & præceptores commodiùs dubitantibus respondent, vt ait Plato, quàm libri: resq; intricatas explanant perspicuis, & penetrant, inhæréntque memoriæ altiùs, quæ viua docentium voce hauriuntur: quàm quæ de mutis discuntur magistris. Rectè enim Hieronymus: Habet nescio quid latentis energię viua vox,& in aures discipuli,de auctoris ore transfusa,fortiùs sonat. Atque cùm reliquæ disciplinæ non tantùm de libris hauriri possunt: sed lumen etiam doctorémque desiderant:tùm in primis Iurisprudentiæ studium, propter incurrentes vndiq; obices,& vix credibilem in tractādo asperitatem,viri interpretis adiumentum requirit. Præterea ex ipsis legibus non modò gratiùs,veluti ex limpidissimo fonte bibuntur causarum decisiones: sed id quoque vtilitatis percipitur quòd in his qui bene versatus est, & quid quoque loco tractetur, in promptu habet, eum latere nequeat:si qua noua quæstionum difficultas inciderit:quo eam loco,& ad quas leges in commentariis doctorum inuenire possit explicatam:quæ res in praxi magno est vsui:sicuti compluries hoc re ipsa expertus sum. Præcipuum igitur in schola iuuentutis sit studium,bene intelligere, atq; animo complecti seriem singularum materiarum:ac præcipua earundem capita,sentētias atque definitiones,sibi red-

dere quàm maximè notas & familiares. Quia tamen & priuato studio ad vsum communem ius est transferendum: & disputationibus scholasticis, opinionũ collatione (quæ tam est in omni studio necessaria, vt artes etiã ipsas omnes peperisse perhibeatur) cùm verum inquirendum, tùm forensibus litigiis præludendum est, vt non immeritò existimetur, iuris eruditio potissimùm in disputãdo versari, ad priuatum autem studium, & ius ciuile vsibus rectè accommodandum, & ad differendi rationem cumulatè instruendam, multa suppeditant interpretum libri: ideo erũt & hi à prouectioribus, pauci tamen, idque parcè adhibendi: cuiusmodi ex superioris ætatis doctoibus sunt, secundum glossas, Azo, Hostiensis, Bartolus. Innocentius, Baldus, præcipuæ auctoritatis Iurisconsulti, Panormitanus, Felinus, duo Pontificij iuris lumina, Castrẽsis, ob breuitatem & rationum decidendi inuentionem tyronibus maximè accommodatus: Fulgosius, mira ingenij dexteritate, & subacto in legibus interpretandis iudicio excellens: Alexander, Imola, Iason, Decius, Socinus, à copia doctrinę, & varietate multæ lectionis commendabiles scilicet omnes. Sed in his, meo quidẽ iudicio, praxi operam aliquando daturis, præcipuè secundum Accursij glossas, terẽdi erũt Speculator, Bartolus & Iason. Ex quibus Speculator, quem patrem Practicè vulgò appellant, corpus Iursprudẽtiæ mediocri ordine distribuit, atque exponit: idque in forum ac vsum producit: cuius vestigia secuti sunt Rober. Marãda, & And. Gayl, & alij, quorum luculentis scriptionibus pragmatici carere non possunt. Porrò his etiam addendi sunt illi, qui hoc nostro seculo, ad imitationem veterum, propria & elaganti oratione ius nostrum illustrarũt. Multa enim a superioribus dicta perperã emendant: plurima nõ animaduersa hactenus, in lucem producunt, ac melioribus instructi disciplinis, leges veteri

ſuæ puritati, & natiuo cãdori reſtituunt: quorum feliciſſima ſcripta auctores ſic cõmendant vulgò ſuos: vt prædicatione noſtra, aut indicatione, tãquam ſuſpenſa hedera non opus habeat. Poſtremò in perlegẽdis doctorum commentariis, eandem methodũ, qua textus ipſos legum diſtribuendos eſſe oſtendi, diligẽter obſeruent: inexplicabiles illos ſubtilium materiarum labyrinthos, & diſputationes intricatas rerũ hac ætate obſoletarum, perfunctoria lectione tranſmittant: in iiſque, quæ ad vſum ſunt potiora, certa ratione atque via legendis, & ad vſum aptandis, omne ſuum ſtudium locent: hac videlicet ratione, vt definitiones, partitiones, cauſas, effectus, actiones, exceptiones, deciſiones rerum omnium, quæ à Doctoribus pertractantur, in illos, de quibus paulò antè dixi, locos atque ſedes, more ſedulę & diligentis apiculæ, reponant: vt, quum opus erit, ad cauſarum defenſionem definitionémque opportunè depromi, proferrique ſine mora poſsint. Quod qui facere inſtituerint; hi rectè atque ordine mihi facturi vidẽtur: ſi præ reliquis Speculatorem, Azonem & Hoſtienſem initiò ſibi perlegendos proponant. Hi enim nõ modò à breuitate & perſpicuitate, ſed ab ordine quoque, atque methodo commẽdantur, ſtudioſoſque ad eam ipſam, quam ſupra poſui, diſtributionis viam, quaſi manu ducunt.

* * *

auct. damn.

MATTHAEI WESEMBE-
chij Iurisconsulti
De studio iuris rectè instituẽdo, ad Iacobum Monauium Patr. Vratislauiensem
EPISTOLA.

SI, quàm tibi procliue est, mi Monaui, in hoc felicissimo tuo literarum vmbraculo perquirere, quæ studiorũ rationes tuorum instruere possint, tam mihi in promptu esset, perinde vt voluntatem, sic facultatem aliquam ad ea, quæ requiris, explicanda afferre: darem operam, quanta omni ingenij contentione consequi possem, maximam: vt & tuo desiderio, & meo officio facerem satis: ne vel ex illo temerè laborasse, vel hoc a me frustra expectasse viderere. Quid enim in tam breui & incerto vitæ huius cursu, aut animo gratius, aut laboribus dignius meis, quam tibi, tuique similibus, bono loco natis, & ob id Reipu. destinatis, ad germanam Iurisprudentiam, qua vna Respublicæ feliciter temperantur, incitato cursu contendentibus, lumen aliquod boni consilij præferre: & viam ostendere comiter, qua minimo absque errore ad optatã aliquãdo metam peruenire, eruditiq; disciplinis recte nostris, Ecclesiæ ac patriæ, velut boni vtriusque ciues, in maximis & minimis deinceps commodare possitis. Verùm ita se res habet, vt in medio scholarũ otio illiteratissimis quotidiè occupationibus, multisq, studiorum auocamentis in dies singulos districtus, non quantum aut ego cupio, aut tua vota expetunt, hoc in genere præstare queam. Quæ quò magis tibi sunt

nota:

nota: eò minùs ad commemorandum mihi sunt necessaria. Pro iusta certè excusatione esse debet: si nostræ fortè præcipitatæ cõmentationes, vel potiùs cogitationes, expectationi tuæ non per omnia respondeant. Sed ad rem quidem: quis meus sit de toto hoc studiorum genere sensus, est in manibus omniũ: nec tu mea opinione aliquid scire præterea desideras. Quare breuiter ad ea, quæ sciscitaris, respondebo. Ac principiò, quòd tibi in huius disciplinæ exorsu Institutiones proponis, fit id quidem rectissimè: sed non est nihil, quod in illa epitoma desiderãt, qui æstimare possant, putántque forenses illos, & in aula magis, quam schola exercitatos Iustiniani administros, tam in materia Institutionũ prudenter conferenda, quàm in expositione earũdem rectè instituenda, ordinem, ordinisque instrumentũ deficere. Etenim in his contra Iustiniani præscriptũ plurima reperies obsoleta, & ad vsum parum accommodata: sæpè etiam difficiliora, quàm vt ab incipiẽtibus cognosci vtiliter possint: vt quæ etiam subactis, & iam multum progressis negocium facessere deprehendantur: quæ non magis reprehendenda sunt, quòd alia ad vsum potiore, & primæ intelligẽtiæ magis obuia, aut nusquã, aut leuiter attinguntur: vt verbi causa, quę ad tertiũ & pręcipuum iuris obiectum, hoc est, vniuersam iurisdictionum rationem spectant? Quid? quod prima institutionis ratio ex principiis, causis, effectis omniúmque partiũ diuisionibus ac definitionibus cõstare: ex toto denique didascalicæ methodi instrumento aperta esse debet: quam rectam explicationis viã adeò nusquam insistere nostros apparet, vt totam hanc scholarum rationem magna ex parte ignorasse videantur. Hæc quum ita se habeant: neque tamen horum magistrorum dictata, quæ iam leges sunt, emendare aut repudiare possimus: danda est opera, vt, quemadmodum ille ait, quãdo id, quod maximè opus erat, iactu

nõ cecidit, id, quod fortè cecidit, arte corrigamus. Ac vt in reliquiis, sic hìc quoq; integra Epitomes huius διαίρεσις, atq; series antè complectenda animo est: quàm ad singularum partium explicationem, & textus, vt vocant, lectionem accedas. Itaque non molestè fero, hìc Isagogen tibi nostram placere: & assidua repetitione peruolutari: verùm in hoc nolim maiorẽ consumi operam, perquirendis capitum allegationibus: quas ea etiam re ad marginem seposui, ne lectori negotium facesserent. Quorsum enim inquiras ea, ad quæ cognoscenda nõdum accesseris? Et distrahit hic inquisitionis labor in varia: ac vt nihil aliud, certè à proposito mentem abducit: vt dissipatis quaquã versum curis & cogitationibus, minori cum fructu & attentione, vniuersalibus illis præceptionibus intendere possit. Ego quidem cęteris meę institutionis pestibus hanc quoque annumero: quod exemplo aliorũ malo, meáque vel inscitia, vel infelicitate quadam fatali, in hac non necessaria disquisitionis solertia, primum ætatis tempus consumpsi. Quamobrem ne sit tibi curæ, probationes earum rerũ, quas Isagoge subiicit, magnoperè peruestigare: sed ea pro contestatis, & explicatis habeto: quantisper tota mẽte, omnique cura habitas in ordine & cõnexione vniuersaliũ sententiarũ, quæ generatim tibi ꝓponũtur & cõiũgũtur. Hinc posteà quam summatim, quid ex institutionibus discendũ atque explicandũ sit, velut per trãscennam cognoueris: ad lectionem intelligentiãq; ipsius textus te via proxima deducet: quam nostris annotationibus si putas aliquò factam planiorem, vti iis licet. Ac ne hic quidem operæ pretium existimo allegationibus conquirendis defatigari. Fori hic potiùs labor est: ne quid pro vero assumatur, & expromatur in causa, cuius nõ antè certa definitio liquidò sit explorata. In scholis hac religione studiosorum curam liberatam aliquãtisper volo. Nam paulatim cognito

textu,

textu, rerum causarũque definitio ex hoc ipso accrescit: ac quotidiana lectione, velut alluuione tacita, inscientibus exaggeratur. At è diuerso adhæret intẽtio nec dum erudita satis in testimoniis illis difficilioribus: neque tùm peruidere rectè potest, quomodo, quidque eorum, ad quorum confirmationem illa testimonia allegantur, ab his stabiliãtur. Itaque mihi sæpè vsu venit adolescenti: vt, dum in hac re laborabam diligentiùs, extra lectionis propositæ viam, atque metam longissimè aberrarem: & ex alio labyrintho in alium, magno cum fastidio, ac veluti desperatione quadam omnis contentionis, inciderem, & iactarer. Disputare hac de re pluribus nec opus est, nec epistolę modus patitur. Quamobrem, vt hoc concludatur, nihil necesse arbitror, intepestiua rerum particularium, & infinitè multiplicium inuestigatione, rudes animos in ipso disciplinæ ingressu onerari: ac labores molesto alias per se labore quasi duplicati. Ad nostra autem scholia etiã Analysin adiunges (nescio cuius docti quidem hominis) ab elegantia ordinis commendabilem: non tamen a subacto iudicio, rerúmque vsu, & soliditate huius sciẽtiæ sic versatam & elimatã, vt ei temerè per omnia credi debeat. Non etiam hoc in genere repudiandæ sunt annotationes Crispini, quæ breuibus monent multa. Neque commentarij Mudęi parum adiumenti afferre possent: nisi malus quispiam genius tam diu eos publico studiorum bono inuideret. Ex his & similibus, quæ in lectione textus desideras, poterũt cognosci: nec priùs ex alio in aliud traduci patiere: quam aut omnia, aut certè præcipua in vnoquoque titulo, quę proponuntur, intelligentia & memoria habueris comprehensa. Cæterum in primo statim aditu admonendus es: quod nec compositores quidem nostri, nedum interpretes videntur aduertisse: neque ego etiam satis cõmodè id temporis exposuisse. Hactenus enim creditũ

est: ius naturale & gentium fuisse separatim habitum à iure Romano: quod non ita est. Neque enim aliud ius, quàm Romanum interpretamur, eóque definimus esse artem & doctrinam, quę ab insito & innato, & sine magistris noto, naturæ iure longè latéque distat. Idem verò ius Romanum distribuunt prima diuisione in publicum & priuatum: illud aiunt ad statũ rei Romanę pertinere: quod ipsum argumentum est, de iure tantùm Romano agi: hoc ad singulorum vtilitatem: idque deinceps subdiuidũt in naturale, gẽtium & ciuile: quòd ex præceptionibus partim naturæ communis, partim gentiũ & naturę humanę propriis, partim ciuilibus sit collectum. Neque tamen propterea minùs hæc vniuerso genere continentur: quod ius Romanum nostri statuunt: quia nec naturæ ius, nec gentium, neque populare aliud agnoscũt, quàm quod Romana ciuitate postmodum sit donatum. Possem hæc exemplis declarare: sed nõ sunt epistolica: & alibi forsan aliquãdo fiet oportuniùs. Quare ad reliqua, quò epistolæ tuæ series deducit, veniamus. Et quoniã Paratitla quoque nostra, nimia quadam amoris abundantia, videris supra modum exosculari: nõ abducam te, neque debortabor ab hoc errore tam suaui: ne videar mea cõtemnere, aut saltem contemptum simulare. (Quanquam non est nihil, quod hic desiderem, & expolire cogitem, si otiũ suppetat) sed hæc qualiacunque sunt, an ad pleniorem singularum rerum, quæ in Institutionibus occurrũt, cognitionem nihil conferre possunt? Certè de legibus, consuetudinibus, adoptionibus, tutelis, quæ in pimo Institutionum libro consignantur, plura illinc maiore tradita ordine, expromere licet, quæ his quoque lucem afferãt: & lectio minus illic est impedita: quòd allegationes (quarum curam te tantisper intermittere volo, dum res ipsas notione comprehendas) extra contextum ad marginem locatæ sunt.

Quamob-

Quamobrem erit diligentia tuo digna ingenio: cum singulis Institutionum titulis, singulos eiusdé argumenti, qui in Paratitlis occurrunt, conferas & componas. Sed iam primo libro satis peruoluto, ad reliquos Institutionum libros te ordo lectionis dimittit: vbi multum sanè difficilium & obsoletatum rerum, de peculio filiorum familias, ritu testamentorum antiquo & antiquato, exhæredationibus, institutionibus, substitutionibus, successionibus ab intestato: in quibus etiam multa ex iure veteri contra præscriptum Iustiniani inculcantur, aliena ab Institutionum ratione: nec tamen satis commode explicata: eóq; conati sumus hic pęnè inuiti aliquid, præter cęteros, quos quidem mihi videre contigit, nauare operæ: quæ tamen meo quidem iudicio Institutionum argumentum & disciplinam alicubi superant. Quamobré huiusmodi, quo ad poteris, & velis. Neq; enim si non omnia, prima statim attentione, capere queas, propterea tamen animus mox despondendus est: dies enim dięm docebit: & lectio lectioné instruet ac interpretabitur. Atque velim te hic quoq; aliquo titulo absoluto conferre curas ad ea, quæ iisdem de rebus in Paratitlis extant: vbi maiore ordine, &, vt ego arbitror, vsu, de testamétis, hæredibus instituendis, denique de successionibus disputatum est: leuiter perstrictis, vel transmissis potiùs difficilioribus illis labyrinthis, qui vel in errorem, vel etiam diffidentiá, ac desperationé, infirmorum animos traducere possunt. Sed hos tandem scopulos secundis diligentiæ ventis præteruectú, excipiet meliore conditione fertilissima & vberrima contractuum obligationum, & actionum ora: in qua licet commorari, ac habitare cum fructu diutiùs. Nam quicquid studij, temporis, solertiæ his in explicandis posueris: omne illud bene collatum putato. in quo etiam illa, ad quam digitum paulò ante intendi, Analysis tantò melius adiuuabit:

quanto maiorem hîc operam & curam expositionis adhibuit: quàm in illis prioribus, quæ ad vsum quidē minùs sunt obuia: sed spinis & senticetis magis inuoluta & obsepta. Nostrū verò studium cōtrà se habet. Positum est enim in his potissimum: in illis verò, quæ aut per se patēt, aut ab aliis dextrè explicata sunt, nō necesse babui immorari: vtcūque vsu potiora essent. Quorsum etiā repetam, aut velut recoquam, ac pro meis etiā vēditem, quæ ab aliis tradita sunt: aut quò mihi copia in iis, quæ nullum, aut non magnum interpretationis lumen desiderant? Quanquam & in his alicubi nostratim aliquid lucis addent: præsertim si de singulis Paratitla nostra consulueris: vbi contractuum genera aut paulò commodius, certè ordinatiùs reperies distributa: quod iam iterū iterúmq; moneo, fortasse præter decorum: sed huc me ineptiæ tua adegit ratio: cuius fines veluti regionibus meorū scriptorum vis esse definitos ac circumscriptos: vtrū rectè, an secùs nō disputo: ne te in mei amore lāguefaciam: quem ego ardere potiùs, & augeri in dies singulos cupio. Atq; vtinā maioribus & melioribus cōmētationibus, quas iampridē institui, tuis aliorúmq; studiis, adiumenti aliquid afferre queam, sed cū alia multa, tùm in primis ociū deficit: sine quo nihil præclari effici potest: verùm hæc Deus viderit. Extremum erat, quod de thesibus posuisti: in quas, veluti in tabernam quādam mercium bonarum refertissimam, ordine prudenterque res, atque verba memoratu digna distinguere. ac ad vsum conseruare pares tuum. Magna res, multi iudicij, ocij, solertię, laboris: in qua non rarò illud vsu venit: quod imperitis architectis: qui animaduerso demum post factum errore diruūt, ædificāt, mutāt quadrata rotundis: quod ipsum nauseæ est, & molestiæ: nec sumptu ac labore inutili caret. Quare malim te his supersedere. donec cōfirmatis hoc in genere viribus, & studiis iā ad maturitatem

perductis,

perductis, rectiùs de omnibus facere iudicium: eóq; architectationem instituere commodiorem, magisq; durabilem queas. Interea licebit vel ad Paratitla, vel ad titulos & capita vtriusque corporis annotare, si quid certo loco congruere videbitur: & eiusmodi sit, quod negligi prætermittique sine vitio non debeat. Prodesse hic poterunt commentarij methodici: quorum alibi à me spes & mẽtio est facta: nec eæ res principum cura ac subsidio videri poterant indignæ: sed vides, quàm hæc sordeant, & pro nihilo ferè putẽtur. Laudari quidem verbo tenus audias: cæterùm, qui opem ferat, studia alat, otiũ concedat tantis rebus accommodatum, haud facilè reperias. Ita in ipsa herba fruges bonarum & omni posteritati profuturarũ rerum corrumpuntur, verum hæc vetus querela est tibi non ignota: eoque ad commemorandum mihi non necessaria. Quamobrem finem facio: ne non epistolam, sed librum tibi præscribere videar: Deum fontẽ sapeintię precatus: vt Spiritu suo sancto, omniũ optimorum studiorum magistro & rectore, in recta omnia, tibique & patriæ tuæ salutaria deducat: organũque diuinarum suarum faciat actionum: ad nominis gloriam sui: ad Ecclesiæ & Reipubl. cõmodum, & ornamentum, ad plurimorum spem & vtilitatẽ aptum: & disciplinis doctrinisque pulcerrimis commodissimè fabrefactum. Optimè vale, mi optime & carissime Monaui: & si quid desideras prætereà, id non de eiusmodi scriptis, ad quæ rectè contexenda nũquam vacuus est animus: sed de cõgressibus nostris & familiaribus colloquiis, quæ tibi semper patent, & commodiùs (vt ille ait) responderi possunt, reposce

Witebergæ. Anno M. D.LXX. Postridie Palmarum.

FRANCISCI BALDVINI IVRISCONSULTI

De optima iuris docendi discendiq; ratione

FRAGMENTVM Epistolæ.

MVltæ sunt docendi discendique iuris rationes: neque vna est methodus: non vna, vt existimo, vniuersi iuris pertractādi erudita ratio. Mihi quidem certè quadruplex esse videtur. Primùm est necessaria quædam simplex & generalis informatio, qualis Institutionū esse dicitur. Deinde latioribus, perpetuisque commentariis opus est: qui eodem quidem ordine, sed fusiùs tamen & copiosiùs singula exponant, quales esse solēt Disputationum, & Locorum (vt appellant communium. Tertiò ipsi iuris ciuilis libri cùm indicem suo thesauro dignum, tùm verò breues quasdam Notas requirunt. Postremò historia Iurisprudentiæ vniuersæ tenenda est. in hisce, quas dixi, partibus singulis quantum difficultatis sit, scio: sed tentare tamē, quod quisque potest, debet, si quid fortè conferre possit. Nā etsi perficiendi facultas non adsit, honesta est aggrediendi voluntas. Primi igitur generis est Epitome Iustinianea: quam Institutionū nomine inscribere placuit: vt & Iuris ciuilis catechesis mea, quam cur ita appellari patiar, multi fortasse mirabūtur, qui hoc verbum ad religionis Christianæ doctrinam tātùm pertinere putant. Sed mirari desinent, vbi didicerint, ad

ciuilium

ciuilium quoque disciplinarum institutionem rectè referri. Nam & ipse M. Cicero hac voce vsus est, quũ de Octauij educatione & informatione loqueretur, & Porphyrius παιδικὴν κατήχησιν appellat. Nos meliori etiam iure ea vtimur: quum quę in auditorio viua voce tradidimus, summatim repetita consignamus, excitandæ Iurisprudẽtiæ studio, quæ & vera sit, & ita finita: vt & paulò pòst Christiana fieri, & ius verè diuinum addiscere aliquãdo possit. Hoc enim maximè nomine illud Neratij nostri placet: ius ciuile & posse, & debere esse finitum. Habuerunt veteres quoque Romani suas xij. tabulas: quas (vt ait Cicero) pueri statim addiscebant, tanquam carmen necessarium. Habuerunt Sex. Ælij Tripartitam: qui liber (vt vult Pomponius) veluti cunabula iuris continebat. Habuerunt deinde Edictum: & postremò Epitomas, Enchiridia, Institutiones Iurisconsultorum. Habet & hæc ætas multos huius generis libellos: quibus ego certè quicquam detrahere nolim Sed quum nihilominùs & ipse in hoc genere aliquid in medium proferre deberem: idque postularet eius scholæ, quam instaurandam susceperam, noua institutio: quod iudicaui optimum esse compẽdium, illud secutus sum. Ducebat me Iustiniani tanquam filium, quum eius institutiones percurrerem: sed non ita constringebat: vt etiam ab eo, quod vel planius, vel commodius esse viderem, si quid tale viderem, planè abduceret. Certè quum omninò mei arbitrij est, ordinem, quẽ maximè probo, sequi in principiis iuris breuiter exponendis, sine ambagibus, aut circuitione, simpliciter soleo primùm statuere duo iuris perpetui summa capita, Personarum obligationes, & rerum dominia: & causam obligationm, deinde vim & effectum explicare. Obligationes contrahi aut voluntate aut facto aliquo. Volũtatem dico consensum, siue conuentionem: qualis est inter emptorem & vẽditorem, vel in

ter locatorem & conductorem. Hic enim sola conuentio alterum alteri statim obligat. Voluntatem etiam appello, vbi cum conuentione res aliqua coniungitur: vt in mutuo, commodato, deposito. Factum verò voco, vbi nulla quidem cõuentio est: sed vbi vel aliquid tibi benefeci. propter quod ęquum sit, te mihi teneri: vel cõtra te aliquid feci malè, propter quod sit iustum, me tibi teneri. Tales sunt obligationum omnium primę causę Earum autem vis & vinculum, vel ad dandum, vel faciendũ refertur generaliter. Sed in singulis obligationum speciebus hæc vis singulater consideranda est. Emptor tenetur dare preciũ: vẽditor rẽ tradere, & vt emptori habere liceat, præstare. Locator similiter rem fruendã tradere: conductor mercedẽ soluere. Qui mandatũ suscepit: illud explere qui mãdauit, indemnẽ eum seruare. Qui mutuum accepit, tantundem reddere: Qui commodatum, id suo tempore restituere, & interea diligenter custodire: Qui depositum, dolo carere tenetur. Ei, qui negocia aliena etiam vltro gessit, præstandum est, vt in dãno propterea non sit. Si cui damnum iniuria datum est: id sarciendum est. Sæpe etiam propter maleficiũ, cum re, pœna aliqua depẽditur: vt qui quid furto abstulit, id reddere cum duplo vel quadruplo debet: si damnum iniuria dedit, siue dolo, siue culpa: id non tantum præstatur: sed & quãti anteà res plurimi fuit, &c. Quod ad rerum dominia attinet, eorumque causas: docere deinde soleo: vel sola similiter voluntate: vel facto illa acquiri. Voluit defunctus te esse hæredem, & tu consentis: rerum hæreditariarum dominiũ consequeris. Ille tibi aliquid legauit: si id non recusas, fies rei legatę dominus, Factum autem hic appello possessionem, quæ necessaria esse solet inter viuos ad dominium comparandum, siue sit sola apprehensio, siue cum traditione. Sic res, quæ nullius sunt, occupanti acquiruntur. Res quæ alterius sunt, vel ab eo tibi

tibi traditæ, tuę fiunt, vel ab alio traditæ, & abs te diu possessæ vsucapiuntur, &c. Vis & effectus integri domini est, vt rem tuam tuo arbitrio tractes: eaque liberè vtaris & fruaris, & alios ab ea iure depellas. Sed domino sæpè aliquid iuris detrahitur, quod alteri datur: veluti quum res tua alteri seruit aut obligatur. Ac ius quidem seruitutis acquiritur, vt ipsum dominium, voluntate nimirum, aut quasi possessione. Seruitutis autem potestas in rem est, vt aut in tuo altius quippiam facere possit, vel tu non possis ad tempus re tua vti frui. Obligatio rei, siue hypothece, aut ipso iure, aut voluntate conuentioneque contrahitur. Eius vis est, vt quis rem persequi & tenere possit alienam, sibi vt interea caueat. Hæc & huius generis capita, quæ & generalia, & perpetua sunt, exponere eo, quem dixi, ordine soleo. De conditione deinde personarum & rerum, præcepta singularia explico: Quinam obligare se aliis, vel alios sibi nō possint, vel res suas in alios transferre: Qui non habeant voluntatem, quæ vel ad consentiendum, vel ad testamentū faciendum valeat: Quæ res non sint in commercio, &c. Denique quum id, quod agitur, sæpè non sit nostri arbitrij: & si neque in re, neque in personis quicquam vitij sit: sed res habeat suas aliundè leges: hæ leges suo etiam loco docendæ sunt: veluti, quid hæ postulent, vt stipulatio rectè contrahatur, vel vt testamentū ritè fiat. Nam nō solùm materiam, verùm & formam legitimam esse oportet. Sic itaque principia iuris perpetui tradere soleo. Sed vt Iustiniani Institutionibus aliquid tribuerem: sicut certè multum eis tribuendū est: ad eius quoque methodum ferè hic respexi: & pleraque, vt occurrebant, ex Cicerone adieci: vt iuuentus, quæ quum Ciceroni operam dedit, ad Iurisconsultos se conferre solet (quæ certè studiorū ciuilium optima coniunctio est) non existimet in insulas nouas se deportari: quum in eodem orbe Romano ver-

ferur. Atque vtinam tantum aliquando mihi otij fit, vt Iurisprudentiam Ciceronianam colligere possim: & eam, vt institui, in locos communes digerere. Quid enim dignius Romano iure? quid ea acceptione gratius esse posset? Scio nunc multorum esse non solùm barbaram inscitiam: quæ res bonas, quas non capit, fastidiosè respuit: sed & malitiosam inuidiam, quæ aliorum studiosos labores risu Sardonio irridet. Verũ iampridem obfirmasse animum nostrum debemus: vt studia bona illi infringere nõ possint. Certè quum quid scribo, iudicium cuiq; suum relinquo integrũ, atque liberum: neque legem cuiquam præscribere meum est. Consilium quod do, probabunt qui volẽt. Qui non probabunt, ipsi melius fortasse dabunt: quo & ipsi vtamur: licet illi nostro non vtantur.

auct. damn.

IACOBI THOMINGII IVRISCONSVLTI MODVS ET RATIO DISCENDÆ IURISPRUDENTIÆ.

QVoniam à me scire desideras, vt qua tibi proxima & quasi compendiaria via ad Iurisprudentiæ non solùm veram, sed facilem etiam cognitionem pateat aditus: & quo tandem modo ipsum hoc iter tùm feliciter ingredi, tùm vtiliter conficere possis: age morem geram desiderio tuo: & quid ego de tota hac re sentiam, paucis explicabo. Et primùm quidem nihil refert admonere: ab Institutionum Imperialium libris (id quod nemo ignorat) huius studij compendium esse primordium:

dium: quippe qui & optimo digesti conscriptiq; sunt ordine: & potissimam iuris nostri ciuilis partẽ, ac verũ quasi nucleũ ambitu suo complectuntur. Illud verò monitu fortè non indignum fuerit: in horũ librorum cognitione lentè festinandum, hoc est, neq; nimis multam, neque vicissim nimis paruam operam esse contumendam. Nam & illi, qui simul ac hosce, de quibus loquimur, Institutionum libros, vel audite, vel ipsi legere cœperunt, omnes, qui in eo extant, omnium commentarios statim euoluunt, & qui cõtra eorundem cognitionem leuiter tantùm, & primoribus, vt aiunt, labris attingũt, vtriq; studiis suis malè consulunt. Hi, quod non satis firma, nec diligẽter explorata ponunt principio: illi, quòd copia & multitudine commentariorum, illud ipsum, quod ingredi cogitant, studiorũ iter sibimet ipsi obstruunt quodam modò atque intercludunt, aut saltem non tam accelerant, quam retardant. Verum itaque in eisdem istis libris cognoscendis, modũ adhibere qui volunt: illis necesse est, eos sic vel audiant, vel legant: vt primũ omnium veram textus mentem ac sententiam perspiciant. Quod vt assequantur, nihil sanè attinet, verbosa ac difficilia commentaria, sed breues tãtum quasdam adhibere interpretationes, quæ non tam materias explicent, quàm verborum intellectum ac mentem aperiant. Perspicuis enim dubia illustranda sunt, vt Cicero vult: dubiis autem vel difficilibus perspicua tollendã nõ sunt. Quo labore absoluto minimè quidem refragor, quin studiosi copiosiorem adiungant horum librorum explicationem: dũmodò vnum aliquem vel alterum auctorem, in primis tamen probatum è multis deligant: plusque interea & temporis, & operæ ponant in ipsis textibus cognoscẽdis ac perdiscendis, quam in commentariis interpretum euoluendis. Adeò quidẽ, vt memoriæ, si fieri posset, integros hosce Institutionum libros mãdari exoptarem:

aut ſaltem ita frequẽter legi ac relegi: vt ſtudioſi vniuerſas ac ſingulas eorum deciſiones decurſas animo, & propè decantatas haberent. Veruntamen hæc cùm dico: nõ ita me velim intelligi, quaſi eos qui ad ciuilem legum diſciplinam animos primùm applicant, omnia priuato ſtudio, ſuoque, vt dicitur, Marte conſequi poſſe exiſtimem. Nã cùm nulla ars literis percipi ſine interprete poteſt: tùm vel imprimis ius ciuile noſtrum (vt Cicero Trebatium grauiſſimè fideliſſiméque admonet) ex libris nequit cognoſci: Qui quãquam plurimi ſunt, doctorem tamen lumenque deſiderant. Porrò cum lectione inſtitutionum duos illos titulos Pandectarum, quorum alter de verborum ac rerũ ſignificatione explicat, alter vniuerſales totius ferè iuris regulas complectitur, non inutiliter, magnoque adeò cum fructu ſtudioſi coniungent. Hac enim ratione non ſolùm earũ, quas ciuiles hęc ſcientia bene multas ac proprias habet, tum vocum, tum dicendi formarum vim ac poteſtatem (quæ ad leges bene intelligendas valet ſanè plurimum) verùm vniuerſalia quoque illa, certaque & immota iuris principia (quæ tum ad veritatem inueniendam, tùm ad controuerſias rectè diiudicandas, non parum adferunt adiumẽti) ex quo ſanè negocio ſimul etiam addiſcent. Quam quaſi telam ſimul ac pertexurint: ad lectionem eorum ſe conferent auctorum: qui, quæ toto iure noſtro vagè ſparſa diſiectaque ſunt, ea colligunt, & in vnum quaſi corpus commodè ac ſummatim redigunt: formamque adeò ipſam, & tanquam faciem Iuriſprudentiæ adumbrant, & ſtudioſis ad oculos aſpectumque ponunt. Quo in genere Azonis & Hoſtienſis ſcripta, propter excellentem quãdam doctrinæ præſtantiam, & tempeſtiuam iudicij maturitatem, ab eruditis potiſſimùm video commentari. Nam Baldus Peruſinus, egregius non ſolùm Iurecõſultus, ſed eximius etiam Philoſophus, ipſum illum,

quem

quem modo dixi, Azonem, vas ac fontem legum appellare minimè dubitauit: & Alexander Tartagnus, singularis doctrinæ, maximique vir iudicij, Hostiensis summæ tãtum tribuisse dicitur: vt illam omnibus legum commentariis anteponendam esse censuerit. De veteribus loquor scriptoribus, nam qui nostrâ memoriá iuris ciuilis disciplinam compendiarie tractàrunt: in his clarissimus doctissimusque vir Matthæus Vvesembecius tam altè ædificauit, vt reliquorum in simili scriptionis genere versantium luminibus facilè obstruxerit. Hac adhibita præparatione, studiosi grauioribus etiam prælectionibus, Pandectarum scilicet, Codicis, Decretalium, & reliquorum eiusdem generis librorum, operam dare, & in patẽtem ac immensum Iurisprudentiæ campum excurrere, nõ modò non verebuntur, sed vtiliter quoque & fructuosè poterunt: vtpote qui in tãtas incidere salebras, vix ac ne vix quidem possint: è quibus illo, quod suprà diximus, freti adminiculo nequeãt eluctari. Dum tamen meminerint: momenta rationum & textuum, auctoritatibus interpretum potiora semper esse ducenda. Neque enim in disciplinæ iuris studium sic incumbendum est, vt præter ea, quæ à commentatoribus traduntur, nihil scire, nihilque habere videamur: sed ita potiùs, vt (cùm suo cuique iudicio vtendum sit) ipsos legum fontes, quo ad eius fieri potest, penitùs combibamus: inque succum, & quasi sanguinẽ conuertamus nostrum: ac proinde vel ipsorum etiam interpretum scripta, veritati sint ne cõsentanea, an verò ab eadem dissideant, ipsimet diiudicare, & ad Lydium quasi lapidem exigere possimus. Eam verò ad rem consequendam plurimum sane profuerit, si præterea adiungatur vsus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superat. Nam quod dicitur theorice (libenter enim vtor verbis Baldi) id dicitur quasi sub nube: contra verò vsus & praxis verum præbet le-

gum ac iuris intellectum. Nam vt ars sine vsu, fructus & vtilitatis expers est quodammodo, & vsus sine arte mancus & imperfectus: sic cùm vsus accessit ad artē, tunc solet negocio quid præclarum ac singulare existere. Quapropter si me voles audire, praxin cum ipsa statim iuris cognitione cumulabis atque coniunges: non ita quidem, vt priùs ad agendum venias, quàm ad discēdum (quod apud Ciceronem L. Crassus præpostere se fecisse conqueritur) sed vt primùm omniū generalem quandam adhibeas & summariam iuris cognitionem: eaque percepta in fidem te ac familiaritatem vnius aut alterius conferas Iurisconsulti, singulari doctrina præditi, nec minùs bene in causis forensibus tractandis exercitati. Ab illo nonnunquam acta legenda, nonnunquam producta: quæ vocant, tibi transcribenda dari petas: cum illo de praxi rectè tùm instituenda, tùm exercenda, in sermonem nonnunquam, & colloquium venias: nonnunquā deniq; & ipse in agendis tractandisque causis, si non seriis, at certe fictis ac commentitiis, præparationem diligentem adhibeas: sicque ea, quæ agenda sunt in foro tanquam in acie, etiamnunc exercitatione vel seria, vel saltem quasi ludicra prædicas. Hoc etenim pacto fiet, vt quas in scholis, & priuatos intra parietes addiscis, leges, eas non solùm meliùs intelligere, verùm etiam ad praxin & vsum accommodare, & quasi in forum deducere cōfestim assuescas: &, quod consequēs est, tam theoriæ, quam praxeos studium, vno & eodē feliciique adeò diplomate absoluas. Cùm interim alij, qui leges primùm nude & simpliciter in scholis (quomodo noster Baldus loquitur) digluttiūt, & postea interuallo quodam interiecto, in palatiis demum digerunt, duplicem impendere curam ac laborem, & duo quasi itinera studiorum, cum maximo nō solùm tædio, sed summo etiā incommodo suo cōficere necesse habeant. Atque hę quidem tùm pręparationes,

tùm

tùm exercitationes, illi satis esse poterunt studiosis, qui nuda legum contenti scientia, Iurisprudentiæ fines longiùs proferendi nullam suscepere cogitationem. Atqui ego, cùm me ex illorum non esse numero profitear, qui præpotentem huius disciplinæ Philosophiam, angustis & minusculis illis de alluuionū, vsucapionum, agnationum, tutelarum, testamentorum ruptorum vel raptorum, & cæterarum eiusce generis exilium rerum finibus terminandam & circumscribendam esse arbitrantur: multò me hercule longiùs cēseo progrediendū: & ad illas, quas modò dixi, non satis late continuatas possessiones, adiicieda liberalium: etiam & mansuetiorum latifundia disciplinarum, si non omnium (nam Iurisconsultis, cum illo apud Ennium Neoptolemo, paucis est philosophandum, cùm omninò haud liceat) at certe quarundam, & illarum præsertim, quæ ad ius ciuile rectiùs intelligendum, commodiùs tractandum, meliúsque tuendum satis esse videbuntur: cuiusmodi sunt Latini sermonis elegantia, differendi subtilitas, eloquendi sapiētia, doctrina de vita & moribus, historiæ antiquitas, ipsa denique sacrorum bibliorum lectio assidua: quæ iuris studioso non vtilissima modò, sed & summe necessaria est.

SVFFREDI PETRI LEOVARDIENSIS V.I.C.

De arte Iuris & præstantia legum Romanarum Fragmentum.

QVemadmodum in legibus Romanis omnia plenissime & iustissime tractantur, quæ ad magistratus officium, & præstantissimam Reipubli. formam meliori studio instituendã pertinent: ita etiam constat singula in his tam elegãti ordine atque methodo esse disposita: vt rerum ipsarm plenitudinem traditionis facilitas prolixe commendet. Primùm enim Iustinianus immensam illam veteris Iurisprudentiæ syluam, ad librorum tam paucorum numerum redegit: vt ex tribus Codicib⁹, Hermogeniano, Gregoriano, & Theodosiano. qui Principum constitutiones continebant Codicem vnum cõcinnaret: ex multis librorum millibus, in quibus prudentũ responsa erãt, Pãdectas cõflaret vnas: quibus vt & lucis, & æquitatis plus infunderet Institutiones demũ ad Nouellas adiecit suas. Qui quidem libri, vt gradum suum singuli debitum velut in arte obtinerent: Institutionibus introductionem, Pandectis explicationem, Principum constitutionibus suppletionem iuris peculiarem esse voluit, ac propriam. Ac ne quis & hic methodum desideraret, Institutionibus, cum ad tria capita, Personarum, Rerum & Actionum commodissima distributione, totum negocium reduxisset: in singulis his methodũ

διαιρετικὴν tam exactè secutus est, vt nemo possit exactiùs in Pandectis, vbi ad vsum forensem omnia accommodat, præsentem iudiciorũ necessitatem sequitur, & methodo vtitur potissimùm συνθετικῇ: Itidem in Codice facit, ad cuius ordinem reliquæ cõstitutiones omnes facilè reducuntur. Ita vt facilimè & minimo negotio Romanarum legum cognitio cõparari à studiosis queat.

HIERONYMI ELENI BALENSIS IVRECONS.

De optima & facilima perdiscendi iuris ciuilis ratione Consultatio.

QVi comiter, quam ipse ingredi solet viam, monstrat: vitio, vt opinor, caret, etiam si cõpendia sibi ignota, quæ viatorum breuius commodiusque fortasse ducere poterant, non indicauerit: nec Mercuriales statuas iure quis damnet, quod omissis semitis regiam viam insistere iubent. At qui viã prorsus commostrare recusat, Areopagitica seueritate castigandum scelus commisit: qui compendia sibi nata alios cælat, non minùs ab ab officio liberalitatis beneficentiæq; declinauit: quam qui lumen de suo lumine, vt inquit te me facere arbitror: si consilij mei rationes breuiter iuris studiosis exponam, quomodo ius ciuile Romanorum facilimè addisci posse existimem, qua via in implicitum illum ac vastum legum Romanarum labyrinthum intrandum, insistendum, trãseundum:

quod denique filum ſequendum, vt Minotauro deuicto, ſuperatisque difficultatibus, quibus huc vſque multi ſuccubuêre, victores ad capienda ab Imperatore Iuſtiniano præmia propoſita maturè euadant. Illud inprimis in confeſſo eſt, omne ſtudium, ſiue illud in dicendo, ſiue in ſapiendo, ſiue in agendo operandóue collocetur, feliciſſimè procedere: ſi non circa vaga, diſperſa, non cohærentia: & vt quæque primùm offeruntur, elaboret: ſed per præcepta in artem redacta, à primis ad media, à mediis ad vltima decurrat. Iſtud enim, vt habet initia: ita etiam vbi aliquando conquieſcat, habet: & quia ratione certa conficitur, infinitum & immenſum eſſe nequit: illud dum nulla regula dirigeris, ſed vt caſus fert, ſurſum deorſum retrorſum prorſum, veluti tēpeſtate quadā ageris, nuſquam te patitur conſiſtere, nuſquam reſpirare: ſed veluti Siſyphi ſaxum perpetuò in tuos humeros reuolutum incumbit. Qui enim vniuerſæ rei ideā nullam animo cōceperunt: in ſingulis nouo labore, conſilio, auxilio opus habeant neceſſe eſt. Quamobrem examinādum inprimis nobis eſt, an arte ius tractari poſſit, quod ſi poſſit, an nos illud arte comprehenſum habeamus, & ſi penitus vniuerſi iuris ars nōdum ſit abſoluta, qui apud nos eam abſoluere poſſimus, vt continenter per vniuerſum legum corpus artis ductum ſequamur. Eſſent profectò deploranda hominum fata, ſi cùm minimarum rerum, & ſępè etiam vanarum, artem ingenio conſequi poſſimus, æquum ac bonum, legum lationem ac cognitionem, non ad vnius tantùm aut paucorum ſalutem, ſed ad ciuitatum, populorum, ac vniuerſæ humanæ ſocietatis incolumitatem neceſſariam, arte complecti requiremus. Certè non vſqueadeò natura nobis fuit nouerca, vt cuius cognitionis notiones ſiue προλήψεις naſcentibus infunderet, adultos firmáque ætate viros artem celaret: neque tam malè propitius Deus Opt.

Max.

Max vt qua arte eum inprimis demeremur, illam nobis occultam vellet. Hoc solùm quærendum est, an benignitate naturæ, naturæque Principis Dei, hominum diligẽtia hucusque defuerit. Ac de vniuersę quidem legislationis arte dicere hoc loco: de ciuili Romanorum iure dicam, an in artem ab eis sit redactũ, qui auspiciis Iustiniani auctoritatem illius digerendi habuerunt. Quæ res ita faciliùs liquere poterit, si primùm quotuplex sit aliquid arte tractãdi ratio, exposuero. Eam Galenus in libro, quẽ τέχνην ἰατρικὴν inscripsit, triplicem omninò esse dicit: primam, quæ a notione finis per resolutionem fit, & ab vltimis per media ad principia vsque semper partiendo progreditur. Secundam, quæ cuiusque rei initia primùm profert, eáque componendo ac colligendo ab ipsis elementis principiisque rem repetit, ac ad extremum vsque aliud ex alio fingendo perducit: tertiam, quæ proposita definitione, omnia propositæ rei capita complectẽte, eius partes singulas explicat & enarrat: quem τὴν ἐξ ὅρου διάλυσιν vocat: vt illas κατ' ἀνάλυσιν καὶ κατὰ σύνθεσιν nec pręter has vlla potest esse tradendæ disciplinæ alia via vt enim ordine rem tractes, nihilq́; vel intactum transeas, vel frustrà iam antrorsum: iam retrorsum vadens, iteres: aut à postremis à prima, vel à primis ad vltima necessariò est progrediendum, vel vniuersæ artis capitibus propositis sigillatim quæque percensendam ac enarrandum. Quamobrem si harum vlla in nostro iure seruata sit, ordine traditum esse cõstabit: sin secus, methodũ vt in eo desideremus necesse est: Planè hoc concessuros mihi omnes arbitror, alio in Institutionibus ordine, alio in Pandectis ac Codice ius traditum neque id temere, sed prudentum virorũ cõsilio, quibus prouinciam eam Iustinianus delegauit, factum. In libris Institutionum equidem absolutissimã

esse methodum censeo eam, quę ἐκ τῆς συνθέσεως Galeno dicitur. Nam à primis iuris principiis per vniuersam iuris materiam vbique ad finem, æquum scilicet, ac bonum, collineando, ita decurrit: vt primùm res personis, dominio vel ex iure naturali, vel ciuili acquisito, adiungat: personas deinde personis per cótractus vel maleficia obliget: ex dominiis deinde & obligationibus actiones struat: postremò ex actionibus & exceptionibus sententiam officiumque iudicis conficiat. Quem ordinem si retrò ageremus, ἐκ τῆς ἀναλύσεως διδασκαλίας haberemus: quæ inueniendis quidem artibus prior est. sed tradendis altera illa est commodior. Priora enim sine posterioribus nota esse possunt, posteriora sine prioribus non possunt. In Pandectis verò & Codice neutra mihi seruata videtur: sed potiùs tertia illa, quam ὁρικὴν antea diximus: idque optimo, vt quidem ego existimo, consilio. Licet enim methodo illæ docendi rationes præstent: attamen hæc tertia non paulò est commodior, vt Galeni verbis vtar, εἰς σύνοψιν τε τοῦ ὅλου καὶ μνήμην τῶν κατὰ μέρος: vt scilicet vno quasi intuitu totam rem perspicias, & singulas partes in memoria habeas. Cùm viderent itaque totum iuris corpus Edicto Perpetuo Prætoris, velut definitione quapiam comprehensum: ita & ad generalem vniuersi cognitionem, & singularum partium memoriam commodissimè ius Romanum tractari posse animaduerterunt, si in eius Edicti singulis membris explicandis ordine hærerent: interiectis interim vel plebiscitis, vel senatusconsultis, vel principum rescriptis, quæ ad proposita Edicti membra pertinere videbãtur. Quod Edictum Perpetuum si adhuc ea, qua a Iuliano collectum est, formã integram haberemus, esset nimirum illud nobis non solùm ad Iurisprudentiam addiscendam pro fidelissima χειραγωγίᾳ: verùm etiam eo

tanquam

tanquã aliquo memoratiuæ artis sigillo vniuersi propè iuris ciuilis recordationem ac memoriam consignare, ac quoties liberet repetere possemus. Postquã verò illud vel temporum iniquitas, vel Iustiniani voluntas (quod tamen persuadere mihi nõ possum) intercepit: omnibus seriò iuri intendere volẽtibus operam inprimis dandam existimo: vt Rubricarum omnium ordinem, seriem, nexum diligenter annotent, & memoriæ infigãt: omniumque titulorum breuem quandam ἔκφρασιν apud animum suum repositam habeant. Ita fiet, vt dum totius iuris singulorumque membrorum, licet nõ absolutam picturam, quædam tamen quasi μονογράμματα perpetuò animo circumferimus, in tanta rerum varietate cogitatio non aberret, neque turbetur memoria, sed propositis caussis protinus illos iudices sequuti. vbinam de illis aliquid sit constitutum, meminisse possimus: & quid cõsulti de iure respõdere debeamus, generali quadã notione admoneamur: ad quam vbi accesserit ratio legibus responsisque prudentum cõfirmata, argumentique ad hypothesin propositam conclusio, ex intimo iuris sacrario oraculum deprompserimus. Itaque vbi Institutiones audiuerimus & legerimus (quod primũ sine dubio in hoc studio nobis esse debet) non quidẽ anxiè, sed quantum ad intelligendam scientiam Imperatoris, cognoscendaque iuris vocabula satis diligenter: ad hoc opus sedulò accingi omnes debemus: vt quod Edicti Perpetui interitu amisimus, nostra industria meo, quo antè dixi, modo reparemus: Quod nisi fecerimus, non magis in iurisconsultos nos posse euadere arbitror, quam sine anatomiæ humanique corporis cognitione medicum quempiam esse. Vt enim anatomiæ humaniq; corporis ignarus, nec morbi locum, nec causam, nec denique remedium certò scire potest, licet rem aliquãdo velut in tenebris pal-

pitás attingat. Ita qui in cognoscendo, inuestigando, respõdendo de iure rubricas sibi propositas, digestas, explicatas non habet, solidum nihil habere certum neq; poterit, & si fortè veluti persequentes passim cortices e-stáque lutóque aliquid rectè coniecerit, præpostere tamen non Iurisconsulti munus est in parte exploraue-rit. Postquam verò iam vniuersum semel corpus in v-num quasi conspectum animo subiecerimus, mem-brorum ac artium inter se iuncturas obseruauerimus, singularúmque partium naturam leuiter contemplaue-rimus, iam inquam bonis auibus vltra nobis est pro-grediendũ: & singuli rursus tituli summa ope & alacri studio arripiendi, vt iã non solùm tanquam per trãsen-nam, quid vbique contineatur, percipiamus: sed dili-gentissima & exactissima opera omnia, quæ ibi repo-nuntur, versemus, explicemus, penitúsque perspicia-mus: nec satis nobis sit, si singulorum legum historiá complectamur: verùm etiam vbique rationem, quæ anima legis est, expẽdamus: & quid cum aliis legibus conueniant, quid differant, examinemus: quem præ-terea in nostris negotiis, quem in foro vsum habeant, nobiscum, aut cum aliis exploremus: nec iis tantùm quæ proposita sunt, alligemur, sed ad similes species facti ratiocinando progrediamur. Porrò quis in titulis pertractandis ordo, quis modus tenendus sit, quò & intelligantur omnia facilius, & memoriæ mandẽtur fidelius, operæpretiũ est cognoscere nã & hac in par-te diuersæ multorũ sunt sententiæ. Alij nihil in hoc stu-dio rectè & ordine fieri arbitrantur, nisi a principio vsque ad finem recto cursu totum hoc Pandectarum Codicisque spacium decurratur: alij postquam semel vniuersi iuris symmetriam ac harmoniam animo cõ-ceperis, secundum ea, quæ antè dicta sunt, vnde por-rò exactam hanc discussionem incipias, aut quò pro-grediaris, quid primum, quid postremum arripias, pa-rum putant habere momenti: nonnullis cõtra omnia

veluti per ſalytam ibi congeſta videntur, nec formam artis, nec rectæ traditionis ordinem obſeruari. Inter quos ſi mihi quoque meam ſententiam, tanquàm cõmunis ſtudij ἔρανον proferre liceat, dicam quod ſentio, & dicã ita breuiter, vt res tãta breuiùs dici non poſſit. In vniuerſi iuris deſcriptione Decemuiros noſtros methodum ſecutos & aſſecutos aio: in ſingulis titulis plerunque ne ſecutos quidem contendo. Cuius rei vel illud euidens eſt iudicium: quod qui ordinẽ aliquem hic defendunt, nullam adhuc veriſimilẽ ſatis rationem inuenire potuerãt, ſecundum quam aut reſpõſa reſpõſis iungantur, aut quæ cõfinia iũcta ſint eodem, quæ toto campo diſiuncta diuersò pertinere demonſtrentur: quæ tamen ſi arte digeſta eſſent, artis forma neminem vel mediocriter eruditum latere poſſet. Deinde cum cogantur admittere in eãdem legem paragraphos ſententia diſiunctiſſimos, & ad diuerſos tituli articulos pertinentes, cogi nõne ſatis fatentur, non quam diſpoſitionem res exigebat, ſpectatum, ſed quod vel iuriſcõſultorum ordo, vel lectionis modus primum poſtremúmque obtulerat acceptum, & ſub Rubricis deſcriptum? Quid cùm præpoſiti generis, vnde diſputatio incipere debebat, definitio in medium vel finem reiecta? membra nulla diſtincta, aut planè diuulſa & conturbata? exempla vel ante regulas propoſita, vel a regulis omninò diſiuncta? methodi hic habitam rationem dicemus, an potiùs quo ordine vnicuique compilatorum quodque oblatum, lectum, probatúmque eſt, eodem in medium tãquam ſymbolum quodlam coniectum? Equidem ſic exiſtimo, & iraſci nonnunquam ſoleo, ambitioſam illam feſtinationem, quæ, vt expectationem Iuſtiniani ſeptennio propè (vti factum ipſe teſtatur) præuerterẽt, pleraque confundere, quam aptè ordinéque digerere & diſtribuere Decemuiri illi maluerit. Verùm enimuerò ex hac re illud nobis commodi, ſi diligenter

esse velimus, accedet: quod nos occupando apud se quilibet hanc operam, mirum in modum ingenium nostrum & industriam exercere in Iurisprudentia poterimus, & studij nostri fructus ingentes, nescio an maximos ea titulorum veluti cultura reportare. Quã rationem comparandæ Iurisprudẽtiæ cùm optimam animaduerterent Hebræi, neminẽ antè ad magistratus admittebant (vt testis est Philo) quam legũ omnium breuiarium suo sibi Marte confecisset. Et non absimilem (nisi fallor) operam nos nauare voluit Iustinianus componendo ea, quę παράτιτλα nuncupabantur. Quorum auctoritate & comperta rei vtilitate adductus, sedulò quoque in hanc operam incumbendum nobis censeo, disquirendamque viam, qua commodissimè id fieri à nobis possit. Mihi certè sæpæ & multum hanc rem meditato, variáque experto, nulla vnquam expeditior planiórq; visa est, quàm vt vbi titulum aliquem in manus sumpserimus, primùm inspiciamus, sítne tibi aliquod edictum, vt in multis, vel plebiscitum, vt in lege Aquilia, vel Senatusconsultum, vt de petitione hæreditatis, vel deniq; respõsum alicuius Iurisconsulti, quale est Vlpiani in l. non omnia D. de minorib. xxv. annis, inprimis inquam consideremus, sítne in eo titulo aliquid tale, quod totã eã tractationem tãquam definitione quapiã seu descriptione còmplectatur, ac quo tota referri aptè queat. Quòd si tibi inueniatur illud ante omnia arripiam', & articulatim totũ κατὰ τὴν ἑρμηνευτικὴν διδασκαλίαν explicando (prout in nonnullis, vtinam in pluribus, à Decẽuiris nostris factum est) porrò progrediamur: ita vt regulas primum illas ad suam quamque partem sub ipso digeramus: in quibus tanquam in cardinibus tota ea materia voluitur. Sub istis deinde respõsa collocemus: primum quæ exempla regulæ continent: secundò quæ dubitationem & quæstionem mouent: postremò quæ exceptionem proponunt. Cæterùm si

illa,

illa, in quæ primò oculos coniiciendum dixi, non supersint, consultum est vel nostra illa industria restaurare: in quo diligẽter hac ætate laborauit Eguinarius Baro, editis ea de re Manualium libris: vel titulum in capita primùm distinguamus, ista porrò capita regulis circumscribamus: regulas exẽplis respõsorum illustremus: controuersis deinde & quæstionibus examinemus: postremò vbi vitiatæ officium suum perdant, ostendamus. His rationibus fiet, vt cui titulo semel manum iniecerimus, non antè dimittamus, quàm à capite ad calcem totum excusserimus: & nihil vel cũ detrimento prætereatur, vel cum fastidio repetatur, vel cum confusione perperàm ponatur. Nũc verò vnde nobis hæc opera sit incipiẽda, qua & quò promouenda verbo dicam. Etenim nõ potest mihi satis probari sententiam illorum qui à principio vsque ad extremum Pandectarum & Codicis continuo semper progressu procedi omninò volũt. Nam si hũc cursum teneamus (expertus dico dum ea quæ animo nostro maximè collubent, in longum semper differuntur) ac interim vel in tædiosis, vel inanibus in locis subinde detinemur, nunquam labor noster voto nostro satisfaciet: sed inspicientibus semper quid sit factum, & quantum restet agendum, tædium laboris orietur: & finis desiderium semper veluti refugiẽtis, tempus adeò nobis videri efficiet longum, vt vel fastidio incæptum prorsus deseramus, vel adeò cursum admittamus, vt parum quà iuerimus, quid viderimus, memores, parum admodum ex peregrinatione ista referamus. Attamen nolo vt temerè huc illuc trãseamus, & ad diuersas materias vltrò citróque volitemus: hęc enim studiorum nostrorum προπέτεια, & pręceps conatus parum solida haberet emolumenta: sed cùm ius nostrum in certas materias continenti semper tractatione explicatas sit digestum: vt puta de iudiciis, de pactis & trãsactionibus, de seruitutibus, de rebus cre-

ditis, de pignoribus & hypothecis, de dotibus, de tu-
telis, de testamentis, de legitimis hæreditatibus, de
bonorum possessionibus, de legatis, de vsucapioni-
bus, de interdictis, de exceptionibus, de verborũ obli-
gationibus, de sententiis, de delictis, & similes: ex his,
vt ex vsu esse videbitur, quamlibet primùm pertracte-
mus: deinde vt libebit aliam arripiamus, & deinceps
item aliam, prout suadebit vel studiorum nostrorum
ratio, vel temporis opportunitas, vel animi nostri af-
fectio: præteritis interim, vel potiùs obiter transcur-
sis illis titulis, qui hodiè in Republica exiguam habẽt
vtilitatẽ. Nec est quod cõtra aliquis decretum Iusti-
niani adferat, qui ordinem certum hac in re, Epistola
ad Antecessores data statuit. Eum enim iura præle-
gentibus præscripsit: quos, quia intelligentiæ duces
sunt, vt Græci προηγουμένους, ita ipse Antecessores
appellauit: apud se eam, quam dixi, operam nauanti-
bus non præscripsit. Illi qui vnius vel alterius volun-
tati obsequi non possunt, eum teneant: nos Iustinia-
no lubente hoc animo nostro indulgere possumus, vt
quo primùm libet quoque deinceps ferculo nos ex-
pleamus. Quod eò nobis licebit magis, quia conti-
nuum illum ordinem ne à magistris quidem in præ-
legẽdo exegit, sed quædam quæsita pòst, enarrari an-
tè, & è diuerso anteriore loco collocata posterioribus
annis interpretationem accipere voluit: nonnulla e-
tiam, vtputa de rebus creditis & de iudiciis, prout res
tulerit inuicem, vel præcedere, vel sequi: vt omninò
auctoritate etiã Imperatoris conuincantur, qui con-
sequentem ordinem prorsus deseri nolunt. Porrò dum
hanc operam, ea, qua dixi, ratione capessimus, inge-
nium insuper singulis vt minimùm hebdomadis se-
mel altercationibus de iure exercendum esse, vobis
credo æquè atq; mihi persuasum. Etenim cùm in dis-
ceptando negociorum forensium iure legibus Ro-

manis rectè vti non possimus, nisi earum sententiam ac rationem ita perspectam habeamus, vt quę ad caussam nostram faciant, prudenter ac peritè deligere, & quæ in speciem obstare & officere videntur, subtiliore aliqua interpretatione ab eadem propulsare queamus. ad vtrumque sanè hoc genus exercitij est opportunissimum, neque enim vnquàm mens altiùs & validiùs in res inquirit, quàm quando alios opinionis suæ oppugnatores exspectat: neque vnquam diligentiùs suam sententiam in omnem partem confirmat, quam quando vacillare & fluctuare se sine dedecore non posse intelligit: neque vnquam acutiùs totam rē perspicit, & quid simile, quid non simile sit, animaduertit, quam quando aduersarius vt cedat vrget, ipse contra vt cedere non cogatur, omnes neruos intendit, neque aliud quidquam ad studiorum laborem & alacritatē nos magis impellit, quàm huiusmodi contentio & æmulatio: vt non immeritò ab Hesiodoro dictum sit à Ioue eiusmodi contentionem hominibus inditam tanquam præstans quoddam bonum: quod etiam in errorē alioqui & ignauū, &, vt ait ille, ἀπάλαμον, ad industriam & laborem exstimulet. Quò etiam pertinet elegans illa Porphyrij mythologia: dum Errorē seu Cupidinem Martis & Veneris filium primis aliquot infantiæ annis parum admodū excreuisse ait: donec consilio vsa Themidis, Venus alium peperisset Anterotam: in cuius æmulationē venustissimè ille deinceps & felicissimè adoleuerit, & latentem corporis atque animi indolē mirificè exercuerit. Sanè disputationes scholasticas a forensibus illis altercationibus. (Disputationes etiam Practici vocant) constat non esse alienas: vt in istis scholarum diatritis, ac intra priuatos parietes, puluerem, ac Solem non alia magis ratione meditemur, certóq; pronunciare possimus eum futurum in foro bonum aduocatum, qui strenuus & acutus in scholis extitit dis-

putator. Quanquam itaque non abs re disputandi vsus in omnibus artibus semper fuerit commēdatissimus: in iure tamen tanto debet esse commendatior, quod quum ad percipiēdum alias artes disputatio solùm conferat, ad hanc artem non modò parandam, verùm etiam ad eius opus exercendum & explendum primus ferat. Quam ob causam quisquis studiis suis bene consultum vult, in disputando se diligentem & assiduum præbebit: & ἀνταγωνιστὰς sibi parabit, qui cura conquirere ea satagāt, solertia inuenire possint, arte disponere nórint: per quæ propositæ quæstiones in omnem partem vrgentissimè exagitantur: magistrum verò certaminis deliget non fastigiosum, sed ad suorum progymnasmata paratum ac facilem, industrium, perspicacem, natura denique & arte εὔστοχον ac dexterum. Cæterùm theses principiò ex legibus proponi eas suaserim, ad quas eius argumenti controuersiæ reuocari pleræque possint (clauē materię interpretes nostri vocant) easque ex titulis promi, qui in nostro foro vsum maximum habent, nonnunquam etiam illas, ad quas tanquam ad palum ingenium exercere licet, quamuis vsus sint exigui: vt est respōsum Scæuolæ l. Gallus Aphricani. l. Eius qui: rescriptum. Dioclet. & Maxim. l. Filius quem. aliaque id genus. Prouectis deinde aliquòusque studiis, non iam leges tantùm proponi velim, sed quæstiones etiā, quę ex statuto vel consuetudine. vel ex contrahentium testantiúmue dispositione enatæ, legibus non sunt definitæ: sed legum exemplis prudentumque opinionibus in omnem partem conuerti possunt. Qua exercitatione fiet, vt in nouis negociis, qualia pleraque iam olim Rerumpublic. commutatio, morum diuersitas, hominum fœcunda astutia inuexit, & res ipsa quotidie parit, Iurisprudentia nihilominus Romana feliciter vtamur. & quid consultoribus probabiliter respō-

deamus,

deamus, quo pacto clientibus patrocinemur, nusquã desit. Ea profectò industria doctores nostros Accursium dico, Bartolum, Baldum, Alexandrum, Castrensem, Decium, aliosque eius notæ, potissimùm effecisse credo, vt vcusq; à nemine quidquam rectè dici existimetur, nisi ab illis dictum sit priùs: & in definiendis controuersiis præiudicatæ propè ipsorum sint visiones. Verùm hac de re alio fortasse loco & tempore opportuniùs: nunc hoc solùm admonebo, ne ab illis vos sermonis deterreat barbaries, & elegantiæ neglectus: sed si nusquam rationes legum ciuiliùs excogitatas, nusquàm quę conueniunt, quæ discrepare videntur annotata accuratiùs, nusquam quę dissident conciliata probabiliùs animaduertitis: si deniq; nusquã statuta, consuetudines, pacta, clausulas, siue cautiones enarrari exactiùs, nusquam leges ad nostrum forum vsumque accommodari aptiùs res ipsa loquatur: retinendos vobis & versandos putetis: initio quidem studiorum parcius: & tum maximè, quãdo de iure est disputandum, vel obscurioris responsi sententia eruẽda: postea verò & frequẽter & sedulò, vbi iam mediocri legũ cognitione imbutus animus intimioris prudentię moribus, foroque nostræ Reipub & hominum nostrorum versutissimis cautionibus cõformatæ erit capax. Ita enim se res habet, parum ius nobis Romanum sufficeret, nisi ab huiusmodi viris in multis rerũ experimentis versatis ad vsum nostrum traduceretur. Non sunt itaque huiusmodi viri nobis paruifaciendi, &, quòd cultus linguæ plerisque deest, vt putidi, opici & hircosi reiiciendi: at contrà ob dotes ingenij insignes, labores iurisprudentiæ inexhaustè impensos, maximas vtilitates in commune studiũ collatas, amplectendi, colendi, suspiciẽdi, neque debemus esse adeò inuidi, vt quod ipsi fortasse præstare, & inuenire multo labore potuissemus, ab aliis inuentum & prolatum sine nostro labore doleamus: neque tam arro-

gantes, vt quo ob rerum ciuilium imperitiam, vel laboris fugam, vel ingenij etiam exiguitatē facere ipsi non possemus, facere nos posse iactemus, neque tam maligni, vt quod nostrum esse omnes optaremus, ab aliis in medium allatū carpamus & sugillemus. Scio hîc à me dissentire Budæum & alios quosdam id genus literarum magis humanarum, quam Iuris peritos. qui omnes superioris ætatis interpretes, vt barbaros, inconditos, stupidos ac bardos, è scholis explodendos velut censoria quadam virgula decernunt. At mecum sentit Alciatus Iurisconsultorum vt literarissimus, ita literarorum Iurisconsultissimus: qui in præfatione: quam libris suis de verborum & rerum significatione præmisit, in hunc modum scribit: Conuenit Iuriscōsulto oratoriæ artis scientia, facilioremq; ad ius Quiritium aditum præstat: non tamen corpus efficit, solam eius superficiem colorat. Fuerunt maximi Iurisconsulti Accursius, Battolus, & id genus, alij, qui etiam apud veteres illos locum suum tenere potuissent, quos tamen cōstat ne summis quidem labris alias artes attigisse. Quò fit vt eorum ineptā censuram non possim non admirari, qui grauissimo supercilio, & fluentissima, vt Lucretius ait, scatutigine hoc solùm nomine in eos inuehūtur: quòd bonarum literarū fuerint rudes. Quasi quispiam sanus ideò minoris excellētem Astrologum faciat, quòd Musicam ignoret: Galenum præstantissimum medicum damnet: quòd Geometræ Euclidis circinum nunquam in manus sumpserit. Hactenus Alciatus. Verùm quum Iuris nostri interpretes & numero sint plurimi, & cōmentariorum prolixitate vasti (nam ius ciuile cum glossis Accursianis quinque voluminibus cōtinetur: interpretum commentaria quadringenta volumina explere idem Alciatus suo tempore annotauit:) adeò vt quia omnes legere non possemus, nec fortasse etiā expediret, selectum aliquem facere debeamus: operæprecium

ræprecium est, venustos admodum eiusdem versiculos meminisse, qui ad imitationem Volcatij Sedigiti, qui de Comicis, & Maruli, qui de omnibus Poëtis iudicium tulerunt, de interpretibus iuris nostri sic scribit:

In iure primas comparatus cæteris
Partes habebit Bartolus.
Decisiones ob frequentes actio.
Baldum forensis sustinet.
Non negligenda maximè est tyronibus
Castrensis explanatio.
Opinionum totius symplegadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Iason atque lucis nomine.
Videndus est properantibus.
His si quis alios addiderit interpretes,
Onerat, quàm honorat Venus.

CLAVDII CANTIVNCVLAE IVRISconsulti De ratione studij Legalis Parænesis.

DVÆ sunt exercitationis partes in Iuris studio prudentię: vna audiendi: altera legendi. Licet enim satis responsorum iuris lectio suppeditet: tamen viua illa (vt dicitur) vox alit plenius, præcipueque præceptoris, quem discipuli & ament & vereantur. Alioqui sicut frustra sparseris in agrum semina, nisi illa præmolitus fuerit sulcus: ita iuris cognitio coalescere nequit, nisi sociata

tradentis accipiẽtisque concordia. Ipsa autem lectio magni fructus est, quæ libertate fruitur. vbi siue dubites, siue memoriæ affigere velis, repetere sæpius licet. Legendus autem nõ nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minimè fallat: nec per partes modò scrutanda omnia: sed perlectus locus aut liber nonnunquám ex integro resumendus. Celsus Iuriscõs. tradit, inciuile esse, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula ius proposita iudicare, vel respondere. Sed nos alio loco, qui legẽdi, quiq; sequẽdi sint, declarabim⁹: & de eo extat egregium carmen Alciati. Atqui exercitationem ipsam multò faciliorem leuioremque reddet seruatus ordinati studij modus. Neque enim minima negotij pars est, adeundi negotij viã nosse. Docet Seneca, nõ referre, quam multos libros legas, sed quàm bonos. Varia (inquit) lectio delectat, certa prodest. Tu curas fortè, quãdiu quotidie libris inhæreas: cura potius quàm bene. Ergo vt viam habeas compendiariam, & certas aliquot statuendi rationes, hãc inprimis obseruabis, vt quicquid legas (præter sacrã scripturam, quam volo multum legas, & ex illius præiudiciis leges ciuiles moderari pro viribus connitaris) cęterum quidquid legas, id omne ad tui instituti scopum, hoc est, ad iuris ciuilis disciplinam referas: locis etiam aliquot comparatis, & ordine tibi certo distinctis: neque alia legas, quam huc pertinentia. In eam sententiam accipe Isocratis auctoris grauissimi testimoniũ, Budæo interprete: Quo modo apes videmus variis stirpium germinibus insidentes, ab vnoquoque desumere, quod sibi maxime vsui sit: sic eos, qui doctrinæ desiderio capti sunt, vt nihil intactũ relinquere, sic vndique colligere, quod sit operæpretium, conuenit. Post eam rationem constitutam proximum est, vt prouideantur, ne nouus tyro lectis, campũ ingressus, protinus sese offerentibus animum addicat. Delectus enim habendus est, & ingenij legum scitis non

assueti

assueti vires examinādæ. Quòd si quis iudicio falli timeat: Institutiones Imperiales, ipso Iustiniano auctore, sibi deligat: breues illas quidem, sed faciles & apertas. Eas diligētissimè perlegat, & ex integro semel atque iterum relegere ne pigeat. Est enim latens quædā in his vtilitas, quæ Pandectas vniuersas redditura sit dilucidiores. Atqui videat, dum Institutionibus operam nauat, vti nullius cōmentariis, sed solius sui præceptoris (sicubi hæreat, vel addubitauerit) interpretatione vtatur. Malum enim venenū iuris ciuilis candidato sunt vulgarium scripturientium commentarij: quippe qui immanibus opinionum & allegationum plaustris solcant bonæ spei iuuenes, quantumuis reluctantes, in transuersum agere. Cuius rei declinandæ gratia præformatæ fuerant, quas dixi, breues Institutiones: ne videlicet rerum asperiorū tractatus aut multitudo cœpti studij desertorē efficiat. Etenim via opus est incipientibus: sed ea plana, & cùm ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita. Tertio loco ciuilis disciplinę studiosus, qui iam semel atque iterum Institutiones excusserit, & rerum ipsarum (non enim sola est agenda cura verborum) gustum aliquem senserit, hunc ordinem seruabit: vt generaliores iuris traditiones non segniter adnotet, perdiscat, & quatenus fieri poterit, memoriæ mandet, illasque ab ea sæpius repetat, donec incipiat eas ad manum, in promptu, ac in numerato habere. Huiusmodi generaliores traditiones in tres partes sectæ sunt à Caio Iureconsulto: Omne (inquit) ius, quo vtimur, vel ad personas partinet, vel ad res, vel ad actiones. Cuilibet harum partium certos menses, aut si tam felici fuerit ingenio certos dies saltem dabit is, qui iuri destinatus est, proque sua virili annitetur, ne harum partium studium & tempora confundat, Auspicantibus scribo: prouecti enim & his rebus assueti id

in vniuersum obseruare nequeunt, Quandoquidem sic ferè omnes leges cohęrent, vt æqui & boni norma seruata omnes leges dici valeant vna lex. Verũ vt paulò clariùs, quas diximus, partes explicemus, tribuendos censeo primos menses personarum cognitioni. Illa patriam ac dominicam potestatem, tutelam, eáq; multiplicem, ac magistratus, iurísque ciuilis auctores complectetur. Huc conferendi sunt omnes iuris de personis loquentes: quos mihi nouus tyro obiter & perfunctoriè quidem, sed sic tamen legat: vt generaliorum ac magis vniuersalium doctrinarum habeat rationem: eásque in locos suos, quos parandos admonui, pro suo captu cogat. Verùm in his decerpendis colligendisque videat, ne solum Accursium, aut qui eum secuti sunt, sæpius etiam ipso Accursio deteriores auctores cõsulat, sed vbique fontes petat. Quemadmodum si l. 2 D. de orig iur. intellectum desideret, Liuium, Fenestellam, Ciceronem, & alios priscæ. hoc est, probioris monetæ auctores adeat: neq; formidet illos potiùs, quàm Accursium, & totam suæ hæreseos turbam sequi & amplecti: in quo diligẽti lectione & iudicio opus erit. Ne tamen Scyllam hac in re fugientes in Charybdim incidamus: reiiciendum est præcox & præmaturum iudicium: præsertim si quem nouarũ opinionum morbus, nimiáque libido teneat. Quamuis enim (vt Budæus ait) qui discẽdi cupidi sunt, probatissimi cuiusque scriptoris maiestatem conseruare debeant: si quid tamẽ in eorum cuiusquam libros irrepserit, quod dubitationem moueat, aduocato loco hærẽdum erit: vt cunctarum more iudicium sustineamus potiùs, quàm vt quicquam imprudenti arrogantia statuamus de classicis auctoribus, & citra controuersiam receptæ auctoritatis. Sed & in antiquorum scriptis expendendis, temporum obseruata varietas mirum in modum proficiet, ordine & successu quodam in hoc seruato: vt si de iure Romanorum addubites:

bites: memineris Lacedæmoniorum, Atheniésiumq; iura fuisse priora: deinde leges xij. tab. post quas reliquum ius ciuile & Prætorium & cętera. Similiter si de patrum in liberos, aut dominorum in seruos potestate quæras, temporum ordinem seruabis: quem historici, præsertim qui de Cæsaribus & Repub. Rom. scripsère, ministrabunt: quibus potissimum adiunges Ciceronem, Pædianum & Gellium: qui labor tantò minor erit, quantò viri illi excellentissimi Budæus & Alciatus feliciorem, quam quisquam alius, in hac re operam præstiterunt. Ad huius partis, quæ personarum studium complectetur, exemplum facilè poterunt reliquæ partes, quæ de rebus & actionibus tractant, in suam quoque discendi rationem trahi. Hoc triplici studio generaliori perfecto resumendę erunt generales traditiones, quas in angulos seu locos suos reiiciendas præmonui: hæq; ad singulares legum doctrinas applicãdæ, vt si circa titulum quempiam aut materiam aliquam, generalem regulam in priore studio exceperis, videas, an omnes eiusdem tituli leges ad eã regulam possint referri: aut si quæ non possint, cur id fieri nequeat, quæque sit illius exceptionis ratio, diligenter attende: tum regulam tuam memoriæ commenda, exceptionémque illam separatim: id quum præstiteris, scias te illum titulum rectè excussisse. Post supradictas sectiones, tametsi variç prçceptiones, quę in vniuersum circa ciuilem disciplinam obseruentur, tradi valeant: ex ea tamen farragine hunc centonem æqui bonique facies. Principiò spectare oportet, vt omnia prudentum responsa, omnes denique constitutiones ad simplicis ęquitatis normam, quoad fieri poterit, reflectamus. De Prætorũ edictis nihil dico: quandoquidem id eis pronunciandi genus peculiare semper fuit: ad quorum exemplum satagendum est: vt, quod Cicero de C. Aquilio scriptum reliquit, iuris ciuilis rationum nunquam ab æquitate seiunga-

mus:vt non diſciplinæ ſolùm,ſed natura conſulti videamur:ac ex iure ciuili,non ſcientia ſolùm,vtrum etiam bonitas nata comprobetur:vt deniq; quicquid ex iure haurimus,parum liquidumq́ue ſit: niſi fortè multis graſſantibus opus ſit exẽplo, aut aliqua ex circũſtantiis nos ad ſtrictioris iuris obſeruationẽ cõpellat. Qua in parte videndũ erit, ne clementiæ aut ſeueritatis glòriam affectemus:quin vbi dubio locus erit, pœnas molliamus potiùs quam exaſperem⁹.Imò vſq; adeò vitanda eſt rigidioris interpretationis ſeueritas: vt priùs quàm in re nonihil ancipiti atros calculos in vrnam mittamus,ampliatione vel cõperendinatione vti debeamus,pronunciaréque, NOBIS NON LIQVERE. Quo conſilio vſus eſt Gellius, vt ipſemet refert lib.14.idem & Pomponius I.C.tradit lib.18. ad Edictum. Illud quoque generale fuerit, vt meminerimus,ſcire leges hoc non eſſe,verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem habere. Verbum enim ex legibus ſic accipiendum eſt,tam ex legum ſententia,quam ex verbis:circa quem articulum, diligentem lectorẽ cupio:ne aut verborũ aucupiis (quæ Cicero pro A.Cæcinna egregiè ludit,eleuat,ac reiicit) vtatur, aut nimium in re clara à verbis diſcedat, ſcriptiq́ue ſenſum alio deflectat,quàm quò oporteat.Hinc enim oriuntur periculoſi illi loci, a ſcripto contra ſententiã, & à ſententia contra ſcriptum: Hinc etiam vt barbariſſimæ,& nobili ingenio indigniſſimæ, ita vaferrimæ illæ iuris cautelæ,præcipuum nunc forenſium rabularum pabulum. Sed de hoc alias plura dicendi locus erit:nunc ad reliquas partes accingamur. Si quæras de Iureconſ.& ipſo Accurſio, quæ ſit mea ſententia: qui videlicet legendi potiſſimum, & quatenus eorum dicta ſequenda ſint,ſic habeto.Primùm omnium nõ arbitror me interrogari de veteribus illis Iuriſcõſultis, qui Pandectis coagmentandis ſua ſymbola cõſulere: quorum nomina & lucũbrationes in quadã epiſtola refert

refert vir ætate sua doctiſsimus Aug. Politianus. Hos enim fuiſſe constat viros omni genere literarum instructiſsimos, gratuitam, non quæstuariam Iuriſprudentiam habeates: qui in publicum quotidie prodeuntes vnicuique ciui conſulendos ſe antiquo instituto præbebant, & tanquam oracula iustitiæ promebant, hoc est, reſponſa boni & æqui plena. De his nil aliud iam dico, quàm deberi illis omnia quæcunque præclara ſunt in ciuili prudentia. Quorum ſcripta, hoc est, Pandectas ipſas, ſi quis cum Accurſij & aliorum recentiorum (Alciatum & Zaſium primi nominis iuriſconſultos excipio) ſcholiis, gloſſematis & commentariis conferat, videbit illic aureum quoddã ire flumen: hîc tenues quoſdam riuulos, eoſque nec puros admodum nec ſuo fonti reſpondentes. Illîc ſolidis fundamẽtis innixum ædificium ſurgit in altum: hîc futilibus interdum argutiis, aut etiam adulationibus (præſertim in Conſiliis, vt vocant) ſuperstructa machina tollitur in immenſum. Illîc velut in feliciſs. hortis affatim tum oblectaberis, tum expleberis: dum hic inter ſpineta sterilia (niſi ex loculorum tuorum arte qualibet augendorum compendio, studium tuũ metiri velis) miſerè dilaceraris ac torqueris. Illîc maiestatis plena omnia: hîc adeò nihil ſplendidũ, vt pleraque ſordida, parumque digna dignitate legali comperias. Tametſi ipſum Accurſium, Bartolũ, Baldum, & eius claſsis interpretes, ſublimis ingenij, acerrimi etiam iudicij in legum ſententiis vestigandis (quatenas videlicet ſine antiquitatis, ſine bonorum auctorum, ſine historiarum, aliarumque diſciplinarum notitia præstare potuit) tum verò fideliſsimæ memoriæ fuiſſe, nemo est qui iure negare valeat: atque adeò quicquid in eorum operibus vitioſum est: id omne illorum temporum infelicitati acceptum est ferẽdum. Perierant enim aſsiduis bellis non ſolùm græcæ literæ, ſed & Latinæ: nec eorum ingenia, ſed tempora

degenerabāt. Immo ne illud quidem ibimus inficias: hos recentiores interpretes nō tantū inutilium glossarum congessisse: quin simul intulerint pleraque honoris commendatione digna. Tenebris enim iuris quantum potuēre, succurrerunt: & inueniendi meliora campum aperuerunt: vt etiam per illorum errores doceamur. Atqui fatendum est ingenuè, eorum doctrinas, quoties declinârint à via, vel distinguēdas esse, vel cum temperamento accipiendas: ac tum illis esse auscultandum, vbi Vlpianum, Papinianum, & alios veterum Iurisperitorum proceres, nō modò ipsis auscultasse, sed etiam exaudisse videbuntur. Cæterùm opinionum fluctus, aut veriùs fumos, summo conatu iuris ciuilis studiosus adolescens euitabit: non secus ac cyparissi fructus, aut cæca insomnia, ne quid durius dicam: ipse me in alia, quam prius habuerim, opinione nunc esse confiteor. Et fortassè minus viri ligatorum hoc consilium erat habiturum, si nihil ex eo mutassem, quod multis annis non sensissem modò, verùm etiam probassem. Sed non sustineo esse conscius mihi dissimulāti in vlla parte iudicij mei, in eo præsertim, quod ad bonorum iuuenum vtilitatem, quantumuis tumultuariè, congessi. Etenim superuacuus foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius inuenire præteritis: atque ob eam causam tot ac tantos scriptores non pigebit meam quibusdam locis posuisse sentētiam. Nec enim me cuidam sectæ velut quadam superstitione imbutus, addixi: nèc in alicuius quantumlibet celebratæ famæ verba iuraui. Sed vt de opinionibus dicam, prima sit cura, ne id statim legenti persuasum sit, omnia quæ omnes iuris possessores dixēre, vtique esse perfecta. Nam & sæpè labāt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, & oneri cedunt ac fatigantur, nec semper intendūt animum. Vnde iis, qui quicquid apud illos repererunt, æqui & boni legem esse putant, accidit. vt deteriora imitentur

tur. (Id enim est facile) ac se abunde similes putent, si vitia magnorum consequantur. Neque minus habebit periculi, si quis sese alicui, quem per omnia sequatur, velut religione quadam astringere velit: sic vt nefas ducat, a suscepta semel persuasione dissentire. Quod hodie factitant complures: quorum nonnulli adeò se addixere Bartoli placitis, aut Panormitani decretis: vt malint etiam aliquando falsa tueri, quam ab horum dogmatis latum (vt aiunt) vnguem discedere: haud dissimiles infantibus, &, vt quidã dicere solẽt, quem mater amittum dedit, solicitè custodientibus: eóque progressum est, vt quenque pro suæ hæreseos opinionibus acriùs depugnare non pudeat, magno interim clientum & dãno & malo. Ob eas causas omnes nolim Iuris auditorem in cuiusquam iurare leges. Maius enim opus atque præstantius, ad quod ipse tendit, & cuius est velut cãdidatus, siquidem est futurus ciuilis Iurisprudentię laude perfectus. Illud autem optauerim, vt nouus tyro, huiusmodi anfractibus omissis, purgatis & arrectis auribus sese ad textuũ intelligentiam conferat. Quæ quidẽ ita comparabitur, si iuris studiosus plurima rerum cognitione diues, & expensis cum iudicio iis, quæ de circumstantiis, volũtatis coniecturis, ac verborum differentiis pręcipiuntur, scita legalia ac actus humanos secundum æqui & boni regulam accommodare consuescat: sic tamẽ vt Lesbios fabros nõ imitetur plumbeam normam pro arbitratu (vt Budæus ait) flexibilem, & subinde immutabilem habentes, vt interdũ si lapidis natura non facile ad structuram inflectant: & structurę normam, non normæ structuram coaptent: quo in Iurisconsulti dictis aut factis nihil iniquius esse potest. Quin & illud admonendus est ciuilis prudentiæ candidatus, vt apposité citare condiscat scriptæ legis testimonia, nõ è Summulis, aut Elenchis, aut sordidis iudicibus, seu (vt vocant) Repertoriis, Repetitionibus, Consiliis,

Singularibus, aut aliis id genus collectaneis iam sexenties aliũde aliò confusis ac refusis:sed ex ipsis fontibus:neque imitetur quosdã,quos non pudet sapientissima veterum Iurisconsultorum responsa violenter retorquere ad alios sensus aliquoties, & ad cõtrarios. Sunt qui vel Bartoli,vel Iasonis, vel alicuius alterius decreta afferunt: & vulgaribus infecti opinionibus. his seruire cogunt vel Prætorum edicta, vel æquissimas Iureconsul. interpretationes: cùm ex his potiùs petenda sit negocij controuersi iustitia. Postremum est, vt de iuris ciuilis diuisionibus nonnihil proferamus. Qui iuris ciuilis partes euoluerit, non dubium est,quin exploratum habeat,frequentes esse in legali disciplina diuisiones: quandoquidem & multum valent iis,quæ didicimus,continendis:& faciliorẽ viam ad singularum rerum intellectum præparant. Nã qui rectè diuiserit,nunquam poterit in rerum ordine errare. Certa enim sunt in omni diuisione,si modò rectè distinxerimus prima ac secunda,& deinceps:cohærétque istic distributa rerum computatio: adeò vt ei nihil subtrahi, sine manifesto intellectu, nec inseri possit. Erit autem diuisio primùm aperta atque dilucida. nam quid est turpius,quàm id esse obscurum ipsum,quod in eum solum adhibetur vsum, ne sint cætera obscura? Tum breuis, nec vllo superuacuo onerata verbo. nam in diuisionibus nõ quid dicamus, sed quid dicturi sumus,ostendimus. Obtinendum etiam, ne quid in ea desit,ne quid supersit. Sic etiam iuris studiosum reficit certo singularum partium fine, nõ aliter,quàm facientibus iter multum detrahunt fatigationis notata in scriptis lapidibus spatia. Nam & exhaustis laboribus nosse mensurã voluptati est: & hortatur ad reliqua fortiùs exequenda, scire quantũ supersit. nihil enim longum videri necesse est, in quo, quid vltimum sit,certum est. At qui è regione prouidendum,ne quosdam imitemur, qui inani diligentia

permi-

per minutiſsimas partes omnia ſecāt. Nihil enim dilucidæ diuiſioni æquè contrarium eſt, ac tenuis illa & ſcrupuloſa in partes ſectæ diuiſionis diligētia. In qua re vbi ſunt Iuriſtæ noſtri: qui quātò plura membra diuidūt & ſubdiuidunt, tantò videntur inſigniores, cū interim propemodum aliud nihil agunt, quam quod ſæpiùs in re alioqui aperta & conſpicua Cymmerias tenebras, & confuſiſsimum chaos inuehunt. Tum verò auctoritati plurimum detrahunt minuta illa, nec iam membra, ſed fruſtra: & huius gloriæ cupidi, quò ſubtiliùs & copioſiùs diuiſiſſe videantur, & superuacua aſſumunt, & quæ natura ſingularia ſunt, ſciunt. nec tam plura faciunt, quam minora: deinde cùm fecerint mille particulas, in eandem incidunt obſcuritatem, contra quā diuiſio inuenta eſt. Quæ res, quantumuis exiguum initiò malum, eò progreſſa eſt, vt iuris ſtudioſi toties deuidentes, & iterum atque iterum ſubdiuidentes, Mandrabuli more in deterius abeuntes nonnunquam mirentur, ſe multa quidem legiſſe, & in eodē tamen luto (quod aiūt) hæſitare: ſicque hæſitare, vt nullus inter eos iure non valeat aduerſus hos ſubtiles ſubdiuiſores, Socratis vti quærimonia. Is apud Platonē in Hippia minore ſic ait, Circa hæc ſemper ſurſum deorſum reuoluor: nec in eadem perſiſto ſententia: neque mirum eſt, me rudéſque alios ad cōtraria circumuagari: & ſi ſapiētes vos oberretis. Id autem nobis graue malum, ſi neque etiam ad vos profecti errare ceſſemus. Hæc ille. Sed quoniam exercitatio maxima eſt ars memoriæ, quæ rectè cōpoſitis diuiſionibus plurimum fouetur, non erit inutile, ſi iuris ciuilis candidatus, ſeſe non ſolū iis diuiſionibus, quas in Pandectis aut aliis iuris voluminibus repererit, ſed & illis, quas ipſe ſuo ſibi Marte comparauerit, effingeritque nonnunquam, exerceat, ſic tamen, vt conetur diuiſionem coercere, ne extra numerum ternariū effluat, quod ea res pleruque turbat & ordinem, & me-

moriam. Qua in parte subiectæ materiæ, quam partiri volumus, ratio habebitur. Neque enim, vt Fabius docet, hoc numero velut lege est alliganda diuisio: cũ possit causa plures partes considerare.

aucl. damn

CHRISTOPHORI HEGENDORPHINI I.C.

Fragmentum

Ex Epitoma Tyrocinij iuris ciuilis.

PLato libro de Republ. sexto scribit, Principium totius negocij dimidiũ, prouerbio dici: ac quod bene cœpisse ab omnibus vbique laudetur. Proinde iuuenis candidatus iuris monendus est, quę & quo ordine primam legere & audire omnia, & sic iuris studiũ auspicari debeat. Nam hac ratione futurum arbitror, vt non solũ laudetur, sed & studiis suis optimè cõsultum esse cognoscat. Primùm igitur omnium iuris studiosus vt legat & audiat titulum Pãdectarum de verborum significatione. Nam ex illo significatus vocum, quæ in iure ciuili sunt tritæ & vsitatæ, cognoscet: & plurima tãdem in legibus sine magno negocio intelliget. Qui titulus cùm doctissimis & magno iudicio conscriptis cõmentariis Alciati illustratus sit, vt nullus alius adsit præceptor, a iuuene honestis studiis imbuto intelligi poterit. Cui titulo iuuenis addat eruditissimum Lexicon iuris ciuilis Iacobi Spiegelij Iurecõs. clari. ex quo etiam plurima, quæ ad leges rectè intelligendas conducibilia esse possunt, cognoscet. Quòd si etiam his

Lexicon

Lexicon Nebrissensis adiungere voluerit, sanè ei per me licebit. Simul ac autem iuuenis in rebus aliquandiu diligenter versatus est: attingere poteri Institutiones Iustini. Nam cùm illæ sint, vt Imper. loquitur. prima legum cunabula, & totius legitimæ sciẽtiæ prima elementa: meritò à iuuene, qui iam vocum iuris ciuilis non ignarus est, adiunguntur. Quibus sanè Institu. legendis & audiẽdis iuuenes ita se gerat: primò, vt titulorum rationem exactè teneat: deinde vt quæ in singulis parapraphis traduntur, quam simplicissimè intelligat: ad extremum, vt Institutiones verbatim metim complectatur. Quòd si etiam Glossographos iuuenis adhibere volet: adhibeat eos, qui eas quam simplicissimè explicarunt: inter quos facilè primas tenẽt Ioannes Faber interpres vetus, & nostro seculo Ioan. Ferrarius. Nam Angelus & alij quidam, plura iusto, & quidem sine omni iudicio congerunt: quanquàm Institutiones Græcæ Theophili profectò facilè omnes omnium interpretum commentarios superant. Nam in illis nihil est ociosum, nihil obscurum, breuiter nihil est quod à diligẽte & erudito interprete requiras. Vbi autem iuuenis aliquãtum temporis spacium discendis Institutionibus impendit. Regulas iuris in manus sumat, in quibus quoque non est quod longos cõmentarios desideret: satis sit ei, si illas simpliciter intelligat. Quòd si his, quæ à suo præceptore in illas dictari audit, etiam Scholia Philippi Decij accommodare voluerit non malè studium collocabit suum. Nã Decius in suis commentariis adolescentibus rudibus cõsulere voluisse videtur. Cùm verò iuuenis his in rebus aliquandiu oleum & operam suam absumpsit, recta Codicem Iustiniani adeat: in quo vel audiendo, si ei præceptoris copia est, vel priuato Marte legẽdo, in hoc incumbat, vt titulorum elenchos intelligat. Etenim sic futurum est, vt si aliquando aliqua de re controuersia moueatur, mox illi in mentem veniat, quo

in titulo Codicis de illa controuersia aliquod scriptũ extet. Quòd si iam etiam aut Glossas Accursij, aut aliorum consulere voluerit, integrum illi est: sed ea lege & conditione, vt vbi à præceptore Glossas paucis explicatas habet, domum reuersus singulas leges, quę à Glossis adferuntur, diligẽter & intelligat, & memoriæ infigat. Nec obsto iuueni, quò minùs, dum in Codice versatur, Summam Azonis adhibeat. Etenim ex ea & Titulorum argumenta condiscet, & quæ in Titulis sunt τὰ κεφάλαια, obseruare poterit. Extant quoque in Codicem Placentini vetustissimi Iureconsul. Paratitla. i. Summæ & titulariæ expositiones, quæ iuueni etiam non parùm frugiferæ esse poterunt. Cùm autem iuuenis in Codice satis temporis cõtriuit: tùm demum Pandectarum libros vel audiat, vel legat: in quibus hoc quod in Codice aut audiendo, aut agendo minui: curabit, vt Titulos perspectos habeat: ac quamuis hìc vberioribus commẽtariis locus esse possit, tamen etiam illorum modum esse velim: nam ea quæ à præceptoribus non dictantur, iuuenis priuato aliquando studio, si vsus venerit, euoluere poterit. Ac hoc quidem ordine iuuenẽ in iuris ciuilis studio progredi volo. Verùm hoc quoque iuuenis curabit, vt si præceptorem ex animi sui sententia nactus est, eo cõtentus sit. Etenim inter professores hoc non raró accidit, vt alter ab altero de industria dissentiat: & hoc ipsum, non tam studio eruendæ veritatis, quàm vt se alter altero doctiorum ostẽdat, aut auditorum etiam multitudinem ad se pertrahat. Cùm verò iuuenis hoc quod ab vno affirmari audiuit, ab altero infirmari audit, incertus animi sit, vtri potiùs habenda sit fides: & non raró illa dissensio professorum, aut prodigiosas opiniones parit: aut bona ingenia à studio iuris absterret. Quis enim hoc studium libenter vrgere volet, in quo tot & tantę in vna etiam lege explicanda, & alia quapiam re dissensiones oriuntur. Neque etiã iuuenis

uenis se vno die nimis multis prælectionibus oneret: sed maximè vtilibus & necessariis contentus, quod reliquum est temporis vel repetitioni, vel domesticis progymnasmatis impendat. Etenim, vt Martialis ait, nusquam habitat, qui vbique habitat. Ita quoque fieri non potest, vt in nouis studiosus iuris fructum laboribus suis dignum petat, qui vbique adest auditor, & omnia sine discrimine auditoria perreptat. Inter repetendum autem iuuenis, qui iam vel Codicem, vel Pandectarum libros audire & legere cœpit, ita se geret. Primùm, vt dixi, videat, an Titulum rectè intelligat: deinde vbi ad leges ventum est, secum diligẽter expendat, an thema, quod a præceptore ad legẽ produci audiuit, rectè quadret: præterea videat, vt legis verba omnia probè percipiat: quòd si aliquæ leges à Glossa adductæ sint, illicò ad leges accurrat, & accuratè perpendat, quàm aptè, & quam in loco sint productæ. Quòd si aliqua à præceptore excipit, quæ ad legem vel intelligendam, vel illustrandam faciunt, ea quoque ne negligat, sed legat relegatque. Ad extremum, vbi aliquandiu ita secum repetiuit omnia surgat, & inambulando secum cogitet, quid legerit: & tunc legem vnam atque alteram memoriæ mandet: ac si quid preterea à præceptore vel dici audiuerit, vel à dictante excepit, in memoriæ thesaurum deponat: & quæ semel edidicit, subinde a se exigat: vt si forte illi excederunt, in memoriam reuocare possit. Hac ratione futurũ est, vt indies pauca ediscendo, breui amplissimum & legum, & aliarum rerũ cumulum in memoria secum circumlaturus sit. Sequitur deinde, qui interpretes emendi, & quo iudicio legendi. Socrates quidem apud Platonem in Protagora disputat: grauius esse periculum in disciplinis & libris, quam in emendis cibis: quòd qui cibos emat, possit eos vasculis exceptos domum deferre, & priùsquam vtatur diligẽter secum expendere, & vti etiam medicorum consi-

lio, quibus vtendum, quibus non vtendum sit: cæterùm qui disciplinas & libros emat, non queat in vase aliquo excipere, sed necesse sit, vt qui illos emit, animo imprimat, & relicto precio habeat: quò fiat, vt sæpe prius prauis & ineptis opinionibus mēs nostra inquinetur, quàm sentiam[9]. Id quod interpretibus iuris ciuilis emendis non rarò accidit. Nā dū quoslibet sine omni delectu ac iudicio, & emimus, & legimus, fit vt sæpè ineptissimis opinionibus cōtaminemur: quas semel conceptas, non vllo tempore ex animo excutere possumus. Nam norunt hi, qui interpretes iuris legerunt, quàm ineptæ & stultæ, & prauæ opiniones etiam non rarò ab illis pertinacissimè sub legum miserè tortarum prætextu defendantur. Quare ne iuuenis emēdis quibuslibet interpretibus iuris ciuilis, aut stolidas aut prauas etiam opiniones deuoret, paucis hîc illis ostendere volo, & qui interpretes in primis emendi, & quo iudicio legendi sint. Ex his præcipuos hos esse arbitror, Bartolum, Baldum, Paulum de Castro, Iasonem, Alexandrum Imolensem, de quibus extat elogium Alciati lib. Parerg. 2. quibus etiam addo Decium, Alciatum & Zasium, de quibus quid sentiēdum sit, amplius in præsenti pronunciare nolo. nam vereor, ne mihi vitio verti possint, quod de tātis viris pronunciare velim. Porrò in interpretibus veteribus legēdis, hos canones iuuenis obseruet. Primùm inciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula proposita iudicare vel respondere. Qua lege Cels. I.C. admoniti iuuenes in interpretibus veteribus diligenter obseruabunt, an etiam leges totas perspexerint, an verò vnam aliquam particulam ex illis excerpserint. Secundò in interpretibus obseruet iuuenis, an in legibus etiam probè verborum proprietatem intellexerint: quòd si verba ab illis non satis intellecta vel audierint, vel ipsi animaduerterint, non tutum est illorum interpretationi stare. Nam a propria verborum

significa-

significatione non temerè recedendum est: nisi eis ea sermonis vel absurditas, vel ineptitudo, vel iniquitas oriatur: vel cùm perspicuè, quæ mens loquẽtis fuerit, colligamus. Tertiò, In interpretibus iuuenis animaduertat, an etiam legis exemplo Sulpitij Iurisconsulti æquitatem explicent, an magis Iurisconsulti, quàm iustitiæ sint. nam sunt quidam ἀκριβοδίκαιοι, vt Aristotelis verbo vtar: qui plus æquo verbis innitentes mentem & voluntatem legum prorsus negligũt: qui profectò hac in re fugiendi sunt. nam dum nimis iuris studiosi esse volunt, in summam sæpè iniuriam incidunt: iuxta illud Terẽtij: Sũmum ius, summa iniuria: & illud Columellæ: Summum ius, summa crux. Quartò interpretationes Bartoli, Baldi, & aliorũ Doctorum nostræ ætatis eatenus recipiẽdas sciat, quatenus aut lege, aut ratione probantur, ex sentẽtia Panormitani c. j. de postula prælat. nã Doctorum seculi nostri exegeses probabiles, non necessarias esse affirmat Glo. in l j. C. de legib. Quintò quando doctorum variæ occurrunt opiniones: tũtũ est eas sequi, quæ rationi quàm maximè sunt consentaneæ, ex sententia Ioan. Fabri Institu de iure nat. gent. & ciuil. §. responsa. Cæterùm quando opinio aliqua communibus suffragiis approbata est, & ex lege aliqua vel ratione euidenti probari potest: nec constat, quòd aut alicui legi, aut rationi euidenti aduersetur: ea sanè mordicùs tenenda, neque nouanda est, per Gloss. in l. minimè. D. de legib. Sextò optima legum interpres consuetudo est, per l. si de interpretatione. D. de legib. Quare si iuuenis aut audiuerit, aut ipse senserit alicuius doctoris interpretationem à recepta cõsuetudine recedere, non tutò illam sequi poterit. Septimò minimè sunt mutanda, quæ semper certam interpretationem habuerant. d. l. minimè. Proinde si iuuenis & legẽ aliquam semper certam quandam interpretationẽ habuisse, quamuis non apertè id, ad quod allegatur, al-

ſerat, comperetit, non facilè ab illa interpretatione deflectere t: arg. l. ſi quando. C. de teſtamen. Poſtremò non eſt tolerandus; qui clara verba legis pro ſuo interpretari arbitrio velit. l. quicquid in reſponſo. D. de verbo. oblig. Porrò quæ progymnaſmata iuueni ciuilis iuris ſtudioſo amplectenda ſint, videndum eſt. Ac Vegetias quidam libro de re militari primo docet, tyrones & rudes milites priùs variis ſtudiis & rebus exercendos eſſe, quam ad iuſta prælia admittantur. Mea quoque hæc eſt ratio, iuuenes iuris ciuilis ſtudioſos variis progymnaſmatis, veluti σκιαμαχίαις quibuſdam, in vmbra præludere debere, priùs quàm in aciẽ prodeant. Nã infeliciter ferè aut in foro cauſas agũt, aut in publico dicunt, aut etiam in ſcholis docẽt, qui non domeſticis exercitiis ſe excoluerunt. Proponam autem progymnaſmata quædam, quę iuuenibus, qui aliquando ad cauſidicos, aut profeſſores iuris agere voluerint, non parum profutura ſpero. Primùm non malè ſtudiis ſuis conſulent iuuenes, ſi interdiu ſtato tẽpore alicubi inter ſe conuenerint, & quę quiſq; aut à pceptore ſuo publicè audiuit, aut priuatim legit, in mediũ cõtulerint, & quomodo alij illa & acceperint, & accipienda putent, diligẽter inquiſiuerint. Etenim hac ratione futurũ eſt, vt vnuſquiſq; ea, quæ vel audiuit, vel legit ipſe, & rectiùs intelligat, & tenaciùs memoriæ infigat: ac ea, quę ab aliis proferuntur, lucri loco domum ſecum auferat Secundò aliquando etiam iuuenes ſtudioſi confluant, & thematibus propoſitis diſputationes priuatas inſtituant. Eligant autem themata, & quæ minimè intricata ſunt, & quæ ad vſum forenſem, & ad dicendũ in publico ipſis vſui eſſe poſſunt: interdum etiam thema aliquod methodicè tractatum inter ſe diſputent: nonnunquã de vocibus quibuſdam & orationibus a veteribus Iuriſconſ. vſurpatis: vt quæ res promeriales a Paulo dicantur, & quis Paganus a Calliſtrato: & quid ſit longa manu tradere

apud

apud Iabolenum: item an propriè Vlpianus dixerit, etsi non in assem: in aliquid tamen satisfecere. Tertiò valde conducibile iuris ciuilis studiosis esse reor, si aliquando leges, quæ inter se pugnare videntur, in concordiam redigere laborent: ad quam rem eis plurimũ proderint ea, quæ Fab. Quintilianus lib. 7. de contrariis legibus disserit. Quòd si ἀντινομία difficilior est, quàm vt ab his dissolui queat, præceptorem rogent, vt is illam redigat in concordiam, & dissoluat, Quartò iuuenes non solùm priuatim, sed etiam publicè inter se ciuiliter decernant: & hoc ipsum præsentibus præceptoribus: qui, si forsitan iuuenes aut leges non aptè produxerint, aut non satis prudenter ratiocinati fuerint, admoneant eos, & errantes in rectam viam reuocent. Cæterùm vt iuuenes & ad priuatas & publicas disputationes paratiores esse possint: volo Topica Ciceronis bene cognita & meditata habeãt: quod si verò iuuenes non semper inter angustos Dialecticorum limites in disputando constricti esse, sed latiù, paululum euagari, & populari dicendi genere auditorum animos delinire volunt, id facere poterũt: modò vt in peroratione caput argumenti in formam syllogisticam redigant: nam hac ratione tam aganotheta, quam auditores & vim argumenti, & quę ornatus gratia accesserũt, clariùs intelligent. Quintò non arbitror quoque inutile iuris ciuilis studiosis fore, si in dies singulos vesperi conueniant: & quę vnusquisque illorum isto die aut digna memoratu audierit, aut priuatim legerit, memoriter dicat. Etenim hoc exercitij genere iuuenes & memoriam, quã Crassus apud Cic. in Iurisconsulto præter cętera maximè requirit, excolent: & quæ ab aliis in medium, veluti symbola, conferuntur, domum quoque secum asportabunt Inprimis autem velim, vt iuuenes aut ex Institut. Iustiniani aliquot §§. aut aliquot regulas iuris, aut leges aliquot in medium quotidie cõferant. Ferent Titũ Vespasia-

num, cùm quodam die inter cœnam recordatus esset, quòd nemini ex amicis illo die quicquam præstitisset, dixisse: Hodie diem perdidi. Sic iuuenes se quoque diem illum prorsus perdidisse credant, quo non aliquid ex legum penu in commune cōtulerint. Sextò vt iuuenes aliquando in consultationibus & priuatis, & publicis se felicius gerāt, ex re illorum fore puto, si se domi suę subinde declamationibus suasoriis & dissuasoriis exerceant. Etenim vmbratili hoc declamandi studio, vires quasdam ad suadendum in publico colligent. Ac quando iura ciuilia hac gratia ferè hoc præsertim seculo discuntur, vt aliquando in foro causas agere possimus: iuuenes curabunt, vt aliquando vel præceptoribus suis causam agentibus, vel aliis facundis & peritis cognitoribus adsint, a quibus rationem & consuetudinem forensem quoque discāt. Cæterùm vt iuuenes aliquādo in forum prodire possint, illis valde conducibile erit si ratione forensi vtcūq; cognita, intra domesticos parietes, inter se causas agere meditētur: ita vt vnus actoris, alter rei partes defendat, constituto quodam iudice, qui tandem de causa vltrò citróque iactata pronūciet: ad quod exercitij genus cùm vulgares Practicæ, tum commentarij Zasij in tit. Instit. de actio. valde iuuenibus profuturi sunt. Postremò de locis communibus comparandis aliquid addendum esse iudico. Rectè enim Imperator Iustinianus in l. 2 §. si quid autem. C. de vete. iur. enu-
7 cle. Omnium (inquit) habere memoriam, diuinitatis magis, quam mortalitatis est. Ac proinde cú iuuenes illorum omnium, quæ vel audiunt, vel legunt in iure ciuili, meminisse non queant, optimè sibi consulent, si locos quosdam cōmunes instructos habeāt, in quos & ea quæ audiunt, & quæ priuatim legūt, congerere possint: ex quibus ea, quæ obliti sunt, sine magno negocio expromant. Ac quamuis quilibet pro suo ingenio locos facile sibi comparare queat: tamē, vt iu-

uenibus prorsus rudibus consulam, locorum quorundam tumultuariam farraginem hic congeram.

LOCI COMMVNES IVRIS ciuilis.

Actio
Actor
Actus
Reus
Exceptio
Dominium
Obligatio
Absentia
Accessorium
Accipere
Adulteium
Adulter
Annulus
Assessor
Arma
Annus
Actus
Arrogare
Argumentum
Approbare
Arbiter
Arbitrator
Bona
Bona fides
Beneficium
Bellum
Cessio bonorũ
Consuetudo
Cautio
Commodum

Conditio
Contractus
Culpa
Clam, Palàm
Concissio.
Causa
Contrarium
Constitutio
Creditor
Contrahere
Cautio
Dolus
Definitio
Damnum
Delictum
Donatio
Dominium
Delegatus iudex
Subdelegatus
Ordinarius iudex
Domus
Domicilium
Dos
Donatio ob nuptias
Damnare
Absoluere
Edere

Error
Expensarum æstimatio
Emere
Vendere
Emptio
Ætas
Electio
Ecclesia
Epistola
Exhæredatio
Executio
Fallacia
Fides
Furtum
Fœnerator
Furiosus
Filius
Filiusfamilias
Fideiussor
Fœmina
Frater
Fiscus
Fama
Feudum
Generalis
Genus
Grex
Gratis
Gradus

Glossa
Hostes
Habitus
Honestum
Homo
Hæreditas
Hæres.
Impossibile.
Impubes
Iinteresse
In ius vocare
Iurisdictio
Infans
Imperator
Infamia
Iusiurandum
Iudæus
Incidens,Emergens
Informare
Infinitum
Ius
Iura
Iniuria
Ignorantia
Interdicta
Interpretatio
Impubes
Indefinita propositio
Instrumentum
Imperiũ
Iudicium
Interruptio
Ira
Ludus

Legatum, Testamentum
Liberi
Libertas
Libertus
Lex
Libellus
Labor
Laus
Locutio
Legitimus
Latinitas
Litis' cõtestatio
Litera
Mandatum
Matrimonium
Mora Mors
Manifestum
Magistratus
Minor
Mens
Metallũ
Mater
Mulier
Meretrix
Munus
Maritus
Moneta
Medicus
Mola
Maior pars
Mutuum
Meum tuum
Moratoř
Medium
Nnncius

Necessitas
Negocia
Negatiua
Nuptiæ
Notoria
NoxDies
Negociorũ gestor
Odium
Obligatio
Officium
Possessio
Priuilegium
Postulare
Prohibitum
Puer
Procurator
Patria
Periurus
Præsumptio
Præscriptio
Peregrinus
Probatio
Pauper
Patronus
Presbiter
Papa
Pactum
Promissum
Permutatio
Precia rerum
Pecunia
Princeps
Pœna
Potestas
Prætor

Prodigus

Prodigus
Penſio
Res
Roma
Ratio
Ruſticus
Rector
Religioſus
Renunciare
Reus
Repudium
Reſcriptum
Reſpublica
Res priuata
Reditus
Reſtitutio
Ratum irritum
Senex
Scriptum
Sentẽtia
Simplex
Socer
Societas
Sponſus
Spõſalia
Spoliatus
Spurius
Solutio
Scriptor
Scriptura
Senatuſcõſultũ
Sacerdos
Succeſſio
Suſpicio
Tutor
Tutela
Teſtamentum
Teſtes
Tempus
Totum
Traditio
Tranſactio
Theſaurus
Tributum
Titulus
Vſus
Vſusfructus
Vnus
Via
Vſuræ
Verba
Valetudo
Vitioſum
Vitium
Vir
Vxor
Vis
Venditio
Virtus
Vaſallus
Vidua
Veſtes
Voluntas
Virgo, & quædam alia non pauca.

Cæterùm præter hos liberum erit & alios quoſdam locos amœniores parare: veluti formularum dicendi & Græciſmorũ & παροιμιῶν, & Troporũ aliarũq; figurarum, & argumentationũ, & ſententiarum ſiue Gnomarũ ex Græcis & Latinis ſcriptoribus depromptarum, aut aliorũ præceptorũ œconomicorũ & Politicorum & Ethicorum a Iuriſcõ. præſcriptorẽ, & denique omnium verborum & vocum iuris ciuilis propriarum quarum non paucas enumerat Alciatus lib. 4. D. de verborũ ſignificationibus: poſtremò & thematum ſiue problematum in quibus Iuriſconſulti veteres aut reſponſis variarunt, aut plerunque dubitarũt, & nihil certi reſponderunt: de quibus aliàs fuſiùs dictum eſt.

MATTHAEI GRIBALDI IVRISCONS. De methodo ac ratione studendi in iure

παραγγέλματα.

OMnis disciplinæ progressus, à generalibus præceptis rectè deducitur: quæ veluti cuiusque artis fundamenta, ad omnium specierum atq; indiuiduorum cognitionem ita necessaria sunt, vt neque ignorari, neque in dubium reuocari debeant. Planè ignorari vniuersalia, vel maximè in iure cognoscendo non possunt, sine quibus ad particularium notitiam minimè peruenitur: Reuocari in dubium non debent, quum vel ipsa luce sint clariora, vel notius supra se habeât nihil: ex quo principia, & prima iuris præcepta appellãtur: quibus ignoratis, quis tam præcipitis iudicij tam impudentis animi inuenietur, qui se Iuriscõsultum profiteri audeat, & qui de iure palàm consulere vel respondere præsumat? Prima igitur hæc cura & cogitatio esse debet iuris studiosi, de his, quę generalia sunt, & in vniuersum tradita, priùs cognoscendis, quàm ad specialia singulariaque descendatur. Altera hæc est, vt causas & rationes diligenter peruestiget: quippe quum nihil ius ciuile profitentibus ad perfectam eruditionem consequendam vtilius sit, quam eorum, quæ à maioribus nostris simpliciter definita videntur, causas rationesque diligenter scrutari. Etenim nihil omninò ab eis sine ratione factum existimandum est, qui ob suã excellentem

cellentem dotrinā & eruditionem sapientissimi omnium habebantur: à quorum responsis, velut à Phitia tripode, aut Sibyllæ limine omnes pendebant. Quoties igitur ad manus venerit Iuliani, Scæuolæ, Papiniani, alteriúsue prudentis responsum, ab eo minimè recedatur, donec & ipsa decisio & decidēdi ratio perfectè constiterint. Tūc enim (vt Philosophus ait) vnumquodque scire arbitramur, cùm eius causas & principia cognoscimus. Particularium legum cognitio suos limites non egreditur, sed tantū præstat sciētiæ, quantum experientia comprobauit: notitia verò per artem ex vniuersalibus causis & rationibus contracta, in infinitum protenditur: omniaque inferiora sui generalitate comprehendit. Proinde qui legis alicuius solam decisionem intellexerit, vnam tātùm facti speciem definire nouit: qui verò decidendi quoque rationem collegerit, innumeros casus & infinita prope indiuidua ratione concludet. Neque tamē ad perfectam legum intelligentiam solam decidendi rationem percepisse sufficit: nisi & dubitationis quoq; causam intellexerimus. Omnis enim lex in casu dubio statuenda est: alioqui perridiculum foret, si de re penitùs manifesta atque indubitata ferretur. Itaque legis dubitationem diligenter inuestigare necesse est, vt causam intelligat, quę vel consultorem, vel consultum in ea re perplexum reddidit: quæ causa tāti æstimatur, vt sine illa non modo leges (vt Baldus voluit) intelligi perfectè possint: sed & in multiplici varioq; sensu ille perualeat, quem maioris dubitationis ratio commendárit. Requisita autem dubitationis causa, & iam bona legis parte intellecta, tum causam definitionis, seu rationem (vt vocāt) decidendi faciliùs assequemur: hæc verò totius legis radix est: hæc omnem controuersiam sopit: per hanc veritas elucescit, legislator comprobatur, legentis desiderium expletur, inuenta causa animūs conquiescit: causæ cognitio,

perfecta scientia est. Sed magis adhuc & melius veritas inuenitur ex contrariis: quoniam, teste Philosopho. opposita facta collatione clarescunt: & dubitatorum solutio, veritatis est inquisitio. Ex quo est illud: Ferro viam aperit, qui per contraria transit. Prodest igitur, lege aliqua per causas dubitandi & decidendi priùs examinata, statim ad glossemata seconferre iuris studiosum, contraria & oppositiones scisci-tatas diligenter inspecturum: neque eas solùm, quæ in proposita lege mouebuntur, verùm etiam quas in legib⁹ relatis interpretes cumulauerint. Omnes enim ad vnum finem conspirant: & ad principalem locum vtiliter referũtur: atq; ita per omnia glossemata successiuè transeũdum est, donec vltra nihil inueniatur. Semper autem simul de cõcilatione eorum cogitandum est: cõciliationes autem vel ab eisdem, vel à Bartolo (si illi desint) petendæ: quòd si nec interpretum, nec Bartoli iudicium placebit: suo ipsi ingenio facti varietates, & rationum differentias subtiliùs excogitabunt. Cæterùm cùm leges & prudentum responsa, ob eorum numerositatem, nonnũquam etiam prolixitatem, non facilè possint memoria retineri (plerũque enim vniuersam facti speciem vel longissimam narrãt, cuius retentio ingenium magis fatigat, quàm erudit) maioribus nostris visum est ex toto legũ contextu regulas quàm breuissimas colligere: quales habentur in titu. de regul. iur. & latissimè in nostro tractatu, quem Axiomata iuris inscripsimus: quæ nihil sanè aliud sunt, quam breues & compendiosę sententiæ. ex peruagatis definitionibus perstrictæ: quò & minori labore discãtur: & faciliùs diutiusque memoria teneantur. Iurisconsulti regulas, Doctores summas, Dialectici theses seu positiones, Medici aphorismos, aliqui epitomas, nonnulli enunciata, siue axiomata vocant. Quarum vsus quàm necessarius sit, ex multis facilè constat: primùm quòd ingeniũ sui bre-

uitate

uitate delectant, memoriam non onerant, ad scientiã celeriùs perducunt, denique linguam & mentẽ quàm maxime erudiunt. Itaque dubitandum non est, eum in legibus permultum profecisse, qui ex earum mente regulas siue axiomata colligere didicerit. Regulas autem tum ex verbis, tum ex mente colligi planum est. Ex verbis quidem cum legislatoris fromulam sequimur, nihil ferè penitus immulantes: quales sunt omnes ferè sub tit. de regu. iur. quibus nihil addimus vel detrahimus: quales etiam in rescriptis Cæsarum, & responsis prudentum extant aliæ quàm plurimæ: quę nullo ingenio, & exiguo labore colliguntur. Per se enim maximè patent, atque vltrò percurrentibus offeruntur. Altera verò pars, quæ vim & mentem legũ intuetur, longè difficilior est: quippe quæ tota ab ingenio & speculatione depẽdet. Neque enim ex vniuersa lege verbum aliquod retinemus, sed ex ratione tacita definitionis generalem regulam subtili interpretatione deducimus: atque ita non quid Iurisconsſ. dixerit, sed quid senserit, explicamus. Quo in genere duos omninò ex Docto. nostris excelluisse comperio, Bartolum & Baldum, qui vniuersas fermè legum sententias ita perstrinxerũt, vt eorum formulis vel epitomis nihil aut breuius aut subtilius excogitari poſsit. Sic etiam antiqui legũ interpretes, Irnerius, Pileus, Martinus, Bulgarus, Lotharius, Placentinus, Hugolinus, Rogerius, Oldradus, Ioãnes, Azo, Accursius, & reliqui huiusmodi regulas q̃ breuissimas ex legũ viscerib⁹ ingeniosè trahebãt, vt in eorũ glossematis passim videre licet. Et rectè illud q̃dẽ. neq; enim vera legũ interpretatio tã in cumulãdis Doctorũ opinionib⁹ (quod a multis fieri videmus, quũ legẽ aliquã pleno stylo, & solẽni (vt aiũt) apparatu tractãdã sumũt) q̃ in explorãda mẽte legislatoris potiss. cõsistit: ex qua & notabiles sentẽtias regulasq; & axiomata colligere: aut sicubi in legibus facti species aliqua occurrat, non modò

breuiùs & veluti in summa eam perstringere: sed & causam, seu rationem legis subtiliter complecti: & ex singularibus decisionibus, vniuersalia præcepta deducere: adeoque ipsum ius ciuile per tot species siue indiuidua sparsum, subtili ingenio ad breuẽ artẽ methodũque redigere, inprimis vtile fuerit. Porrò prçter ea omnia, quæ hactenus tradita sunt, properantibus ad iuris ciuilis scientiam, cupientibusque ad perfectũ eruditionis gradum quàm celerrimè peruenire, vnũ maximè necessarium videtur, crebra frequensq; disputatio. Nempe ex ea infinita prope commoda nascũtur: ingenij, memoriæ, linguæ promptitudinis, audentiæ seu fiduciæ, & quod omnium potissimum est, veritatis. Trita est Marcelli sententia: Omne artificiũ continue exercitatione recipit incremẽtum: sine qua artificis ingenium rubiginem contrahit. Et Arcadius noster multa Herennium Modestinum & notando, & disputando optima ratione decreuisse refert. Ad hæc igitur commodiùs peragenda debet iuris studiosus similis vitæ & cõditionis æquales sibi socios, sodalesque deligere: sanè candidos, mites & modestos: qui & abstinere, & sustinere didicerint: quibus cum nõ de rebus lasciuis aut inanibus fabulis, sed de legibus, de ciuilibus præceptis, de causis & rationibus iuris continuè loquatur: a somno, à cibo, à studio, à lectione meditata proponat. lecta cõferat, audita commemoret: inter deambulandum leges occurrant: inter calices iuris controuersia suscitetur: nullo loco, nullo tẽpore sermo de legibus intermittatur: hoc pacto quis non speret ad summum eruditionis gradum se & facilè & celeriter peruenturum. Et quoniam plerunque delectat multorum videre sententias, & quo quisque ingenio præditus fuerit, eorum maximè, qui in sua facultate celebres extiterunt: equidẽ paucos & idoneos auctores eligendos, in eisque diligenter versandũ esse suadeo: & in his maximè eos de quibus vir ille æterni

nominis

nominis Alciatus iudicium elegātiſſimū tulit in ſuis verſibus: Bartolum, Baldum, Caſtrenſem, Alexandrū & Iaſonem. Quibus ego vnum addendum cenſeo, in quo quantum ad leges pertinet, deſiderari nihil poteſt, Ioan. ab Immola Doctorem irrefragabilem. Alexandri Aretinique præceptorem, qui nūquam hallucinatus creditur, in cauſarum & rationum cognitione, in difficilium articulorum explicatione ita verſatus, vt quæ eo careat, optimo Doctore careat: quem profectò tertium à Bartolo locum nemo rectè negauerit. Hos in commentariis vehementer excelluiſſe conſtet. Conſiliis verò (vno dempto) non tantoperè probatos. Quamobrem quatuor pro conſiliis omninò eligendos puto: duos quidem legum copia & ſermonis breuitate præſtantes, Ancharanum & Romanum: cæterùm duos opinionum cumulis vtiliſſimos, Alexandrum & Decium. Non inficior ſanè Oldradi, Fulgoſij, Comēſis, Pauli Cornei, Aretini, Socini, Curtij Senioris & complurium aliorum vota valde probari: verùm ſi ex multis (vt de commentariis ſenſimus) pauci eligi debeāt, proculdubiò quatuor præſcriptos cæteris potiores eſſe conſtabit. Prætereà non parùm profecit iuris ſtudioſis: ſi tum ex Pomponio, tum aliis idoneis ſcriptoribus Cæſarum prudentumque vitas, mores & ætates (quod ſanè ad perfectam legum cognitionem omnino neceſſarium ducimus) ſolerti ſtudio perquirant. neque enim ignotum eſt, quàm turpiter ſæpè annalium hiſtoriarumque imperitia interpretes hallucinati fuerint: de quo non opus eſt plura hoc loco addere. Poſtremò ſunt adhuc duo alia, quæ iura profitentibus adeò neceſſaria videntur, & nulla ferè maior aliunde vtilitas comparetur: nempe loci communes, & materiarum ſedes. Locis quidem communibus ingenium maximè exercetur: materiarum verò ſedibus memoria plurimùm adiuuatur. Nam quoties facti ſpecies occurrit, nullo vel Cæſarum, vel

prudentum responio propriè definita (nec enim potuere casus omnes lege comprehendi) tum ingenio maximè opus est: quod nisi breui quadam methodo ad veritatis limina dirigeretur facilè in tali nouitate succumberet. Proinde miserrimi ingenij eos esse putabat Doctor Castrensis, qui non nisi inuēta lege, aut decisione, propositas quæstiones nossent definire. At verò perspicax ingenium, cupiens à tali se miseria liberare, ad communes locos confugit, omnia colligit, omnia confert, singula discutit, nihil non tentat, omnem denique lapidem mouet, vt rectè definiat, leges aliis casibus præscriptas nouo casui applicat, nūc per locum ab absurdo, nunc ab identitate rationis, nunc a similitudine facti. nunc à speciali, nunc ab opposito, nunc a cessante ratione argumenta deducit: nō ignorans omnem vim legum in inductione & applicatione consistere: & quod liquidò constare non potest, argumentis subtiliter cognoscendum esse. Nam cōmunes locos hic nihil aliud volo, quam modos argumentandi, quibus ad veritatē faciliùs peruenitur. Memoriam verò (quæ in iuris professore ob scriptorū multitudinem magis, quàm in alio genere hominum desideratur) vehementer adiuuant materiarum sedes. Cùm enim tot casuum quotidie emergētium definitiones, totque decisionum cumulos retinere, memoriæ fragilitas nō patiatur, saltem eius rei sedes, in qua vniuersa materia communi Doct. calamo pertractatur, in promptu habenda est. Aduertendum tamē est, materiarum sedes ab omnibus ferè Doctoribus solere constitui: vbi vel Bartolus apud Iurisconsultos, vel Baldus apud Cæsares solenniter laborauit. Nā quemadmodum Bartolus Digestorū legibus studiosiùs pleniùsque vocauit: ita Baldus Cynum imitatus, Imperatorum sanctiones copiosiùs exornauit, Baldum Salicetus, Faber, Corneus & alij complures: Bartolū Angelus & Immola maximè secuti sunt: alij aliter, prout

cuique opportuniùs visum est. Quoties igitur casus decidendus occurret, ad communem sedem properandum erit: facili tunc labore, & minore periculo cõsultus respondebit. Locus hic de memoria scholasticis quidem facilius est: doctoribus verò maximè necessarius. Superior autem ad ingenium spectans, omnibus tum scholasticis, tum Iurisperitis æqualiter suffragatur.

LOCI COMMVNES, SIVE *Modi argumentandi in iure Dialectici sunt ferè hi.*

Ab absurdo
Ab adiectiuis
Ab adiũctis
Ab adæquatis
Ab aduersatiuis
Ab alternatiuis
Ab abstractis & concretis
Ab antecedenti concesso vel remoto
Ab assuetis
Ab auctoritate
A causa, A causato
A combinatione duarum legum
A cõiter accidentibus
A cohærentibus
A coniunctis
A connexis
A contrariis
A contrario sensu
A contento & contiuẽte
A copulatiuis
A correlatiuis
A correspectiuis
A consecutiuis
A concursu plurium
A consequenti dato vel destructo
A diuersis
A diuersitate rationis
A diuersitate loci vel tẽporis
A destinatis
A definitione
Ab effectu,
Ab euentu
Ab extremis
Ab æquipollentibus
A fato, A fictione
A fine, A forma
A genere
A geminatis
Ab habitudine
Ab habitu & priuatione

Ab incidēte vel emergēte
Ab incertis
Ab inclusione vnius
Ab indifferentibus
Ab impossibili
Ab indefinitis
Ab infinitis
A limitatis
A loco & locato
A materia
A maiori ad minus
A minori ad maius
A minimis, A mediis
A mixtis, A modo
A natura, arte, & accidentibus
A necessitate vel necessariis
A nomine, A numero
Ab obliquis & directis
Ab oppositis, Ab ordine
A principio vel pręābulo
A parte & toto
A præsupposito
A proposito, A potentia
A propinquis
A prędicatis
A perplexis
A priori & posteriori
A puris & purificatis
A qualitate
A quātitate
A raris.
A rationis identitate
A ratione cessante
A remotis
A separatis
A singularibus
A simile
A specie
A speciali
A sufficienti partium enumeratione
A surrogatis
A superfluis
A tali
A tacitis
A taxatiui
A tempore præsenti
A tempore præterito
A futuro
A verisimili
A variatione
Ab vniuerso
Ab vnitis
Ab vltimis.

Cæterùm sub loco à similitudine facti vel rationis innumeri alij particulares loci comprehenduntur, de quibus alias. & de his præsertim vide Neuizanum Cantiunculam, Grammarum, & N. Euerhardum in Topicis

SEDES

SEDES VERO MATERIA-
rum centum sunt hæ præcipuæ.

1 Ascentiarum l.inter minores. de in integr.restitut.
2 Actionum vtilium l.1. de actio. & obligat.
3 Actionis Negatoriæ & Confessoriæ.l.si prius. de oper.noui nuncia.
4 Alienationis prohibitæ.l.filiusfam.§.Diui.de leg.j.
5 Alimentorum.l.Mela.de alim.& cib.leg.
6 Arbitrorum & arbitratorum.l.si quis arbitratu. de verb.obliga.l.societatem.§.arbitrorum.Pro socio.
7 Arbitrariarum actionum.l.in actione.de in lit.iur.
8 Argumentorum.l.conuenticulam. C. de Episco.& cleri.
9 Argumenti à contrario sensu.l.1.de officio eius cui mand.iurisd.
10 Breuiloquę seu reciprocę substitutionis.l.Lucius. de vulg.& pup.substit.
11 Beneficium Principis.l.vlt.de consti.princi.
12 Calculationis seu computationis.l.instar.C. de iure fisci.lib.x.
13 Casuum fortuitorum.l.fistulas.§.frumēta. de contrahen.empt.
14 Cessionis.l.Modestinus.de solut.
15 Citationis.l.de vnoquoque.de re iudica.
16 Ciuilis obligationis.l.Iulianus.de condict.indeb.
17 Clausulæ codicillaris l.1.de iure codicil.Authē.ex causa.in fin.C.de lib.præter.
18 Clausulæ derogatoriæ l.si quis.in princ.de lega.3.
19 Collationum.Hauthen.ex testamēto.l.si emancipati.C de collat.
20 Collectarum & talearum.l.placet.C.de sacrosanctis eccles.l.eam quæ. C. de multa. & in quo loco. libro x.
21 Compendiosæ substitutionis.l. centurio. de vulg. substitut.

22 Correctionis.l.si verò.§.de viro. sol. matrimonio.
23 Consilij & auxilij.l.furti.§ ope.de furtis.
24 Contractum ante vel post delictum.l. post contractum.de donatio.
25 Cumulationis,emẽdationis,& mutationis actionum.l.edita.C de eden.
26 Cumulationis petitorij & possessorij.l. naturaliter.§.nihil commune.de acquir.possess.
27 Dationis in solutum.l.a Diuo Pio.§ si pignora. de re iudica.
28 Declarationis.l.Idem Pomponius.§. vlt.de acqui. possessio.
29 Defensionis.l.vt vim.de iusti. & iure.
30 Dilatio.l.vlt.de feriis.
31 Diuidui & indiuidui.l.4 §.Cato.de verb. obliga.l. stipulationes non diuiduntur.eod.tit.
32 Diuisionis.l.qui Romæ.§.duo fratres.de ver. obli.
33 Donationis omnium bonorum.l. stipula.hoc modo.de verb.oblig.
34 Doctorum & scholasticorum.l.1.C.de dignit.lib. xij.Auth.habita.C. ne filius pro patre.
35 Emptionis fructuum.l.cotem.§. qui maximos. de publica.
36 Æquiparatorum vel adæquatorum.l 1. de legat.1.
37 Excussionis.Lucas de Penna latissime in l.1.C. de decur.lib.x.
38 Exceptionum impedientium litis ingressum.l.vir bonus.iudi.solui.
39 Exceptionis de iure tertij.l. 2. de except.rei iudica.
40 Exemplaris substitutionis.l.ex facto. de vulg.substit l.humanitatis C.de impub.substi.
41 Expensarum litis.l.properandum.§.siue autem.C. de iudic.
42 Extensionis.l Gallus.§. & quid si tantũ. de libe.& posthum.
43 Famæ.l.de minore.§. tormenta. de quæstionibus.

44 Factionum

44 Factionum.l. si is qui pro emptore. de vsucapion.
45 Filiationis.l. filium definimus. de his qui sunt sui vel alie.& l.si vicinis.C.de nupt.
46 Fluminum,molẽdinorum,& regalium.l.quò minus.de flumin.
47 Fructuum.l.In fideicommissaria. ad Trebellian.
48 Geminationis.l.Balista,ad Trebellian.l. cùm scimus.C.de agrico lib.xj.
49 Grauaminis per fideicommissum.l.cum filiofam. de legat.1.l.ab eo. C.de fideicommis.
50 Homicidij.l.damni.§.Sabini.de damn.infect.l.j. C.ad l.Corn.de sicariis.
51 Indefinitæ orationis.l.si pluribus.de lega.2.l.Cæsar.de publica.
52 Insinuationis.l.Modestinus.de donationib.
53 Interrogatoriorum.l.vbicunque.de interrog.act.
54 Inuentarij.l.scimus.C de iure delib.Auth. de hæred.Fasc.§.si verò expressim.cum seq.
55 Interesse.l.vnica.C.de sent.quę pro eo.l.quatenus. de regu.iur.
56 Iuramenti.l.si quis maior.C.de transact Authen. sacramenta puberum.C. si aduers.vendi.
57 Iuramenti suppletiui.l. admonendi. de iureiuran
58 Iuramenti in litem.l.numis.de in litem iurand.
59 Iuramenti caiumniæ.l.qui bona.§.si alieno.de dãno infecto.
60 Iurisdictionum.l.Imperium.de iurisd.omn. iudi.
61 Latæ culpæ.l.quod Nerua.Depositi.
62 Legitimæ.Auth.nouissima. C.de inoffi.testamen,
63 Legitimationes.l.Gallus.§.& quid si tantum. de libe.& posthu.
64 Modus l.quibus.§ Thermilius.de cõd.& demõst.
65 Moræ.l.si insulam.de verb.oblig.
66 Mortis naturalis & ciuilis.l.Gallus.§.& quid si tãtum. de lib.& posthu.
97 Naturalis obligationis.l.frater à fratre.de condi.

indebiti.

68 Nobilitatis.l.1.C.de digni.lib.xij.

69 Nominis proprij & appellatiui.l.si quis in fu[...].de lega.j.

70 Oblationis.l.acceptam.C.de vsuris.

71 Obligationum facit.l.stipulatio. non diuidun.de verbo.obliga.

72 Ordinis.l.2.§.prius.de vulg.l.prolatam.C.de sent.

73 Ordinis successiui ex testamento.l. Gallus.§.quidam rectè,de libe.& posthum.

74 Pabuli siue pastiones.l.non solùm.§.sed vt probari.de noui oper.nuncia.

75 Pacti de hæreditate viuentis l.vlt.C.de pactis.

76 Pacti de retrouendendo.l.2.C.de pact.inter emp. & vendi.

77 Pacti nudi.l.iurisgent.§.sed cùm nulla.de pactis.

78 Primi & secundi decreti.l. si finita.§.Iulianus. de damno infecto.

79 Probationum omnium.l.admouendi,de iureiur. & in rubr.C.de probat.

80 Prodigiorum.l.is cui.de verb.oblig.

81 Protestationum.l.non solùm.§.morte. de ope.noui nuncia.

82 Pupillaris sustitutionis.l.2. de vulgar. & pupillari.

83 Quartarum.l. in quartam.ad l. Falcid.l.filium. C. famil.ercisc.

84 Relatiuorum.l.1.in princi.C. de summa trinita.l. Stichum qui meus erit de lega.1.

85 Remissionis pensionum.l.cotem.§.vlti.de public.

86 Remissionis fideicommissi.l.1.C.de pact.

87 Renũciationis iuris futuri.l.qui superstitis. de acquir.hæred.l.pactũ quod dotali.C.de pact.

88 Renunciationis litis & causæ.l. postquam liti. C. de pactis.

89 Repetitionis dotis constante matrimonio.l.si cõstante.solu.matrim.

90 Sententiæ

90 Sententiæ interlocutoriæ.l.quod iussit.de re iud.
91 Solennitatis intrinsecæ & extrinsecæ.l. sciendum. de verbo.oblig.
92 Suitatis.l.in suis. de liber. & posthu.l. si filius qui patri. de. De vulga.l.apud hostes. C.de suis & legit.
93 Testamenti inter liberos.l.hac consultissima.§. ex imperfecto.C.de testam.
94 Testamenti ad pias causas l.1.C.de sacros. eccles.
95 Transmissionis.l.si infanti.C.de iure deliberan.
96 Valoris & augmenti monetæ.l.Paulus. de solut.
97 Variationis.l.de rebus. Rerum amota.l. serui electione.de leg.1.
98 Verborum enunciatiuorum.l.ex hac scriptura. de donatio.
99 Vsurarum.l.curabit.de actio.emp.l centesimis.de verb.oblig.l.lecta.si cer.peta.
100 Vulgaris substitutio.l.1.de vulg.substi.&c.

Superest vltimus studioso iuueni labor, in quo memoriç pręsidium est maximum: vt cum ex lege aliqua memorabilem regulam vel sententiam notauerit, aut ex glossematis doctoribúsue enunciatum aliqud excerpserit, ocyter in librum selectum, sub congruis locis ac titulis referat: neque aliorum fidat repertoriis: quæ parum quidem conferunt his, qui nullum laborem impenderunt: id tãtùm firmiter retinemus, quod nostro ingenio ac sudore parauimus. Hoc certò certius est, nullum à legibus conditis spectatæ scientiæ virum, aut magni nominis doctorem, suo indice vel repertorio caruisse. alius siquidem materiales tãtùm regulas in elementorum ordinem redegit: alius iuris regulas sub congruis titulis collocauit: plerique verò decisiones doctorum, seu communes opiniones tum ex illorum commentariis, tum etiam consiliis latissimè congesserunt, vt quoties casus occurreret, singula ad manum haberent. Mihi autem disponendus sic liber videtur: vt ab initio in tres partes distinguatur: in

quarum prima Regulæ materiales, in secunda morales, in tertia iuris regulæ sub congruis locis ac titulis statuantur: Rursum pars vltima, quæ iuris regulas continet in triplicem tractatum diuidatur: quorum primus contractuum, secundus vltimarum voluntatum, tertius iudiciorum regulas complectatur: atque ita perfectissimus totius ciuilis sciẽtiæ iudex modico labore comparabitur. Nec esset fortè contemnendi laboris opus, omnes Bartoli rhetoricas in regulas & exceptiones redigere: quod permultos quidem attentasse scio, perfecisse adhuc neminem. Sunt præterea nonnulli, qui labori magis quàm ingenio vacãtes, reiectis legum subtilitatibus, solas Doctorum opiniones amplectuntur, easque ex omnium voluminibus collectas in ordinem redigunt, atque disponunt: ad quod abundè sufficere potest amplissimũ illud Firm. Bertachini Repertoriũ in tria volumina distinctũ. Sed in præsentia satis sit hos, quos dixi, locos, tam ad materiales & morales, quam ad Iuris regulas pertinentes, instituere: vt quo pacto leges tractari debeat, tantisper ediscant studiosi iuuenes, donec alia maioris argumenti opera edantur.

LOCI COMMVNES MATErialium regularum.

Abstractum	Argumentum	Coniunctum
Accessorium	Ars	Connexũ
Accidens	Casus, Causa	Consequens
Actus	Causatum	Consecutiuum
Adæquatum	Certum	Confusum
Adiunctum	Cohærẽs	Continens
Adiectiuum	Commune	Contentum
Agens	Compositum	Continuum
Antecedens	Concretum	Contingens

Conti-

Contiguum
Contrarium
Contradictoriū
Correlatiuum
Correſpectiuū
Corruptum
Deſtinatum
Determinabile
Differens
Difficile
Definitum
Diminutio
Directū
Diſſimile
Diſtinctum
Diuerſum
Diuiduū
Dubium
Effectus
Emergens, Ens
Æquipollens
Æquiparatum
Euētus, Euidés
Expreſſum
Extremū
Exceptū
Exitus
Facile, Finis
Finitum
Forma
Frequēs, Fruſtra
Geminatum
Genus
Habitum
Habile
Idem, Incertum

Incidens
Indefinitum
Indiuiduum
Indifferens
Indiſtinctum
Infinitū
Inhabile, Impar
Imperfectum
Limitatū
Locus
Locatum
Magis, Materia
Materiatum
Medicum
Minimum
Mixtum
Modus
Modicū
Motus
Natura
Neceſſarium
Nouum
Numerus
Obliquū
Omne
Oppoſitum
Ordo
Ordinatum
Organū
Par, Pars
Paſſio, Patiens
Perfectū
Perplexum
Perpetuū
Poſterus
Potentia

Prædicatum
Præſuppoſitum
Primum
Principium
Prius
Principale
Propinquum
Propoſitum
Proprium
Purum
Purificatum
Qualitas
Qualificatum
Quātitas
Quidditas
Rarum
Remotum
Separatum
Simile
Simplex
Singulare
Species
Subſtantia
Subſtantiuum
Subiectū
Superfluum
Subrogatum
Tacitum
Tale
Tempus
Totum
Varium
Vltimum
Vniforme
Vnitum
Vniuerſum

LOCI COMMVNES MORAlium regularum.

Abſtinentia
Abſurdũ
Abuſus
Abundás
Afflictus
Afflictio
Amor, Amicitia
Anima, Animus
Arbitriũ
Audacia.
Benignitas
Beatus
Benefactor
Beneficiũ
Bonum
Bona fides.
Carum
Caſtitas
Caritas
Cogitatio
Commiſſum
Commodum
Conſenſus
Conſuetudo
Cõſilium
Conatus
Contemptus
Concordia
Corruptela
Culpa.
Dãnum
Dedecus
Deformitas
Defenſio
Dignitas
Diligẽtia
Diſcordia
Dolor,Dolus.
Emendatio
Æqualitas
Æquitas
Æquum
Error
Experientia
Factum,Falſum
Facta
Familiaritas
Fauor,Fides
Fraus,Furor
Gloria,Gratum
Gratia
Grauamen.
Homo, Honor
Honeſtas
Honeſtũ
Humanitas.
Illicitum
Impoſſibile
Inconſtantia
Incommodum
Inconueniens
Inciuile
Indignus
Iniquum
Inimicitia
Iniuſtum
Iniuſtitia
Innocẽs,Intẽtio
Inuidia, Inuitus
Inutile,Ira
Iracũdia
Iuſtum,Iuſtitia.
Labor,Laus
Læſio,Leuitas
Liberũ,
Liberale, Licitũ
Lucrum.
Malum, Mens
Mendacium
Meritum
Miſericordia
Modus
Modeſtia
Mores, Mors.
Neceſſitas
Negligentia,
Nobilitas
Nocens,Noxa.
Obedientia
Odium
Offenſio
Omiſſum
Opinio,Opus.
Pax,Pœnitentia
Permiſſum
Pietas,Poſſibile
Poteſtas
Præmiũ
Priuatũ

Proſum

Prorsum
Prohibitum
Propositum
Publicum.
Ratio, Rectum
Regnum
Reprehensio
Rigor
Rusticitas.
Salus, Sæuitia
Smplicitas
Stultitia
Subtilitas.
Temeritas
Turpitudo,
Variatio
Veritas
Verum
Verisimile
Virtus, Vitium
Vituperium
Voluntas
Vtile
Vtilitas.

LOCI COMMVNES REGVLArum iuris, & primò contractuum.

Acceptilatio
Adoptio
Alienatio
Arrogatio
Associatio.
Bigamia
Cessio
Commodatum
Compensatio
Conuentio
Conrractus
Conductio
Constitutum
Consilium,
Cura
Datio in solutū
Delegatio
Depositū
Dictum
Diuisio
Do vt des
Do vt facias
Donatio
Donatio propter nuptias
Donatio ob causam
Dos.
Emancipatio
Emptio
Emphyteusis
Epistola.
Facio vt des
Facio vt facias
Feudum
Fideiussio
Fœnus
Interesse.
Locatio
Mandatum
Manumissio
Matrimonium
Mutuum
Mutuum ciuile.
Negotiorum gestio
Nouatio
Nuptiæ.
Obligatio
Pactū, Peculiū
Permutatio
Pignus
Pollicitatio
Precariū
Præscriptio
Promissio.
Quitatio.
Remissio
Satis acceptio
Seruit⁹, societas
Solutio, Spōsio
Spōsalia
Stipulatio.
Traditio
Transactio
Vectigal
Venditio, Votū
Vsucapio
Vsura.

LOCI COMMVNES VLTIMArum voluntatum.

LOCI COMMVNES CIVIlium iudiciorum.

Contumacia
Copia
Cumulatio.
Doctor
Decretum
Delegatus
Dilatio
Editio
Excepto
Executor
Excusatio
Exemplum
Expensæ.
Feriæ
Fideiussor
Forus.
Iudiciũ, Instãtia
Intercessio.
Instrumentum
Interpellatio
Interrogatoriũ
Interlocutoria
Inuentarium
Iudex, Iudicium

Iudicatum
Iuramentum
Iurisdictio.
Libellus, Lis
Litis cõtestatio
Mandatum
Mora, Mulcta.
Notarius
Notoriũ
Nuncius
Nullitas.
Officiũ iudicis
Ordo iuris
Originale
Positio
Præsumptio
Peiuilegium
Probatio
Processus
Procurator
Productio
Prorogatio
Protestatio
Publicatio.

Ratificatio
Reconuentio
Relatio
Remedium
Renunciatio
Replicatio
Respõsio
Res iudicata
Rescriptum
Reus, Reuocatio
Satisdatio
Scriptura
Sentẽtia
Sequestrum
Solennitas
Stylus, Statutũ
Summaria
Suspensio
Subhastatio
Tempus
Terminus
Tertius, Testis
Titulus.
Victor, Victus.

LOCI COMMVNES CRIMInalium iudiciorum.

Accusatio
Adulterium
Aggressor
Ambitus
Auxilium.
Bannum
Bãnitus.

Calumnia
Calumniator
Carcer
Coercitio
Cõmentariẽsis
Confessio
Condemnatio

Conuictus
Crimen, Culpa
Custodia.
Defensor
Defensio
Delictum
Deportatio

Denunciatio
Diffamatio
Dolus, Duellũ.
Excessus
Excõmunicatio
Exilium, Exul.
Fama, Falsitas
Fiscus, Fraus
Furtum
Fustigatio.
Gratia.
Homicidium
Hostis.
Incestus
Incendiũ
Indicium
Indulgentia
Infamia
Inimicus
Inimicitia
Iniuria
Inquisitio
Inscriptio
Instigatio
Insultus.
Latro
Læsa maiestas.
Malus, Malum
Maleficium
Mors, Mulcta
Mutilatio.
Nocens, Noxa
Occidere
Occultare
Offendere.
Parricidiũ, Pax
Peculatus
Perduellis
Pœna, Plagium
Plagiarius
Publicatio.
Querela
Quæstio.
Rapina, Raptor
Raptus
Relegatio
Repetundarum
Restitutio.
Sacrilegium
Sicarius
Spolium
Stellionatus
Stuprum.
Talio
Tergiuersatio
Tortura
Tormentum.
Veneficium
Vita
Violentia
Vis publica
Vis priuata
Vulnus.

Cæterùm loci Axiomatum, quos vt magis frequentes ac generales eligendos putauimus, hi fermè sunt.

Actus.
Bonum, Malum
Benignitas
Æquitas, Rigor
Causa
Causatũ, Effectus.
Correctio.
Determinatio
Dispositio.
Extensio
Exemplum
Expressum Tacitum.
Factum
Fauor, Odium
Forma, Solennitas
Frustra.
Genus, Species
Lex
Multa.
Ordo
Pax, Paria sunt
Principium, Finis,
Exitus.
Publicè interest
Qualitas, Accidẽs, Subiectũ.
Ratio.
Verbum
Veritas, Falsitas. Opinio.
Voluntas, mẽs, Intentio, Propositum
Vltimum, Extremum.

Ordo

Ordo iuris per decem gradus.
Mens & consensus hominis:
Ex consensu dicta au facta:
Ex dictis factisúe, contractus vel quasi:
Ex contractu, vel quasi, obligatio:
Ex obligatione, actio:
Ex actione, forma seu facultas agendi:
Ex forma agendi, iudicium:
Ex iudicio, sententia:
Ex sententia, executio:
Ab executione, salus Reipub, & priuatorum quies.

MODESTINI PISTORIS IVRECONS.

Index
Locorum communium totius iuris in octo partes distributus, obseruato naturę & arte ipsius ordine, ac methodo συνθετικῇ siue compositiua

PRIMA PARS.

Iustitia
    Vniuersalis
    Particularis
    Commutatiua
    Distributiua
Iustum
Ius
    Diuinum
    Humanum
    Cannoicum
    Publicum
    Priuatum
    Naturale
    Gentium
    Ciuile
    Scriptum

Non scriptum
Positiuum
Iniquum, & de retorsione iuris iniq.
Commune
Speciale seu singulare
Nouum
Strictum
Æquitas
Rigor
Dispensatio
ἐπιεικεία.

Lex
Antiqua
Noua
Correctoria
Limitatoria
Declaratoria
Interpretans
Interpretata
Imperatiua, siue praeceptiua, vel constitutoria, quae aliquid iubet
Permissiua
Concedens aliquid in priuilegium
Prohibitoria, seu vetās aliquid
Pœnalis, siue punitoria
Lex conscientiae.

Lex Mosaica
Canonizata
XII. Tab.
Imperialis
Edictalis
Generalis
Specialis

Legislator
Senatusconsultum
Plebiscitum
Constitutio
Principis
Papae
Constituta vel edicta in Concilio generali
Cōstitutiones derogatoriae pœnales
Rescriptum
Literae Apostolicae
Papae ad litem
Gratiosum, siue de gratia ad beneficia de iustitia, siue iuris obseruantia
Stylus curiae
Pragmatica sanctio
Priuilegium
Papale, seu sedis Apostolicae
Personale
Reale
Temporale
Perpetuum
Confirmatorium
Respiciens
Litis ordinationē
Actū cōueniendi
Insertum corpori iuris.

Non

De actione Tributoria
De actione in rem præiudiciali per quam dominus seruum in suam potestatem & dominium vindicat:
Et eius contraria, quæ datur seruo ad libertatem proclamanti
Manumissio
Per vindictam
Testamentaria
Directa
Fideicommissaria
Libertas statuta.i.sub cōditione relicta
Statu liber
Manumissus
Libertinus
Libertas
Libertorum
Operæ
Bona.
Libertas Ecclesiæ
Filij libertorum
De iis qui per collusionē ingenij pronūciati sunt
Patronus
De bonorum possessione contra tabulas liberti, quæ patrono liberisque eius datur
De filiis petroni
Ius patronatus.

De actione
Fauiana
Caluisiana
Ingrati
De causa liberali, seu status controuersia
Actio in factum
De libertate
De libertinitate
De liberali causa cōtra eum, qui se venundari passus est ad precium participandum
De iure aureorum annulorum
De causa natalium, siue natiuitatis
De restitutione natalium
Hæc de seruis & libertis
Verū quia ex liberis personis quædā sui iuris sunt, quædam alieni, de his quoque videndum est.
Paterfamilias
Filiusfamilias
Filius effectus sui iuris
Peculium
Profectitiū
Aduētitium
Castrense
Quasi castrense
Actio de peculio
De in rem verso
Quod iussu
Edictum

De donatione inter patrẽ & filium
Diuortium, Repudium
Actio rerum amotarum
Cœlibatus
Virginitas
Concubinatu
Concubina
De concubinis clericorũ
Ex nuptiis oritur affinitas & consanguinitas,
De affinitate
De cosanguinitate.
De cognatione spirituali
Nomina affinium
Cõsanguineorum
Agnatorum
Cognatorum
Liberi naturales, siue
Bastardi
Spurij
Incestuosi
Nefarij. nati ex coitu illicito.
Filij præsbyterorum
Illegitimi
Legitimatio
Per Papam
Principem
Comitẽ Palatinũ
Per oblationem curiæ
Subsequens matrimonium
Ingressum religio-
Testamentũ (nis
Statutum
Nominationem.
Legitimatus
De infantibus expositi[s]
Adopxio, seu cognatio legalis.
Adoptans
Adoptatus
Adoptiuus
Arrogatio
Arrogator, siue arrogans
Arrogatus.
Emancipatio
Emancipãs
Emancipatus
Emancipandus
De officio iudicis, quo petit filius emãcipari a patre: vbi prius petit se emancipari, & quæritur se malè tractatum contra patriam potestatem.
Capitis deminutio
Cepite minutus
Impubes
Pupillus
De pupillari pecunia
De vsuris pupillaribus
De alienatione rerum pupilli
Infans
Infantia
Infantiæ proximus
Tutela
Testamentaria
Confirmata
Legitima

TERTIA PARS
De rebus.

Ad exhi-

seruis fugitiuis.
De officio iudicis quod pro recuperãda possess. datur
Vsucapio
Præscriptio
Lõgi temporis, puta x. vel xx. annor.
Longissimi, vt xxx. vel xl. annor.
Annalis
Quadriennij
Iuris Saxonici
Bona fides
Titulus, Pro possessore
Soluto, Emptore
Hærede, Donato
Derelicto, Legato
Dote, Suo
Trãsactione
Vsurpatio
De actione in rem rescissoria
Dictum est modò de modis acquirẽdi dominij, Vtrùm quia dominiũ sequitur alienatio, de ea deinceps videndum
Alienatio
Quibus alienare licet, vel non
Quæ in fraudem creditorum alienat.
Actio reuocatoria alienatorum in fraudem creditorum
Et consequenter
De interdicto fraudatorio, quod cõpetit, c... res aliena, non propria alienatur. Ias. nu. 5. 6. itẽ siquis. Instit. de act.
De alienatione iudicij mutandi causa facta: nam & hic est quidam alienandi modus
Renunciatio, Refutatio
Postquam de rebus corporalibus dictum est, sequitur de incorporalibus. vt sunt seruitutes
Seruitutes prædiorũ vrbanorum
Stillicidi auertẽdi.
Fistulã recipiendi, aut canalem
Cloacæ immittẽdæ.
Immittendi tigna in parietem vicini,
Et generaliter immittendi.
Luminum
Ne luminibus officiatur.
Ne prospectus offendatur
Altius non tollẽdi
Oneris ferendi
Proiiciendi
Protegendi
Seruitutes rusticorum

Prædiorum

nomine in possess. missa.
eadem dolo malo ad alium transmissa dicatur.
Bonorum possessio
Vnde liberi
Vtilis, quæ datur parenti in bonis filij. l. scripto. Vnde liberi
Vnde legitimi
Vnde cognati
Vnde vir & vxor
De bonorum possessionibus, quæ datur litis agnoscendę gratia
Bonorū possessor
Bonorum possessoria hæreditatis petitio
De collatione bonorum.
De collatione dotis.
De successorio Edicto.
De iure accrescēdi
De iure non decrescendi.
De addictione bonorum libertatis causa.

QVINTA PARS
De contractibus & obligationibus.
Obligatio
Naturalis
πρὸς ἀντίδωρα,
Ciuilis, Generis
Speciei, Quātitatis
Alternatiua
Conditionalis
Ad tēpus vel in diē
Diuidua
Indiuidua
Facti, Dandi
Hęreditaria
Principalis
Accessoria
Contractus
Nominati, Cōditionales
Bonæ fidei, stricti iuris
De contractu imperiali, Celebrato per metum
De cōtractu nullo, simulato
Do contractibus, qui in scripto celebrantur
De actionibus, quæ ex cōtractibus proficiscūtur.
Contrahens
Creditum, Creditor
Debitum
In genere, Specie
Quantitate
Annuum
Debitor
Generis, Speciei
Quantitatis
Debitor fugitiuus.
Conuentio
De conuentionibus iuris gentium.
Pollicitatio, Pactum
Personale, Reale
Nudum, Vestitum
Coherentia cōtractus
Traditione

tori datur.
Ius offerēdi
Hypotheca, Tacita
Expressa
Actio hypothecaria, Seruiana, Quasi Seruiana
Literarū obligatio
Actio Chirographaria.
Obligationes ex cōsensu,
Emptio, Merx, Precium.
De actione ex stipulatione, quę interponitur pro vitio seu morbo,
Et De Euictione, cùm res aliqua venditur.
Actio ex empto
De actione ex empto quā to pluris quæ competit emptori decepto vltra dimidium iusti precij
Emptor, Venditio.
De rebus venditis
Vēditor, Actio ex vēdito.
De hæreditate vendita.
De actione vēdita.
De nomine vēdito
De exceptione rei vēditæ.
Communia de emptione & venditione.
De emptione & venditione conditionali, & de iis quę in scriptura cōstituuntur.
De pactis inter emptorē & vēditorem appositis.
De periculo & commodo rei vāditæ.
Pactū de retrouendendo
Legis cōmissoriæ
Addictionis in die.
De euictione
De stipulatione duplæ.
Actiones redhibitoriæ
Actio Quanti minoris
Ædilitia
Actio in factum Pretoria.
Ciuilis de qua in l. Iulianus. § 1. & l. quæro. de act empti.
Locatio, De locatione operarum, Locator
Conductio, Conductor.
Actio ex Locato
Actio ex cōducto.
Actio oneris auersi, de qua in l. 31. Locati
Interdictum de migrādo
Communia de locatione & conductione
De actione ęstimatoria
De custodia, seu de eo qđ qs pro custodia mercedem accepit. nam & hæc est locationis species.
Emphyteusis, siue Perpetua conductio.
Emphyteuta
De emphyteusi Ecclesia.
De actione vtili in rem, quę datur Emphyteutę
Contractus, Censualis
Libellarius

quæ ex permutatione
oritur
Actio de dolo, quę oritur
ex contractibus innominatis, vel
Ad obseruantiā promissi,
Ad repetendum data
De obligationib. accessoriis siue de his qui alieno nomine obligantur.
De intercessionibus.
Constitutum
Actio de constituta pecunia
Expromissor, Mandator
Nominator, Fideiussor
Fideiussio
De beneficio ordinis
Diuisionis.
De promissione indemnitatis.
De distractibus
Delegatio, Cessio actionis, iurium, Cedens
Cessionarius
De exceptione cedendarum actionum
Nouatio
Compensatio, &
De exceptione cōpensationis.
Oblatio & consignatio.
Polutio
Exceptio solutionis,
Numeratio
Datio in solutum.

Liberatio
Exceptio liberationis.
Acceptilatio.
De stipulatione Asiliana.
Pactum de nō petendo
De exceptione pacti de
non petendo
De stipulatione, Amplius nō peti, Amplius nō agi.
2 Obligationes ex Quasi contractu
3 Obligationes ex delicto, de quibus infra.
4 Obligationes ex quasi delicto.
Interdictum siue actio de eo quod ex alicuius cœnaculo deiectum vel effusum est.
Item & actio cōtra eum. qui suspensum & appēsum quod habet in sublimi, vel è cœnaculo, quod casu nocere possit.
Itē & de actione vtili Pro socio, quæ competit sociis, qui pluribus inhabitātibus cœnaculo ex quo est deiectum quanti pœnam soluerunt.
Actio exercitoria.
De iis quæ præstantur in
contractibus.
Vsura, Fœnus, Interesse
Commune
Singulare, seu affectionis

Conuen-

Perēptoriæ, seu ppetui
Facti.i.lites finitæ
Iuris, & dolus me indu
xisti.

De exceptionibus famosis.

De exceptione ordinis seu præposterationis: de qua Glos. in l. 2. C. com. mu. diuid, verb. Restituimus. & l. si mancipium. verb. actum. de euictio.

De exceptione
Nullitatis
Simulationis
Innocentiæ
Inopiæ
Litigiosi

De Defensionibus
Replicatio, Duplicatio
Triplicatio, recōuētio.

Interdicta, quæ hodie nihil aliud sunt, quàm actiones in factū.

Interdictum
Adipiscendæ, Retinēdæ
Recuperande possessionis

De interdictis habētibus causam proprietatis

Interdictum, Quorū bonorum, Quorum legatorum, Saluiano, vtrubi
Vti possidetis
Quod vi aut clam
Vnde vi

De liberis exhibendis

Noui operis nunciatio.

De interdicto nunciationis restitutorio seu demolitorio.

De stipulatione noui operis, & remedio satisdationis, quæ post nunciationem interponitur.

De remissione noui operis.

De interdicto, vt liceat ædificare ei, cui nunciatur nouum opus, si satisdederit.

De actione ex stipulatu interposita ab ædificante, cui nūciatur nouum opus, si apparebit eum iniustè ædificasse.

De nunciatione verbali, Per iactum lapilli; Per Pretorem.

De dāno infecto.

De stipulatione damni infecti, & actione ex stipulatu.

De actione in factū, quæ datur ad interesse, si nō caueatur.

De missione in possessionem causa damni infecti.

De actione in factū, quæ datur aduersus magistratum ad interesse.

Inter-

Interdictum de aqua pluuia arcenda
[In]terdictū, ne quid in flumine publico.

SEPTIMA PARS

De natura delictorum, & de pœnis.
Delictum, Crimen
Maleficium, Criminosus
De delictis voluntariis.
Delicta priuata.
Furtum Manifestum
Non manifestum
De furto concepto & actione concepti.
De furto oblato, & actione oblati.
De actione furti non exhibiti, vel de eo qui rem furtiuam apud se quæsitam & inuentam nó exhibuit.
De actione furti prohibiti aduersus eum, qui furtū quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit.
Pœna furti, Fur.
De actione furti
Manifesti,
Non manifesti.
De actione in factū, quæ proponitur loco actionis contra patrem.
De actione furti ex incēdio, naufragio, ruina:
Et de actione in factum descendente ex illo interdicto.
De actione arborum furtim cæsarum
Actio de tigno iniuncto.
Serui corrupti
Serui fugitiui
Rapina
Actio vi bonorum raptorum.
Damnum, Læsio
Offensio, Vulnus
De L. Aquilia.
Actio l. Aquiliæ
Directa, Vtilis
Subsidiaria in factum L. Aquiliæ actio.
Actio de pauperie.
De actione in factum ex illo edicto, Cuius dolo malo damnum datum esse dicetur.
Iniuria
Contumelia siue verbalis iniuria
Obtrectatio, Conuitiū.
De attentantibus pudicitiam.
De abducētibus comitē.
Iniuria realis siue corporalis
Actio iniuriarum
Diffamatio.

Bannum, Bãnitus.
De interdicta ciuitate vel platea.
Confiscatio bonorum
Infamia, Infamis.
Motio ab ordine
Pœna interdictionis, artificij alicuius Professionis, negotiationis
Ad tempus, ad perpetuũ aduocationis.
Ictus fustium
Tractio de chorda
Mulcta siue pœna pecuniaria.
Pœna Talionis
Priuationis alicuius iuris. Interdictionis alicuius officij, vel administrationis.
Et generaliter de qualibet pœna, qua quis inhabilitatur ad aliquẽ actum.
De castigatione
Correctione & Emendatione.
De purgatione
Vulgari; Canonica.
De damnatis
De bonis damnatorum,
De absolutione à pœna delicti.
Indulgentia,
Gratia; Venia,
Restitutio damnatorum.

OCTAVA PARS.

De ordine processus iuris
Processus
Causa
Criminalis
Ciuilis; Breuis.
De causis fauorabilibus summariis.
Causæ cognitio
Iurisdictio
Ordinaria
Delegata.
Imperium,
Merum, Mixtum.
Iurisdictio simplex.
De exemplis & priuilegiis exemptionis.
Iudex; Iudicium
Criminale; Ciuile.
De legitimatione personarum in iudicio, seu
Qui habent legitimam personam standi in iudicio.
Instantia iudicij
Forum
De foro competente,
De iure reuocandi domum, seu de exceptione facultatis reuocandum.
Præparatoria iudiciorũ
Citatio eiúsque effectus.
Verbalis
Realis
Peremptoria.

De

actionis

De actione in factum de edendo.

De postulando.

Personæ alieno nomine interuenie̅tes in iudicio

Procurator

De falso procuratore, & receptore falsi procuratoris

Aduocatus, Syndicus

Defensor, Excusatur

Coniuncta persona

Legitimus administrator

Curator in litem

De orphanotrophis

Vicedominus

Vicecomes

Negociorũ gestor

De actione negociorum gestorum

Directa, vtili, Cõtraria.

Personæ suo nomine venientes in iudicium.

Actor, Reus

Libellus

De cumulatione actionũ

Exceptio, Dilatio

Plus petitio, Protestatio

Sportulæ.

De interrogationibusque fiunt ante litem cõtestatam.

De positionibus

Litis contestatio

Guarenda.

Iuramentum

Calumniæ, Malitiæ

Præsumptio

Suspicio de quo per Bal. in l. non hoc. ad fin. C. vnde legit.

Notorium, Probatio

Instrumentum

Sigillum Authenticum

Scriptura

Syngrapha Chirographũ

De cõparatione literarũ.

De literis credentiæ, de quibus Castrensis in l. institor. de instit. actio.

Apocha, Quietatio

Antapocha

Exemplũ copeij copia

Notarius, Tabellio

Testis

De articulis & articulorũ exhibitione

Iusiurandum

Necessarium, Iudiciale voluntarium.

De actione in factum ex iurame̅to, siue de actione vtili ex ea causa, qua iuratur.

De exceptione iurisiurandi.

De iuramento in litem

De iurame̅to quod defertur in defectum probationis, vel in suppleme̅tum.

CHILIANI GOLTSTEINII IVRISCONS.

De præcipuis materiarum Iuris sedibus,

EPISTOLA

Ad Georgium Mollerum Generum.

SÆpè memini & sic iudicaui, plurimũ momẽti in eo positũ esse: vt studiosus iuris pauca & idonea legat: & eadẽ sæpius legat atque relegat. Nam veriùs obruitur & destruitur ingenium confusione lectionis: quàm ad iudicandũ informatur. Et quia à me petiisti, vt tibi veluti digito præcipuas leges, & materias ad quotidianam repetitionẽ commonstrarem. obsecutus sum tuæ voluntati. Moneo autem in primis illud, vt si proponas tibi talẽ aliquam legem: vt non omnia primò superstitiosè & curiosè excutias: sed interdum vel percurras saltẽ ad materiam eius obiter cognoscẽdam. Et pòst titulum De actionibus & exceptionibus, quibus ego primas semper do, sunt hi præcipui loci: Ex Pandect.

L. 3. vt vim. D. de iusti. & iure. vbi Salomon Materia de legitima defensione

L. 9. Omnes populi D. eod. Materia Statutorum.

L. 32. de quibus. D. de ll. Materia consuetudinis.

L. 9. Nec

L.9. Nec quicquam. D. de officio Procons. Materia rescriptorum, decretorum, sententiarum, quando valeant: & quam latè pateat iudicis officium

L.1. De offic. eius cui mād. est iurisd. Sedes materiæ dignitatum, & ordinis in magistratu.

L.3. imperium. de iurisd. omn. iudicū. Matetia meri & mixti imperij.

L.6. Quoties §. si satisdatum. 3. D. qui satisda. cogan. Materia sequestrationis.

L.5 Quod te. D. si cert peta. Materia moræ.

L.22. Vinum. D. si cert. peta. Qualiter æstimatio rei attendenda ad disputādum & vtilis, & idonea.

L.31. admonendi. D. de iureiurā. Materia iuramentorum: itemque scripturæ mercatorm, itemque epistolæ, item quemadmodum instrumenta publica atque priuata probentur

L.24. Si constante. l. quæ dote. D. solu. matrim. Materia dotalitij, insertis multis aliis quæstionib⁹ quotidianis.

L. 55. Nemo potest. D de legat. 1. Materia vltimarum dispositionum.

L.42. Naturaliter. §. nihil commune. D. de acquirēda possess. Materia possessorij & petitorij.

L.15. à Diuo Pio. D. de re iudicata. Materia executionis.

L. Quominus. D. de fluminib. Quæstiones variæ & vtiles de molendinis.

L. cunctos populos. C. de summa Trini. Materia contractuum, statutorum & consuetudinum.

L. Edita. C. de edendo. Materia libelli, an & quando narratio eius valeat, & quatenus emēdatio admittatur.

L. cum mora. C. de transact. vtilius ad disputationem. Item Authen. aut sacramenta puberum. C. si aduersus vēditorem. Iason super vsib. Feudor. c. erit omnino cursoriæ legendus est.

Moneo autem rursus, non curiosè legenda & indaganda esse omnia: ac proinde sufficit Bartoli & Iasonis Repetitiones super eiusmodi materias obiter cognoscere: sic vt ad loca ordinaria materias eorum adiungas. Reliqua tempus docebit: vsus præterea, & quotidiana conuersatio, & assidua exercitatio, lectio, & meditatio, & mediocris exercitatio sunt currus, & auriga. Ingenium non est nimis onerandum. Annus, non ager producit. Vale.

NICOLAI EVERHARDI AMSTRODAMI IVRISC. ET PROFESS. Ingolstad.

Ordo studendi in Iure ciuili.

SEquentes hosce titulos potissimùm Iuris ciuilis studioso perdiscendos censeo, qui maximè sunt in hominum vsu: & cum his Pand. titulis semper accommodandos Inst. & Cod. titulos: quibus pro illustratione materiæ addenda est Summa Azonis.

EX D. VETERI.

De iustitia & iure,
De LL. & SC.
De officio eius, cui mandata est iurisdictio.
De iurisdictione omnium iudicum.
De edendo,
De pactis.
De transactionibus:
De procuratoribus.
Negotiorum gestorum.
De eo quod metus causa gestum erit.
De dolo malo
De minoribus xxv. annis.
Ex quib. causis maiores in in-

in integrũ restituantur.
De receptis arbitris.
De iudiciis.
De inofficioso testamẽto.
De petitione hæreditatis.
De Rei vindicatione.
De vsufructu, omnes tit.
De seruitutibus omn, tit.
Ad legem Aquiliam
Familiæ erciscũdæ
Communi diuidundo
De rebus creditis, si certũ petatur
De iureiurando
De condictione indebiti
De cõdictione causa data
Commodati
De institoria actione
De S C. Macedoniano
Quod iussu
Depositi
Mandati
Pro socio
De periculo & commodo rei venditæ
Locati & cõducti.
De præscriptis verbis
De pignoribus & hypothecis, omnes titu.
De probationibus & præsumptionibus
De testibus
De iuris & facti ignorãtia
De iure dotium
De pactis dotalibus

EX INFORTIATO.

Soluto matrimonio quẽadmodũ dos petatur.
De tutelis, per tot.
Ad l. Falcidiam.
De suis & legitimis hæredibus.
Ad S C. Tertullianum & S C. Orficianum

Ex D. Novo.

De operis noui nunciatione.
De damno infecto
De aqua pluuia arcenda
De donationibus
De mortis causa donationibus
De acquirendo rerum dominio, vsque ad tit. de interdictis per tot.
Quod vi aut clam.
De exceptionibus & præscriptionibus vsq; ad titulum de extraordinariis criminibus consequenter
De appellationibus omnes titu.
De verborum significationibus.
De regulis iuris.

NICOLAI EVERARDI A MITTELBVRGO

Iurecons. & Præsidis Mechli-niensis,

CONSILIVM

De legibus Præcipuis in Cod. & Pandectis iuris ciuilis studioso perdiscendis.

EX CODICE.

L. Iubemus. 14 C. de sacrosanct. Eccles. cui adde c. 1. & 2. de rebus Eccles. non alien. lib 6. Authen. hoc ius porrectum & Auth. multò magis, ibid.

L. præsenti. de his qui ad Eccles. confug.

L. non dubium. de legib. & S C.

L. quoties. de precib. Imper offeren.

L. pactum 3. l. traditionibus. l. si quis, l. de quæstione de pactis.

L. si quis aduocatorum. de postulando.

L. 1. l. exigendi. de procuratorib.

L. properandum. l. sancimus. l. apertissimi. de iudiciis.

L. vni. iuncta Auth offeratur. de litis contesta.

L. 1. & 2. cum Auth. qua in prouincia. vbi de crimi. agi oport.

L. 1. & vlt. vbi in rem act. exerc.

L. vni. ex delict. defunctor.

L. iubemus. l. sciant cuncti. de probationib. Authenti. apud eloquentiss. de fide instru.

L. 1 per quas perso. nobis acquir.

L. si mulier. & Auth. si qua mulier. ad S C. Velleianum.

L. 4. de

L. 4. depositi.
L. generaliter. l. in contractibus. de non nume. pecun.
L. acceptam. l. eos qui. de vsuris.
L. per diuersas. l. ab Anastasio. mandati.
L. 2. de rescindenda vendit.
L. 2. l. sancimus. de rebus alie, non alien.
L. vbi adhuc. de iure dotium.
L. vnic. de rei vxoriæ actione.
L. tutores, cum l. fin. de administr. tut. vel cura.
Auth. sed nouo iure, de seruis fugit.
L. 2. qui testam. facere possunt.
L. sancimus. de iure deliber.
L. quia consentaneum, Authent. qui semel, C. quomodo & quando iudex.
L. cùm Papinianus. Authent. & consequenter. de sententiis & interlocut. omn. iudi.
L. vnic. de sententiis quæ pro eo quod interest.
L. eos. l. præcipimus. de appellationib.
Auth. ei qui. & l. per hanc, de temporib. appellatio.
L. venales. quando prouoc. non est necesse.
L. obseruare. quorum appel non recip.
L. cùm proponas. cum Authenti. & qui iurat. de bonis auctor. iud. possid.
L. si quis tantam. vnde vi.
L. vlt. quæ res pignori obligari possunt.
L. assiduis. cum Authent. item possessor. qui potior. in pign. hab.
L. vni. etiam ob chirographa. pecu pig. ten. pos.
L. pen & vlt. Qui accusare non possunt.
L. qui sententiam. l. sancimus. de pœnis.

EX DIGESTO VETERI.

L. de quibus. de legib. & S C.
L. illicitas. §. veritas. & l. obseruandum. de officio presidis.
L. hæres absens. cum quatuor ll. seqq. de iudiciis.
L. posthumus. & l. Papinianus. de inoffic. testamento.

L. item veniunt. l. vtrum. de petitione hæreditatis.
L. officium. l. in rē actio. l. is qui destinauit. l. fructus. l. ex diuerso. l. si ager. l. qui restituere. de rei vindica.
L. item mela. l. ita vulneratus. l. Stichum aut Pamphilum. ad l. Aquiliam.
L. quod te. l. vinū. l. ciuitas. l. cū fundus. si cert. petatur.
L. ait prætor. l. admonendi. de iureiurando.
L. in actionibus. de in litem iurando.
L. dedi. de condict. causa data.
L. 1. l. si non sortē. l. cū is. l. Iulianus. de cōdic. indebit.
L. si pro fure. de condictione furtiua.
L. in hac. de condictione triticaria.
L. is qui certo loco. de eo quod certo loco.
L. si conuenerit. de pignoratitia actione.
L. verum. de cōpensationib.
L. in venditionib. de contrahen emptione.
L. si vēdita insula. de periculo & commodo rei vēditæ.
L. Iulianus. de actione empti & venditi.
L. Quotiens. l. cum de indebito. de probationib.
L. palam. de ritu nuptiarum.

Ex D. INFORTIATO.

L. cùm seruus. l. si seruus pluriū. l. si dominus. de leg. 1.
L. cùm pater. l. cùm prior. l. Titia. l. quæ fideicommissa. de legat. 2.
L. fideicommissa. l. si quis. in prin. de legat. 3.
L. 1. de alimentis legatis.

Ex D. NOVO.

L. si finita. de damno infecto.
L. si quis ab alio. l. quod iussit. l. à D. Pio. l. quidam consulebant. l. sæpè constitutum. de re iudicata.
L. certum. de confessis.
L. qui sibi. l. qui hominem. de solutionib.
L. 1. & 2 de publicis iudiciis.
L. libellorum. de accusationib.
L. respiciendum. l. capitalium. de pœnis.

LEGES

LEGES PRINCIPALES ex C. desumptæ, Anonymo auctore

Ad SC. Velleianum.

L. Si mulier. Auth. si qua mulier.

Administrat. tut. vel curat.

L. tutores, cum l. fin.

Appellationibus.

L. eos. l. pręcipimus

Bonis auctor. iudic. possid.

L. qui iurat. Auth. qui iurat.

Depositi.

L. Quarta

Etiam ob chirograph. pecu.

L. vnica.

Ex delict. defunct.

L. vnica.

Fide instrumentorum.

Auth. apud eloquentissimum.

His qui ad Eccles. confug.

L. presenti.

Iudiciis.

L. Sancimus.

Iure dotium.

L. vbi adhuc.

Iure deliberandi.

L. scimus.

Legibus & SC.

L. non dubium.

Litis contestatione.

L. vnica Authen. offeratur.

Mandati.

L. per diuersas.

Non numerata pecunia.

L.generaliter.l.in contractibus.

Pactis.

L.pactum.3.l.traditionibus.l. si quis in conscribẽdo. l.de quæstione.

Per quas personas nob. acquir.

L.prima.

Pœnis.

L.qui sententiam.l.sancimus.

postulando.

L.si quis aduocatorum.

Precib.Imper.offerendis.

L.Quotiens.

Probationibus.

L.iubemus.l.sciant cuncti.Auth, qui semel.

Procuratorib.

L.1.& l.exigendi.

Quando prouo.non est necesse.

L.vænales.

Quæ res pign.oblig.poss.

L.vltima.

Qui accus.non pos.

L.prius.l.penul.& vltim.

Qui potior in pign.habea.

L.assiduis.Auth.item possessor.

Qui testam. facere poss.

L.senium.3.

Quomodo & quando iudex.

L.consentaneum.Auth qui semel.

Quorum appel.non recip.

L.obseruare.

Reb.alien.non alienan.

L.2.l.sancimus.

Rei vxor.actione.

L.vnica.

Rescind.venditione.

L.2.

Sacrosanct.

Sacrosanct. Eccles.

l. iubemus.

Sentent. & interlocu. omnium iudicum.

l. cùm Papinianus. Auth. & consequenter.

Sentent. pro eo quod interest.

L. vnica.

Seru fugitiu.

Auth. sed nouo iure.

Temporib. appellat.

L. per hanc. Auth. Et qui.

Vbi de crimi. agi oport.

l. 1. & 2. cum Authen. quæ in prouincia.

Vbi in rem actio exerc.

l. 1. & fin.

Vnde vi.

l. si quis in tantam.

Vsuris.

L. acceptam. l. eos qui, &c.

IACOBI MENOCHII IC. Patauini Consilium De legendis interpretibus in principaliores iuris tractatus.

Actionum.

Ias. ad titu. Institu. de actionibus.

Contractuum

Nullus est, qui scripsit commentarios in genere de cõtractibus: ob id legi potest Bart. ad tit. de verbo. obligat. & post eum Ias.

Delictorum.

Iulius Clarus in sua Praxi.

Dotium.

Baldus Nouellus, & Rulandus à Valle.

Exceptionum.

Angel. Aretin. ad titu, Instit. de estcept. Bart. ad titul. de except.

De iudiciorum ordine.

Robertus Maranta.

De iudiciis publicis.

Barto. in titu. de Publ. iudic. Nullus enim est, qui singularem de his tractatum ediderit.

Nuptiarum.

Didacus Couarruuias de sponsal. & nuptiis.

Obligationum.

N. Vigelius. Sed melius satiusque erit sequi Barto. & alios in tit. de verbo. obligat.

Seruitutum.

Bartholum. Cæpolla, & Ioan. Corrasius.

Successionum ab intestato.

Nicolaus de Vbaldis, & extant aliquot commentarij vna impressi, qui legi poterut: scripsit & Val. Forsterus de successionib. ab intestato.

Testamentorum.

Vigilius Zuichemus, Angel. Aretinus, Didac. Couaruuuias in Epit. de testam.

Tutelæ & curæ.

Borgninus Caualcanus scripsit Commẽtarios de Tuture & Curatore: qui tamen non satis mihi probátur: eapropter iudico legendos esse, qui ad D. titu. inteprretationes conscripserunt.

ANTO-

ANTONII CONTII IVRISCONSVLTI

Methodus discendi iuris elegantissima.

Ex lib.1. Subcessiu.c.12.

DE ratione docendi discendique iuris multi varios libros, quidam summas, plerique methodos, alij communes locos, omnes veram iuris artem se tradere confirmantes scripserunt: Quos si quis omnes ordine euoluerit, eosq; inuicem contulerit, discordiam reperturus est implacabilem Hoc incommodum ex propria & innata pleris que nostræ professionis viris φιλαυτίᾳ radices agit: dum quò quisque sibi ingeniosior videtur, eò est ad nouam iuris artem pollicedam audacior. Nullam tamen meliorem viam & methodum quęrendam puto, ea quæ in Institutionibus primò generaliter designata, &, vt ait Aristoteles, ὡς ἐν τύπῳ, deinde subtiliùs & effusiùs in latioribus Pandectarum libris est diducta & expressa. Quòd si interdum sub quibusdam Pandectarum titulis, propria tituli alicuius materia non tam digesta, quam congesta, videbitur: non erit difficile cuiuis vel in minimis Dialectices regulis versato lectori, in quam videbitur, commodam methodum, non adeò vastam materiam distinguere. Quam ad rem multum proderit & Azonis Summam paulò emendatiorem percurrisse: & doctissimi præceptoris nostri Eguin. Baronis Manualia edidicisse: quæ ad primam, secũdam, & quintam partem Digestorum iam

iam pridem edita sunt:ad tertiã, & quartæ partẽ, iam ab ipso auctore, priusquam è vita decederet, præparata erant, ad taliqua verò quartæ partem, itemque ad sextam & septimam partem, partim ex iis quæ viuus in schola dictauit, partim ex eius in Institutiones commentariis, colligere. & vnà cum aliis prælo mandare destinâram: ni totum hoc institutum meum impeditum fuisset. His ergo adiumentis, nusquam à Iustiniani ordine ac methodo deflectendum puto. Mirũ autem & animaduersione sanè dignum est, glossographos & superioris ætatis professores, in minutis plerunque rebus omnibus, Iustiniani præceptis morem se gerere iactantes, ordinem discendi atque docendi ab eo præscriptum neglexisse: ignorantiáne, an contumacia ab eis id commissum sit, nescio: ignorantia tamẽ factum interpretari malo. Quam ne quis posthac prætexere audeat: tam dilucidè ordinem a Iustiniano præscriptũ subiiciã: vt nullus excusationi: ne simulatę quidem, locus in posterum futurus sit.

Primùm, cùm anteà nõ nisi quatuor anni iuris studio impẽderentur, legitimum studiorum tempus hodie vult esse quinquennium. Quæ temporis dinumeratio, nec breuior est, quam rem tantam deceat: nec prolixior, quàm tantæ sapientiæ moles exigat. Nam si Pythagorę satis fore visa est illa πενταετία, quàm ad discendam Philosophiam suis decernebat: meritò & ad ciuilis sapientiæ, veræque, non affectatæ Philosophiæ libros audiẽdos, tantundem temporis sufficere debebit. Singulis porrò huius quinquennij annis talem librorum distributionem, & studiosorũ appellationẽ, decreuerit Iustinianus in Procemio Digest.

Primo anno iuri operam daturus, magistri voce audiat quatuor Institutionum libros: idque primis sex illius anni mensibus: Sex verò postremis, audiat primam legum partem, quatuor prioribus Digestorum libris contentam, quæ Græco vocabulo τὰ πρῶτα nuncu-

nuncupatur. Huius anni auditores appellabuntur Iustinianei Noui.

Secũdo anno libros septem de iudiciis, hoc est, lib. quintum, sextum, septimum, octauum, nonum, decimum. vndecimum Pandect. libros, qui secunda parte cõtinentur, audiant: vel (si temporis vicissitudo id potiùs exigent) libros octo de rebus: illis de iudiciis in tertium annum reiectis. Deinde eodem quoque anno, quatuor libros singulares, qui sequuntur, audiãt. Primò librum xxiij. Digesto in quo sunt hi tituli, De sponsalibus, De ritu nuptiarum, De iure dotium, De pactis dotalibus, De fundo dotali. Secundò librum xxvj. Digest. in quo sunt hi tituli: De tutelis, De testamentaria tutela, De confirmando tutore vel curatore, De legitimis tutoribus, De tutoribus & curatoribus datis, &c. Qui petant tutores, &c. De administratione & periculo tutorum. De auctoritate & consensu tutorum vel curatorum. Quando ex facto tutoris. De suspectis tutoribus & curatoribus.

Tertiò librum xxviij. Digest. in quo sunt tituli: Qui testamenta facere possunt. De liberis & posthumis. De iniusto, rupto & irrito testamento. De his quæ in testamen. delentur. De hæredibus instituẽdis. De vulgari & pupillari substitutione. De conditionibus institutionum. De iure deliberandi.

Quartò lib. xxx. Digest. De legatis primum, in quo est vnicus titulus De legat. 1. Huius anni auditores & olim, & hodie appellantur Edictales.

Tertio anno libros octo de rebus, hoc est, xij. xiij. xv. xvj. xvij. xviij. xix. Digesto libros, si tempus, vt dictũ est, patiatur, audiant studiosi: Quibus etiam adiungãt tres libros singulares, qui sequũtur: Primò librũ xx. Digest. in quo sunt tituli, De pignoribus. Ex quibus causis pignus, &c. cum sequent. titu. In hoc libro magna pars Papiniani lectione constat. Secundò librum xxj. Digest. in quo sunt tituli, De Ædilitio edicto, De

euictioibus. Tertiò lib. xxij. Digest. in quo sunt tituli, De vsuris. De nautico fœnore. De probationibus. De fide instrumentorũ. De testibus. De iuris & facti ignorantia. Huius anni audirores Papinianistæ hodie vocabuntur, sicut & ante Iustinianum.

Quarto anno libros decem singulares, qui ex quatuordecim supersunt. audiãt Primò lebrum xxiv. Digest. In quo sunt titu De donationibus inter virum & vxorem. De diuortiis. Soluto matrimonio. Secundò librum xxv. Digest. in quo sunt tituli, De impensis in rebus dotalibus factis, & sequen. titulis. Tertiò librũ xxvij. in quo sunt tituli, De excusationibus. Vbi pupillus educari vel morari debeat. De tutela & rationib. distrah. & sequen. titu. Quartò librum xxix. Digest. in quo sunt tituli: De militari testamento De acquirenda hæreditate. Testamenta quemadmodum aperiantur. Si quis omissa causa testamen. De S C. Syllaniano & Claudiano, Si quis aliquem testari prohibuerit. De codicillis. Quintò librum xxxi. De legatis 2 Sextò librum xxxij. De legatis 3. Sepeimò librum xxxiij. in quo sunt tituli: De annuis legatis, & sequentes. Octauò librum xxxiv. in quo sunt tituli: De alimentis vel cibariis legatis, & sequen. Nonò librum xxxv. in quo sunt tituli, De conditionibus & demõstrationib. Ad l. Falcidiam. Si cui plus, quàm per l. Falc. lega. fuerit. Decimò librum xxxvi. Digestor. In quo sunt tituli: Ad S C. Trebell. & sequen. Porrò sciendum est, Iustinianum omnes libros, qui sequuntur à xx. libro vsque ad xxxvij. cuius primus titulus est, De bonorum possessionibus, appellare libros singulares: vt rectè notatum est in Indice librorum & titulorũ Pandectis Florẽtinis præfixo. Ideo autem dici singulares puto, quia vno communi generalique titolo non perinde continentur, vt libri, val de iudiciis, vel de rebus. Itaq; Iustinianus eos continua quadã consequentia legi non vult: sed trium annorũ studiis interpolari. Huius anni auditores

auditores λύται appellat Iustinianus: quod nomen & antea quoque sortiebantur.

Quinto & extremo anno libros xiiij. Pandectarum reliquos, qui sexta & septima parte continentur, per se legant studiosi: hisque addant Constitutionū Codicem libris xij constantem. Hodie etiam Nouellæ postea editæ superaddi debent. Huius anni studiosi, Prolytæ nuncupantur. Hactenus enumerata est tota Iuris, & docendi, & discendi ratio ab ipso Imperatore præscripta: ex qua facilè intelligi potest, quam prępostere hactenus multi & doceant, & discant: dum titulum de verborū significatione, & de Regulis iuris vna cum Institutionibus legunt: denique nullas ferè partes tanto apparatu publicè legunt: quanto sextam & septimam: quas tamen priuato cuiusque studio euoluendas relinquit iustinianus.

IOAN. APPELLI IVRISCONSVLTI

Sic noster genium e auctor L. classij.

Dialogus De studio iuris rectè instituendo exercendoque interlocutores tres: Albericus, Sempronius, Sulpitius.

ALBERICVS.

QVò properas, Semproni, cū libro isto tuo tam magno? SEMP. Hàc recta ad auditorium Iurisperitorum. ALB. Ad celebrem illum & magni nominis Iurisperitum, qui proceribus & principibus etiam solet esse formidabilis?

SEMP. Ad istum ipsum, qui olim, quum ei potens Princeps in puclico conuentu minitaretur, atque audiret, habiturum se eum inclementem Principē: propterea quòd aduersarij sui desiderium coram principum Senatu exposuisset, suoque desiderio contradixisset: non est veritus eidem respondere, daturū se vicissim operam, vt esset ei futurus parum clemens Doctor. Neque eum animus fefellit: quum nō multo interiecto tempore ad eum fuerit hic princeps necessitatis angulum impulsus: vt cogeretur Doctorem multis pollicitationibus & muneribus ad se vocare: atque tertio demum nūtio, vix potuerit impetrare, vt veniret. ALB. Noui factum. erat enim controuersia talis, vt potuerit hic princeps vel ei, qui vnigenitum illius interemisset, supplex fieri. SEMP. Atqui hæc fama mouit patrem meum: vt me ad hác Academiam mitteret potiùs, quàm vel Felsinam, vel Ticinum.

ALB. Quot annos in hac professione verfaris?

SEMP. Annos? nondum perpetuum mensem.

ALB. Quam legem hic suis auditoribus prælegit?

SEMP. Legem, cuius est initium: Si nō sortem. D. de condict. indebit. ALB. Hui, tenebricosam illam nimis, & obscuram? SEMP. Sic apparet Alberice. nam ego in hoc proscenio sum cæcior talpa, & turdo surdior: imò non surdus, audio siquidem voces singulas: Sed sic, vt harum rerum nihil prorsus intelligam: perinde ac si Sarmata concionaretur. Primùm non satis intelligo, quid sibi velit hæc vocula, *Sors*: neque is, quum caput legis auspicaretur, explicuit: nisi, quia cōiectura ducor, eam esse summam, quæ ab initio data est: mutuò debitori, nimirum sic iubente hac voce *Vsura*: quam ipse cum illa confert: Neque adhuc excidit mihi, quod puer olim apud Terent. in Adelph legi: *Etiam de sorte nunc venio in dubium miser*. hoc est, de precio, quo empta erat fidicina. Deinde quum debiti tum naturalis, tum ciuilis meminit: atque inter

vtrunque

vtrunque tam anxium facit discrimen: præterea de ignorantia iuris & facti tantum intelligo, quantum is qui nihil intelligit. Quid verò sit *Vsura centesima*, docuit me And. Alciatus: quæ tamen interpretatio cum Accursij & huius DOCTORIS explicatione non quadrat. Insuper quum Iurisconsultus loquatur *de condictione*, hic professor solius conditionis facit mentionem. Inter hæc autem duo tantum interest, quantũ inter medicinam fortassis & ingenuitatem. *Obsequia* verò *libertorum & operas* sic confundit: vt non vereatur obsequia, operas obsequiales appellare: quum obsequia & operæ, non aliter, quàm equus & bos, hoc est, iuxta essentiam inter se distent, vt explicat Zasius. Prætereo hic infinitas voces, quas nõ assequor, stipulationem, acceptilationem, præscriptionem, nouationem, atq; similes: vt non longè absit, quin putem me nullo posse modo in hac professione quicquam efficere: ac planè desperauerim, atq; præstet in patriam reuerti propediem, ac nihil agere: quàm tanto sudore nihil proficere. ALB. Non nego, mi Semproni, plerasque voces à plerisque nostræ ætatis Iuriscõsultis Alciato, Zasio, & Budæo aliter explicari hodie: quàm veteres illi interpretes, propter historiarum & linguæ Latinæ nõ plenam cognitionem, quadringentis ferè annis, ex quo Lotharius Saxo leges ipsas reduxit, interpretati sunt: neque aliquem vel mediocriter eruditum, eorum interpretationibus cõtradicere. Verùm quòd propter pauculas aliquot voces, quas causaris te non satis intelligere, tam imbecillis & abiecti animi factus es: vt constitueris a tam egregio incepto desistere: minimè tibi assentior: imò suadeo, quantum possum, vt hanc radicum amaritudinem cõtemnas: perinde quasi catapota vocaturus: expectesque ipsorum fructuũ dulcedinem. SEMP. Id eram facturus ô bone: ac me ipsum hac in re in consilium adhibui: nihil prorsus ab Accursiano abhorrens absinthio: vt ille nuper ex Frã-

cis Germanus eques solebat loqui: si modò paucula hæ sint voces, quas non intelligo, vtcunque in Grammaticorum & Rhetoricorum scholis versatus. Sed cum tanta sit multitudo: neque professor vel vnam expli-cet: ego video me nihil aliud agere, quàm vel laterem lauare, vel Æthiopem dealbare, aut si quid est factu difficilius, conari. ALB. Confide Semproni: habes compendiariam viam: per quam possis eò quò properas, peruenire. SEMP. Indica, ostende, commonstra per Charites & Musas: vt sis mihi non Mercurialis statua, sed Mercurius ipse. ALB. Est hìc cōductus professor publicus, qui Institutiones Iustiniani Cæs. prælegit, non infrequenti (vt aiunt) auditorio: quē tu poteris accedere liberè: habet etenim ex publico salarium: atque libellus ille continet artis prima principia, & summam: & est talis, vt omnes suos numeros contineat, totus teres ac rotundus. SEMP. Interfui hominis prælectioni semel ac iterum: & minus inde fero, quam ex illius, de quo iam loquimur. Explicat namque præterea de actionibus: in quo loco aiunt eum iam vltra mēsem versatum esse. Deus bone, quam multa hìc audio, quæ non intelligo: Actiones bonæ fidei, stricti iuris, arbitrarias restituere, exhibere, soluere, debere, actiones in rem, in personam, Publicianam, Seruianam, hypothecariam: arbitrium iudicis, officium iudicis, tum nobile, tum mercenarium: tum inhærens, tum non inhærens actioni, tum vim, tum metum, dolum. Cætera de genere hoc adeò sunt multa: loquacem delassare vt valeant fabium & fama est annum iam quientum agi, ex quo is eum libellum publicè prælegēdum in manus sumpserit: & periculum est. ne intra annum sit finiturus. Quòd si hic libellus tanti constat. quid sperem futurum de hoc codice, quem baiulo? quid de reliquis, qui restant? ALB. Vt verum fatear Semproni, nunquam mihi placuit eum libellum tam anxiè, atque tanto temporis tractu adolescentibus

lescentibus explicari: qui nimirum à Triboniano & suis collegiis, Iustiniani mandato, ideo scriptus est: vt ad summum intra annum vnum finiretur: adeoque vt auditores eadē opera & artis prima principia (si modò ad artem reducta est iurisprudentia) & voces ipsas perdicerent. Sed quia sic vsus habet: non contradicamus temerè publicæ ac nunquam non receptæ consuetudini. SEMP. O consuetudines! ô mores! ô tēpora! Et audebis tu quoque consuetudinem paucorum, multorum vtilitati præferre? Quòd si conquestus est Iustinianus in sua præfatione, quam Institutionibus suis præfixit, de quadriennio: quis non conqueratur hodie de septennio, quod ad hūc libellum perdicendum vix est satis? Neque tamen eò dicūtur ista à me, quòd putē satis esse pleraque summis tantū digitis attigisse, præsertim in legibus: vbi quotidie inuenias aduersariū, qui tibi contradicat, atq; nihil non in disceptationem vocet: adeò vt non sit satis, meo quidem iudicio, carnes testudinis gustare, nisi etiam edantur: sed quia desiderem in docendo quedam ordinem: nisi fortassis debeat Grammaticus puero impuberi, simul & Donati præcepta de octo orationis partibus, atque Ciceronis orationem pro T. Ann. Milone explicare: imò Ciceronem ei, qui Grammatices prima principia nondum didicerit: & cùm ille ipsius status, hypothesis, thesis, epiphonematum, & schematum Rhetoricorum faciat mentionem, puer nondum nouerit ea, quæ nomini & verbo accidunt.

ALB. Fortasse non malè ratiocinaris Semproni: attamen sic ferunt tempora: vt nihil sit magis inuisum hodie, quam hæc vox *Nouum*. Quas putas tragœdias excitari, si quis aliter prælegat, quā a maioribus quasi per manus accepit? SEMP. Fateor, neque ignoro, æquiore laturum animo Galliarum regem: si Mediolanum amiserit: quam istos professores, si amittāt veterem illum suum prælegendi modum. Neq; id mirū:

in

quum rex ciuitatem semel amissam rursus recuperare queat: si verò semel è possessione deiecti, nunquam possint ea potiri, id quod hac luce meridiana clariùs cernunt: quo fit, vt eam tam strenuè propugnent. Quòd si hanc prouinciam tenuitati meę demandaret Carolus V. vt ea in re adolescentiæ studiis prospicerē: iuberem, vt nouitiis, præter primæ artis elementa, nihil prælegeretur: neque permitterem eos ad sacras illas Pand. & Cod prælectiones illotis manibus ad hūc modum irruere: id quod, mea quidem sententia, nihil est aliud, quam infirmos hominis oculos in Solis radios aciem intendere. SVLP. Quātò rectiùs, Deum immortalem, iudicat hic nouitius, isto tā multos annos in hac possessione detrito? vt non parum referat, quo vnguento testa recens sit imbuta. SEMP. Dic mihi Alberice, qua via ad huius artis fastigium perueneris? num compendiaria aliqua, an verò consueta illa & vulgari, quam video mihi præscriptam?

ALB. Dicam bona fide, neq. celabo te quicquam. Quum annis ab hinc viginti, a patre huc, nimirum ad publicam scholam, pro iure ciuili addiscendo mitterer: incidi statim in publicum professorem: qui prima tunc lectione ordiebatur. §. sed cùm nulla. l. iurisgentium. D. de pact. Hic mihi planè accidit, quod nūc tibi. Quum enim is loqueretur de pacto nudo, & pacto vestito, de cohærentia contractus, de obligatione naturali, de actionibus bonæ fidei, quomodo cōfirmentur illæ, & multis aliis: accessi ad vnum ex amicis, qui huic professioni tùm quadriennium ferè dederat operam: indicans ei, hac ratione fieri haud posse, vt domum vnquam reuersurus essem doctior. Iam enim vna & altera septimana præterierat: ego verò vtrunque anhelans & sudans, discebam nihil: ac proinde rogās eum, vt consuleret studiis meis: malle alias me vel Medicorum, vel Theologorum auditoria visitare: nimirum quod præstaret aliquid addiscere, quàm nihil: esse me

fortasse

fortasse ad eam professionem, pro ingenii tarditate, non satis idoneum. Ibi ille: Confide (inquit) Alberice, neque despera. non enim ingenij infirmitas tibi obstat, quò minùs ea, quæ audis, hoc primo statim congressu, ex animi tui sententia assequaris: sed ipsius rei difficultas. Adeoque cogitabis, hoc vitium neq; tuum esse, neque ipsius artificis, qui olim scripsit, vel hodie explicat: sed ipsius materiæ: allegans pro ea sententia *l. si seruus seruum. § si calicem. ad l. Aquiliam,* Subinde mihi vulgatum hunc versiculum occinens:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

Neque solus talia conquereris: habes hoc cum multis commune: qui in infimis amplius non sunt, sed in mediis consistunt.

Multi cliuo sudamus in vno.

Quid agerem? Recepi animam, quem antea abieceram: reuersus sum ad [illegible]: hoc audiui frequenter publicum Iuris professorem: consulens interna domi Perotum, Calepinum, Varronem, Sex Pompeium, Non. Marcellum, & qui tunc mihi erat sacra anchora, vocabularium Iuris: pleraque assecutus sum vtcunque, sed paucula admodum: in summa sic transegi biennium: cùm ferè aliud nihil, præter vulgatas aliquot regulas didicissem: quales sunt hæ: Actore nõ probante: reus absoluitur. Iura sunt ad absoluendum promtiora, quam ad condemnandum. Præstet possidere potius, quam petere. Victus victori condemnatur in expensis, & si quæ sunt similes. Habebam præterea in memoria vnum & alterum exemplum obligationis naturalis: vnum tantùm obligationis ciuilis: Ad hæc, xvij. esse actiones bonæ fidei: reliquas omnes stricti iuris: neque tamen intelligebam inter hæc duo genera discrimen. Noueram quatuor esse contractus, quibus ad obligationem inducendam, solus consensus est satis: quinque, qui re contrahuntur. Atque hæc ferè omnia domi didiceram ex multis preceptoribus:

& sic, vt possem referre potiùs, quàm intelligere à non aliter, quàm Pittacus suum χαῖρε. SEMP. Fortassis in ædibus quoque paternis edidicisses minore impensa. ALB. Rectè diuinas: sed sic me mea fata trahebant. SEMP. Vtinam hic saltem imbecilliora sint fata mea. ALB. Hic inueni ἀγαθῇ τύχῃ & Mercurio propitio, præceptorem nouum, & fidum admonitorem: cui per literas eram ab auunculo meo cōmendatus: vt mihi & consilio, & opera sua non deesset: qui simulatque perlegisset literas, interrogauit me, quot annos essem in ea professione versatus? respondi, Biénium: & iterum, an edidicissem Institutiones Iustiniani? Non potui respondere: simpliciter confessus sum, me percurrisse, pleraque tamen assecutum non esse. Ibi ille (vt erat & veri, & studiorum adolescentiæ maximus amator) Alberice, inquit, nisi has Institutiones noueris, perinde quasi tuos vngues, fieri haud potest, vt aliquem Iuris ciuilis interpretem, qui Bartoli & Baldi facit mētionem, intelligas, etiamsi te rumperis. Ego gratias agens viro, in quo mihi magnoperè placebat hæc παῤῥησία, quam non dubitabam mihi profuturam, reuersus sum domum hilarior: atq; post dies non ita multos inueni hominem haud pigrum, non ita celebrem, quàm fidelem, qui meis studiis satis esset aptus: & qui aliquot nobis Iurisprudentiæ nouitiis auditoribus, has Institutiones in suis ędibus enarraret. Eas ego intra annum vnum perdidici: atque frequentaui postea publicorum professorū auditoria, non sine fructu, multo autem maiore cum voluptate. SEMP. Dic mihi bona fide, num & alij, qui clarēt hodie, eodem, quo tu, compendio ad hoc artis fastigium peruenerunt? num & iste, quem nunc audire paro, qui medium digitum huic principi tam potēti ostendebat? ALB. Dicam Semproni fide optima: sed sic, ne quis Corycæus auscultet. Habent hæc auditoria passim non paucos auditores: quòd hæc profes-

ſio plus polliceatur & diuitiarum, & ſplẽdoris, quàm vel Theologia, vel Medicina: habent nobiles ignobiles, patricios plebeios, ſacros profanos, adoleſcentes, iuuenes, & plerunque quadragenarios: dum alius conſulit exiſtimationi, alius diuitiis, alius inediæ. Et cùm ingenia confluant diuerſa, eruditi non eruditi, gnaui ignaui, diligentes pigri, vigilantes oſcitantes: publicus tamen profeſſor eius inæqualitatis nullam prorſus habet rationem: atque vix vni prælegit & alteri. Et inuenias, qui priùs habeant famam ſuam, quàm commodum auditorum: dum in maiore propoſitione amplificanda, in qua ſumus maximè exercitati, quæ tamen ſatis alicui eſt clara, citant ſexcentas leges, ac totidem gloſſas: vtentes in re non dubia teſtimoniis non neceſſariis, vt ait Cicero. Contra verò in explicatione ſubſumptionis & propoſitionis minoris, quæ raro nõ ſolet eſſe κρινόμενον, tam ſunt frigidi ac ieiuni, vt cordatus auditor, quique hoc odioſum tacitè nõdum deuorauit, ſine ſtomacho non poſſit audire. SE. Sic eſt Alberice. nam & ego pariter qualis qualis ſum Dialecticus, deprehendi non ſine moleſtia, ſic fieri. Sed pge.

ALB. Iam qui ideo frequẽtant hæc auditoria, vt legum ſtudioſi tantum habeantur: non magni faciunt, qualem fructum, dummodo peracto ſtato tempore purpuream illam mitram inde ferant, quòd domi ſit vel pingue ſacerdotium, vel locuples patrimonium: laudant memoriam, laudant ingenium profeſſoris, & admirantur: vt ſint quales haberi volunt, ſcilicet auditores. vt aliquis ex eorum numero, [illegible] nõrit, cum Satyrico iure poſſit exclamare: *Semper ego auditor tantum*. Qui verò moleſtè ferunt hanc operam, vel ſtatim reſiliunt: vel ſi ſperant aliquando [illegible], vt & ipſi tande aliquid conſequantur, ferunt quoquo modo: & dum alter alterum adhortatur, manent non aliter, quàm in hoſtium congreſſu milites: et videas pleroſque vtrumque non ſuccumbere: attamen cum

ignominia se conflictus subtrahere: dū videlicet quatuor aut quinque annos in hac acie dimicant: neque tantillum vel laudis, vel manubiarum inde reportāt: quando inanem illum titulum non ambiunt: qui nimirum nec esurientem alat, neque cupidum gloriæ illustret. Proinde fit, vt quum ille xxx. vel xl. auditoribus prælegat, vix habeat vnum & alterum, qui ad frugem perueniat: reliqua seges in herba moriatur. Atque vtinam hæc non quarant plerique, vt soli maneāt iurisperiti. SEMP. Bona verba Alberice: putas tu tantam infidelitatem in hominis tam docti mētem posse descendere? ALB. Non puto: precor tamen, ne descendat. Neque enim ab homine imperito scriptū est: Præclara ingenia quemadmodū & virtutes maximas, ita etiam vitia maxima sæpenumero continere. Hi verò duo multo sudore emergunt: neque singuli hanc perturbatam legū cognitione (vt Magnus Erasmus ait) discūt, sed bini. Nam dum alter alterius opera vtitur, vterque præceptoris vice fungitur, vterque discipuli quandoquidem. *Nunquam desunt consulta duobus.* Atque plus olei interim, quam vini absumunt: hi sunt homines alioqui acutissimi, quique ad hanc professione nati videri possint: vt minime falsus fuerit, qui primum eos vocauit Egregios, hoc est, extra vulgus [illegible] [illegible], & bona vona pars si quid discit, hoc in [illegible], [illegible] tabellis. Neque tamen [illegible] vanitatem, sed [illegible] Comici verbo [illegible], & non aliter quam mendicantes ostiatim [illegible] panem. Adeo [illegible] tauernias procuratione qui [illegible] redeat, quam e schola post [illegible] tametsi [illegible]. SYL. Alloquar homines. Salue [illegible]. ALB. [illegible] Papiniane: [illegible] nos [illegible] tua salutatione, qui non vereris nos appellare Scæuolas. SYL. [illegible] viculum Papinianum. ALB. Non temere: quia prior hoc auderes

fortassis

fortassis etiam non immeritò. S. Superbum hoc Papiniani nomen agnosco: vtinam tamen i[illegible] vnus ex illis, qui in secundis vel tertiis consistunt. A. Ego, mi Sulpiti, libere admodum locutus sum: credens me ab hoc vno Sempronio audiri: quòd si tu pariter audisti, quæ in eius sinum effutiui, quæso te, vt non aliter celes, quam bonæ deæ mysteria. S. Noli esse solicitus Alberice: magis ero hic mutus, quam quilibet piscis. Noui huius gentis mores & impatiētiam: & quomodo hi cœlum terræ hac in re soleant miscere.

Se. Ego verò interim, dum ausculto, perdo hanc horam cum illo meo libro. Sed Deus bone, videor mihi non malè locasse quantumcunque est temporis, qui compendiariam hanc commōstratam viam quasi per transennam conspicio vtcunque caligantibus adhuc oculis. Sv. Rectè diuinasti ô bone: nam ego colloquium hoc vestrum ab initio percepi: abscondens tātisper me post columnam hanc. A. Bene est, Sulpiti carissime, quod in amicum, & qui huic conatui fauet, incidimus, neque enim ignoto, quæ tibi tractatio in hac professione placeat, quæ displiceat: maximè verò, quum nouitiis prælegendum est. Nam & tu quoque nobiscum ab illis eo nomine audis malè. Sv. Forte non admodum bene, qui temere soleam hoc meum institutum celare diligenter. A. Eadem opera celabit aliquis vel amorē, vel ignem. Habent hi suos Corycæos, qui auscultent & insidientur in auris mendaciis, siue calumniis: non aliter quam vulpes gallinæ: imò, vt dicam accommodatiùs, quam Ca[illegible] coactus vitæ hominis: qui se insinuat iis, qui cum aliis in hac re ex omni parte non consentiunt: perinde quasi consilium flagitaturi, mox digressi, quū nullius rei, quæ in præpostera tractatione facta sit mentio, eáque sit de optima, atque eo animo, vt maneat hic sepultum, deferunt virulenter addentes magnam partem de suis mendaciis: vna videlicet manu ostendentes panem

(vt ait Comicus) altera gestantes lapidem. SE. Dispereant pessimè nebulones isti, qui inter professores sic suffundunt frigidam: digni cum suis geminis sellis, quos Sufferianę quadrigę discerpant: tantum abest, vt ad boni & equi notitiam admitti debeant: mihi vero haud mitiora, si vel micam eius mentis apud me habeam. A. Hæc non eò dicta sunt Sēpronij: quòd de eo aliquid suspicer sinistri: sed quia mihi tam virulenta delatio non parum fuit incommoda: hoc tamē me beat & recreat: quòd impudentes illi delatores aliud nihil ex illa sua improbitate reportauerunt: nisi quod hi, quibus sic insibilauerunt, nihil eis ampliùs fidant. SE. Nihil mirum, cùm sint viri non mali: & fuerit falsus Fabius, qui scriptū reliquit, honesta magis iuuare. Et quis fidat delatori, qui modò mentem habeat? A. Ego sic euenire didici vsu: graditur siquidem iuxta pedes vltrix illa Dea Nemesis. Sed valeant isti Metij, suffetij, Sulicij & Caprij delatores, malę pestes: quas habent scholæ quoque, nedum principu aulæ. Tu verò Semproni ibis, quò destinasti. SE. Equidem non ibo: quòd hæc inter nos habita confabulatio, quam spero propter Sulpitij aduentum nondum esse finitam, potior sit mihi futura, quam decem prælectiones, quas non intelligo. Te verò, mi Sulpiti, per omnia sacra quæso: ne non grauaeris hac in re, quando huic colloquio nostro, tametsi nobis ignorantibus, interfuisti, tuam pariter mihi sententiam explicare: videbis aliquando hoc tuum officium non immeretem locatum esse. SV. Quando sic rogas & iubes Semproni, inhumanus sim valde, si tibi tam cupido in re tātilla morem non geram, erranti que viam non commonstrem: id quod olim Athenis erāt piaculare: neq; alio animo sub hanc porticum veni, quam vt quærerem congerrones aliquot: cum quibus me animi gratia oblectarem. Neque etiam grauabor in re seria tibi commodare. SE. Bene facis Sulpiti humanissime:

nisi

nisi fortasse molestū est Alberico minutiora hęc tractari. A. Nihil minus: nam & ego pariter adolescentiæ studiis faueo: neque temere hanc dissertationē suscepi. Sv. Priusquam hanc rem aggredior ego: tu Sēproni depone hoc onus, quod vtraque manu ad lassitudinem vsque tenes. Se. Vix memineram quæ attentione: en deposui. Sv. Principiò valde mihi placent ea, quæ a te Alberice de Iustiniani Institutionib. edissendis dicta sunt. Verum hoc memineris Semproni, ius vniuersum, hoc est, ipsam iurisprudentiam, vt propriè loquamur, eo libello, iuxta T. Caij IC. sententiam, tribui in tria membra seu capita, in personas, res, & actiones: hæc enim tria tractat: atque eam partitionem tam esse obscuram, vt possit ingeniosissimo cuique si non imponere, attamen negocium non modicum facessere. Se. Expecto desideratissimè, atque aures & oculos arrigo. Sv. Primum Persona ipsa nō est peculiare iuris ciuilis siue Iurisprudentiæ caput: ad quod pleraque in legibus relata referantur: sed nihil aliud quam circumstantia: quales etiam sunt causa, locus, tempus, quantitas, qualitas, & euentus: quas perstringit Cl. Saturninus in l. aut facta. D. de pœnis. Se. Suntne reliqua duo quæ commemorantur?

Sv. Sunt. Se. Quid vero mouit Caium, vt personam annumeraret, an fuit falsus? Sv. Minimè: sed cùm videret hanc circumstantiam in legibus latissime patere: visum est ei commodum, separatim etiam explicare, atque duobus Iurisprudentiæ capitibus annumerare. Aliæ enim personæ sunt liberæ, aliæ seruiles: liberæ vel ingenuæ, vel libertinæ: quædam sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ: atque harū aliquæ sunt, vel sub tutela, vel sub cura: aliquæ vero neque sub tutela, neque sub cura: hinc matrimonia, arrogationes, adoptiones, emancipationes, manumissiones, capitis diminutiones, tutelæ & curæ explicantur. Atque hæc est libri primi tractatio: quam etiā sine

præceptore queas ediſcere citius, quàm intra duos
menſes: connumeratis etiam duobus titulis, qui præ-
cedunt, de iuſtitia & iure, & de iure nat. gent. & ciuil.
hoc vno animaduerſo, inter ius naturæ & gentiũ nul-
lum prorſus eſſe diſcrimen. Nam quod Vlp. nimis an-
xiè iuris naturæ, & non gentiũ eſſe voluit maris & fœ-
minæ coniunctionem, liberorum procreationem &
educationem (perinde quaſi iuris naturæ ſint, & nõ
gentium, quæ nobis ſunt cum brutis communia, &
contrà iuris gentium, quę nos à reliquis animantibus
diſtare faciant) tam quadrat (abſit verbo inuidia)
quàm ſi algere, ſitire, & ſomnolentum eſſe, iuris natu-
ræ dixerit aliquis: quum ea quę natura omnia anima-
lia docuit, ſint potiùs naturales quidam affectus: id
quod ex locis communibus Philip. Melanth. quos in
Theologia ſcripſit, poteris probe colligere. Quanto
rectiùs meo iudicio Decemuir in ſuis tabulis ſcripſit:
Quadrupedem pauperiem facere, nõ iniuriam. Quod
ius ipſum quadrupedem & brutum animal minimè
complectatur: ſed hominem tantum, habẽtem ratio-
nem, & iniuriandi animum ac voluntatem. Ius natu-
rale interpretantur Legiſlatores & Gloſſæ paſsim ius
gentium. Is natura debet (inquit Iulius Paulus) quẽ
iure gentium dare oportet. Idem facit M. Cicero lib.
Offic. 3. Proinde meo quidem iudicio Alberice nihil
neceſſe eſt inter ius naturæ primæuum & ſecundariũ
tam anxium conſtituere diſcrimen: quod tamen cum
pace Bartoli & reliquorum interpretum dictum eſſe
volo: neque pugnabo admodum, ſi quis contradixe-
rit. A. Ego nouitius olim & auditor cogitare ſole-
bam, qui fiat, vt cum triplex diceretur ius, naturale,
gentium & ciuile, quare non etiam triplex diceretur
obligatio? Non longe abludit ab hac affinitate Al-
berice, ſi cui libeat & ab effectu, & ab abſurdo colli-
gere: quorum eſt vtrumque in legibus admodum fir-
mum Enthymema. Atque ego puto huic lapſui occa-
ſionem

ſionem inde datam: quũ videret Domit. Vlpianus ſeruitutem paſſim apud omnes gentes eſſe receptam, nõ aliter, quam dominia, contractus, obligationes naturales, & iuris gentium reliquas, eandemque cum natura ex diametro pugnare: inductum eum fuiſſe, vt auſus fuerit hæc duo inter ſe diſcernere, atq; talia exempla [illegible] dixiſſe. Eſt autem captiuitas & ſeruitus. Philip [illegible] ſtore, prauus quidam hominũ affectus magis, quam aliquid tale, quod inter ea, quæ iure gentium introducta ſunt, connumerari debeat. Nam vtcũque cum natura non pugnet, vt homo ſeditioſus, fortaſſis etiã iuſto bello captus, quẽ liceat occidere, a victore in ſeruitutem redigatur: ſed quis iuſte mancipabit illius liberos, [illegible]? Nemo niſi tyrannus: quum naturalis ratio dictet, ne filius culpam præſtet. Sɪ. Ago tibi gratias, ô Sulpiti: quam nunc beaſti me, quum reduxiſti aberrantem in viam. A. Vt ingenuo pudore fatear Sulpiti, nunquam venit in mentem mihi, vt ex perſonæ [illegible]ione facerem tertium iuris ciuilis caput, ſed circumſtantia. Sv. Hoc clarius apparebit, ſimul, atque duo capita videbis. Deinde obſcurius loquũtur & Caius I.C. & harum Inſtitutionum Architecti: qui primum ac potiſſimum Iuriſprudentiæ caput appellant Rem. Quid enim in vniuerſa rerum natura non eſt res? Id vero ſic accidit, quia partiuntur res in corporales & incorporales. Et quum res corporales, paucis aliquot exceptis, veniant in dominium noſtrũ, tradunt modos iure gẽtium receptos, & iure ciuili introductos, quibus res acquiritur, adeoque dominium ipſum. Proinde doctius & apertiùs (vt cum reuerentia dicam) quod appellauerunt Rem, appellaſſent Dominium. Dominium vero eſt ius de re corporali perfecte diſponendi, ſi rei copiam habeas: ſin minùs, vindicandi: niſi vel lege, vel conuentione prohibearis. Dominium autem duplex: directum & vtile. Directum habet feudi dominus, ceu Dux, Marchio: vtile, feudatarius,

cliens seu vasallus. Modi dominium acquirendi iure gentium recepti sunt occupatio, hoc est, aucupium, venatio, & piscatio. (Tot enim habet species) Inuentio, captiuitas. Alluuio, Cõmixtio, Ædificatio, Implãtatio, traditio, cui apprehensio & retentio adsimilantur: atq; nonnulli alij modi, qui perstringuntur Tit. 1. lib. 2. de rer. diuis. & acqui. ear. domin. Modi iure ciuili introducti sunt partim vniuersales, partim singulares. Vniuersales, quibus quædam bonorum vniuersitas acquiritur, sunt aditio hæreditatis, agnitio bonorum possessionis, arrogatio & assignatio bonorum, libertatum conseruandarum causa. Quibus acquiruntur res singulæ, sunt vsucapio, præscriptio, legatum, & fideicommissum. Vbi non ignorabis, eos modos, qui à iura ciuili introducti sunt, tam firmos esse, vt traditio non requiratur: sed modus ipse satis sit ad dominiũ ipsum transferendũ: dũmodo res, quæ acquiritur, indiuiduum sit, quemadmodum Dialectici loquũtur: non etiam genus seu species: excepta sola vsucapione & præscriptione. Nam qui Coloniæ Agrippinæ adit hæreditatem eius, qui Romæ quoque, & in Hispaniis bona reliquit, fit dominus hac aditione earum rerum etiam, quæ absunt, quas nunquam vidit: tantũ abest, vt attigerit. Is cui legatur vas argẽteum, vel equus, vel vestimẽtum, fit dominus eius rei legatæ, etiam priùs quàm ei tradatur. Id tamen quod modo acquirendi domini iure ciuili introducto obtinetur, vel acceptũ ferri, vel expẽsum referri debet: vniuersitati verò, quemadmodum hactenus creditum est, nõ etiam. Præterea traditionem esse modum infirmiorem, sic vt iustam causam requirat: vtpote emptionem, donationẽ, trãsactionem, dotis dationem, legatum generis, aut rei alicuius mobilis, vel simile. Neque enim commodatũ, depositum, locatũ, precarium & pignus satis sunt ad dominium transferendum. Atque hi modi omnes tractantur suo ordine lib. 2. cum priore parte lib. 3. vsque

ad tit.

ad tit. de obligatio. Quòd verò donatio vſucapioni & præſcriptioni ſubiungitur, non habet hunc ſenſum, perinde quaſi donatio ſit modus acquirendi dominij, vel iure ciuili introductus vel more gētium receptus. Eſt etenim contractus iuris gentium non aliter quàm emptio, locatio, mutuum, commodatum, depoſitum, & reliqui. Sed quia Iuſtinianus legiſlator (per l. ſi quis argentum. C. de donatio.) voluit hodie donationem etiam ſine traditione & ſtipulatione eatenus valere, vt eo nomine actione perſonali ageretur: propterea quòd liberalitatem ſatis putauerit iuſtam ad exigendam cauſam, quę ratio an ſit ſatis, vt hunc locum fuerit ſortita, ego non parum dubito: nam hoc auſim affirmare. (Id tamen cum veniam tantorum virorum dictum eſſe volo) longè accommodatius ſubiungi eam quatuor contractibus, quibus vtraque obligatio etiam ſolo conſenſu plerunque introducitur. Talis ſiquidem eſt hodie, Iuſtiniano ſic volente, donationis natura præſertim quantum ad eam attinet, quæ ſit ſine mortis mentione. Alteram etiam ſpeciem maluit Iuſtinianus vltimis voluntatibus connumerare: quæ nimirum a iure ciuili ſuum robur accepit, quæ tamē admodùm frequens non eſt, & in qua traditio ineſt. Atque ego ante annos non ita multos exemplum vidi, in quo cum in modum hic donationis tractatus diſtinctus erat, id quod ſtatim ſignificabo tibi. AL. Paradoxa loqueris Sulpiti. SV. Fortaſſis. SE. Perge vir doctiſſime, diſperеam ſi quid vnquam optatius audiui. Ego me perpetuum ferè menſem ſic excruciaui, vt minus habeant negocij, qui in priſtino excruciantur, & in latomiis, iam ſpero futurum, vt cum meis ſtudiis omnia fiant bene. SV. Ego tibi rerum ſummam tantùm vel digito demonſtrabo, tuum erit tibi quærere præceptorem, qui te in viam hanc compendiariā deducat, vix etenim eò perueneris ſine duce poſtremò fecit ſiue Caius I C. ſiue hi auctores Inſtitutionū ter-

tiam partem, tertium caput Actionem: atque id pariter non satis exactè. Nam cùm dominium sit vna iuris vniuersi pars: consequitur, vt non actio, sed obligatio sit altera. Conferuntur namque dominium & obligatio non aliter, quam architectus & calcearius. Ridiculus verò fuerit, qui architectum cum calceo potiùs contulerit, quam cum calceario. Proinde conferuntur primùm dominium & obligatio non aliter quàm architectus & calcearius: nimirum duo artifices, & duæ causæ efficientes: Deinde actio realis siue rei vindicatio, & actio personalis, nō aliter quam domus & calceus: nimirum duo effectus, & duo officia: Quēadmodū enim actio personalis fluit ex obligatione, ita rei vindicatio fluit ex dominio. Iam vides, opinor, alterum iuris vniuersi, hoc est, Iurisprudentiæ caput, videlicet obligationem. SE. Sic puto. Sunt ergo duo vniuersæ Iurisprudentiæ capita, dominiū & obligatio. SV. Sunt, & ad hæc duo reliqua omnia, quæ sunt in legib. referuntur. Nam sunt vtriusque capitis vel partes, vel species, vel causæ efficiētes, vel effectus, vel affinia, vel contraria, exceptis circunstantiis, quæ & illa, & ista variant. Neque diffido, quin tu Alberice luce hac meridiana clarius cernas: qui factum fuerit, vt T. Caius personam vtrique iunxerit: nimirum non quia sit tertium Iurisprudentię caput: sed quia nō minùs latè ipsius tractatio pateat, quā vnius ex illis duobus; ordinem doctrinæ potiùs, quàm naturæ secutus. Potuit enim eadem opera vel loci, vel euentus circūstantias, vel aliam quamuis ex reliquis, aut etiam plures cōnumerare. Nam hæc ratio, quòd persona sit dignior, nunquam potuit mihi satisfacere: propterea ꝙ docentes alios, commodum auditorum potiùs, quam dignitatem rerum tradendarum spectare conueniat: preferentes honestum vtili in hominum officiis: quēadmodū admonet & explicat Cicero: id quod in nostro proposito nulla ratio requirit. A. Eo in tuam

sententiam

ſententiam, mi Sulpiti, & pedibus & manibus.

SE. Obſecro te vir optime, vt hoc quoque poſterius caput perſtringas vtcunque. SV. Quia ad hunc modum cecidit alea, pergam. Obligatio eſt iuris vinculũ, quo neceſſitate adſtringimur ſoluendæ rei alienæ, ſecundum Rom. ciuitatis iura. Atque hæc definitio cõtinet effectum rei: cuius generis ſunt multę in legibus definitiones: & ad hanc formam prius illud caput dominium definiri. Obligatio eſt duplex: naturalis & ciuilis. Naturalis ſola eſt, cum iure gentium, nimirum æquitate & communi ſenſu ſic iubente, debetur: ita tamen vt eam conuentionẽ, ex qua hæc naturalis obligatio fluit, legiſlator propter circumſtantiam fortè impedientem non adprobet: vt ſi credam pecuniam pupillo ſine tutoris auctoritate, atque is eam pecuniam malè conſumat: ſi frater credat fratri, quorum vterque ſit in patris poteſtate. Impedit enim circumſtantia perſonæ, quò minus ciuilis oriatur obligatio. Ciuilis ſola eſt, quum legiſlator vel iudex vult, vt aliquis obligetur: nimirum falſus in eo: quod lex naturæ ſiue gentium contradicat: quia fortaſſe deſit conſenſus, quem legislator deeſſe ignoret: vt ſi (verbi cauſa) ſcribam ſyngrapham, accepiſſe me centum à Titio, vt ſpe futuræ numerationis tradam: atq; is accipiat ſyngrapham, neq; tamen numeret pecuniam: fallitur nimirum legislator, qui interim dum latet veritas, perinde habet, ac ſi numeratũ fuerit, Præterea ſi vi & tali metu, qui in virum conſtantem poteſt cadere, cogat Titio centum promittere: ad hæc ſoluenda, ſi iudex me ex falſis probationibus, per ſententiam alicui cõdemnet debitorem ciuiliter tantùm obligor. Habes vtriuſque ſpeciei exempla, quum altera ſola naſcitur: frequentiùs verò vtraque introducitur: tametſi fieri queat, vt vna ab altera ſubinde diuellatur: vt ſi creditor propter fortaſsis tranſactionẽ aliquã nuda conuentione promittat, ſe id quod ei debetur, vtroque

modo non petiturum, tollitur naturalis: & contrà, si debitor per sententiam iudicis absoluatur, quia creditor non probet mutuũ, tollitur ciuilis: altera vtroq; casu interim remanente. Quæ tractatio quanquam scitu valde necessaria, præsertim quantum ad cognitionem exceptionum attinet: neque tamen in eo libello satis explicata est, vt hic requiratur præceptor diligentior. Quod enim auctores eius libelli obligationem diuidunt in ciuilem & prætoriam: non video quorsum attineat: nisi quia prior ppetua est, & posterior plerunque temporalis. Iam verò disces obligationem oriri ex contractu, vel quasi cõtractu, ex delicto vel quasi delicto. Atque eam contrahi quadrifariam. Primùm Re, in mutuo, indebito, cõmodato, pignore ac deposito: vbi faciunt eius libelli auctores discrimé inter dolum, latam culpam, leuem & leuissimam, atque casum fortuitum. Quæ quinque nihil aliud sunt, quàm species ipsius euentus: qui a Iuriscon. in d. l. aut facta, connumeratur inter circumstantias vltimo loco. Quæ tractatio in aliis quoque cõuentionibus, delictis vel quasi, præterea modis acquirendi dominij, & nusquam non sibi locum vindicat. Deinde verbis per stipulationem, quæ est quædam verborum à iure ciuili solenniter introducta promissio, qua vtraque obligatio introducitur. Tum literis, si quis syngrapham spe futuræ numerationis tradat, vt paulò antè diximus. Postremò consensu, per emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem & mandatum. Quibus iam antea exemplo vetusti libelli inductus, ausus sum donationem inter viuos annumerare. Vbi memineris, in aliis pariter contractibus, excepta sola literarum obligatione esse consensum. Sed non solùm contractus, verùm etiam Quasi contractus sunt: vt negotiorum gestio, administratio tutelæ, legatum generis non indiuidui, rerum communio, & si qui sunt similes: in quibus alter alteri obligatur,

gatur, nō quia contractū est, sed qa estquasi cōtractu. Neq; enim iussit negociorū dominus, vt hic amicus sua negotia gereret: neque est aliquid vel inter tutorē & pupillum, vel inter hæredem & legatarium cōuentum. Delicta, propter quæ alter alteri obligatur, sunt priuata delicta: vt furtum, rapina, damnum & contumelia siue iniuria. Quasi delicta sunt, imperitia iudicis qui per imprudētiam perperàm iudicauit, eiectio fæmiliæ ex cœnaculo conducto, quæ poteris omnia suo ordine a pręceptore illo tuo inter priuatos parietes, modò nō desit tibi voluptas & sedulitas, intra annum perdiscere. Atque hic te admoneo, ne modos acquirendi dominij cū contractibus & delictis vel quasi parum confundas. neque enim donationibus, trāsactionibus, sententiis condemnatoriis, legato generis & similibus conuentionibus, vel quasi, rerum dominia transferuntur: sed traditionibus, retentionibus apprehensionibus, & similibus modis: vtcunque fieri possit, & quotidie accidat, vt hi contractus, delicta & quasi, plerunque etiam modi acquirendi dominij iure ciuili introducti, ipsam traditionem, retentionem, & apprehensionem vestiant & adiuuēt: id quod iam antea perstrinxi. Equidem sic puto sex posteriores modos acquirēdi dominij iure ciuili introductos. legatum, fideicōmissum (si modò est adhuc aliquod inter hæc duo discrimen) aditionē hæreditatis, cognitionem bonorum possessionis, arrogationem & assignationem bonorum, libertatum conseruandarum causa, alioqui vniuersales, tum proprios esse modos dominij acquirendi, quum de indiuiduo agitur. Quasi verò cōtractus tantùm, quum de genere aliquo, vel re mobili: vt si verbi causa legetur vas argenteum Titio, vel Titius arroget Sempronium, qui fundi Tusculani sit dominus: effici quippe Titium eius vasis vel fundi Tusc. dominum absque traditione, apprehēsione ac retentione. Quòd si centum aurei Titio legen-

tur, vel nomen aliquod siue debitum apud filium arrogatum inueniat Titius, non prius efficiatur vtriusque debiti dominus, quàm quum ab hærede ac debitore, vel ipsi, vel filio arrogato numeretur: adeò vt hoc legatum & hęc arrogatio hoc casu posteriore nihil sit aliud, quàm quasi contractus vestientes has traditiones & annumerationes pecuniarum, non aliter quàm emptio, donatio, transactio, ac reliqui contractus, & quasi ad hoc apti. Atque hoc est, quod priore casu legatario datur rei vindicatio, posteriore verò ꝑsonalis ex testamẽto appellata. His duabus actionib⁹, rei vindicationi videlicet, & actioni ex testamento (quarum vtraq; iã olim erat introducta in legatis petẽdis) à Iustiniano. l. 1. C. cõia de leg. tertia nẽpe hypotheria fuit addita: nimirũ vt legatariis aduersus tenaciores hęredes vberius esset prouisum. Neq; ignorabis, duos in eo libello esse titulos: vnũ, Per quas personas cuique acquiritur: alterũ ꝑ quas perso. nobis obl. acquir. priorẽ loqui de dominio, posteriorem de obligatione: adeò vt δὶς διὰ πασῶ inter se distent. Et quum habeas vtrisque capitis causas, ex quibus fluunt, refert vt officia pariter non ignores. Ex dominio oritur rei vindicatio.: ex obligatione, actio personalis: atque hæc est actionũ summa ac potissima diuisio, quæ in has duas species deducitur. In explicatione verò actionum occurrunt cõmunes illi loci scripti & voluntatis, summi iuris & æquitatis. Ex summi iuris fonte fluunt actiones ciuiles, directæ, stricti iuris, quæ dantur in solidũ, & natiuæ. Ex fonte æquitatis, prætoriæ, contrariæ, vtiles, bonæ fidei, arbitrariæ, quæ dãtur quatenus quis habet vel facere potest, & datiuæ. Imò ex primo capite sunt actiones in vniuersum omnes, si cum exceptionibus conferantur: & rursum exceptiones, si quis cum replicationibus contulerit. Atque hæc est tantoperè à veteribus celebrata ἐπιείκεια, quam Aristoteles Lesbiæ regulæ adsimilat, quæ ipsi structuræ cedat, & nõ

contra,

contrà: & quæ in nulla iuris parte dominari non debet. Iam adde vtrique sua adfinia: Dominium adfinia habet, Quasi dominium & ius in re. Ex priore oritur actio Publiciana, ex posteriore Seruiana, Quasi Seruiana, Hypothecaria, Confessoria, & reliquæ reales, excepta rei vindicatione & publiciana: quarū prior ex dominio est, posterior ex quasi dominio. Obligatio ad finem habet æquitatem: ex qua iudicis officium fluit: non aliter, quàm ex obligatione actio personalis: quū scilicet id petitur quod debitum quidem non est, attamen sorti accedit: vt sunt litis impensæ, id quod interest, & fructus, præsertim in stricti iuris conuentionibus. Hic sequuntur modi, quibus dominiū amittitur, traditio, apprehensio, retentio, vsucapio, præscriptio, & quum rem habemus pro derelicto. Quibus verò tollitur obligatio, sunt solutio, acceptilatio, pactū non peti, nouatio, & si qui sunt alij. Præterea sequuntur exceptiones, replicationes, interdicta, officium iudicis, & criminalia, quæ tantum fortasse obscuritates non habent, quantum ista, quæ iā perstrinxi. Vbi non ignorabis, exceptionem esse duplicem: vnam facti, vt sunt exceptiones solutionis, acceptilationis trāsactionis, iurisiurandi iudicialis, præscriptionis, & similes: quum videlicet solutum, acceptilatum, transactum, iuratum coram iudice, & præscriptum est: nimirum neutra amplùs obligatione superstite: nisi fortè altera tantùm, quæ tamen vllum effectum amplius non habet: quemadmodum de exceptionibus & præscriptionibus loquuntur interpretes alteram iuris, vt sunt primùm exceptiones pacti conuenti, iurisiurandi conuentionalis siue voluntarij, & similes, quoad ciuilis obligatio superest: deinde exceptiones quod metus causa, doli mali, in factum, propter errorem non numeratæ pecuniæ, vbi ciuilis obligatio sola est introducta: postremò exceptio rei iudicatæ, vbi superest adhuc obligatio naturalis. Adhuc magnū esse discrimen

inter possessionem & dominium: multumque referre, an experiatur aliquis coram iudice possessorio, an verò petitorio. nam possessorij tractationem cõtinet titulus de interdictis: atq; hæc est posterior libr. 3. pars, cum vniuerso libro 4. Iudicialis verò processus nihil continet hic libellus, quare ea poteris ex iure canonico pariter colligere, & ex Pandect. ac Codice. Nam quum à Iustiniani tẽporibus, qui in humanis esse desiit, annos ab hinc mille, nihil ferè statuerint Imperatores: hoc egerunt Romani Pontifices, opera doctissimorum hominum, vt iuris ciuilis interpretum variantia dogmata conferrentur, atque iura statuerentur. Cæterùm vt hæc omnia meliùs & exactiùs intelligerem, adiuuit me libellus Institutionum, annis ab hinc cccc. conscriptus: quibus Lotharius Saxo orbi Romano imperauit, ad eum modum qui sequitur. Primus in ordine liber erat, qualis etiam hodie circumfertur: sic tamen vt titulus de iure Personarũ primum sibi locum vindicaret: reliqui duo tituli, qui præcedunt, essent vniuersæ tractationis præludia. Deinde secūdus liber vsque ad titulum de obligationibus protendebatur. Tum tertius ab eo loco vsque ad titulum de actionibus: ita vt principium tituli de donationibus titulum de Legatis, reliquum vero titulum de Mandato sequeretur: quemadmodum iam anteà memini. Præterea titulus Quibus modis tollitur obligatio, titulum de Actionibus præcederet: vltimoque loco libri tertij poneretur. Postremò titulus de Actionibus, cum his quæ sequuntur, liber quartus erat, vt nimirum luce hac meridiana clariùs cernas librum primum tractationem personæ, secundũ modos quibus dominium vel iure gentium, vel ciuili acquiritur: tertium contractus, delicta & quasi, ex quibus oritur obligatio: quartum officia & effectus, tum dominij, tum obligationis cõplecti. A. Quis fecit tibi ô Sulpiti eius libelli copiam? SV. Nuper inueni cũ apud

mare

mare Balthicum & sinum Codanum in Bibliotheca quadam haud ita magna a tineis corrosum, & puluetibus bene obsitum. A. Hui in hoc orbis angulo apud Cimmerios tam splendidum libellum qui possit talibus tenebris tam claram lucem reddere? S v. Etiã Alberice: & puto cum a docto aliquo, qui cum Primislao aut Othocaro V. Bohemorum rege (nisi me coniecturæ fallunt) proficisceretur, illuc perlatũ fuisse: quum inibi temporibus Rodolphi Rom. Regis, qui ex Habsburgica familia primus superiori Pannoniæ præfuit, Vlinrigiam, in eo loco, quem Plinius Austrauiam, gens ipsa Sudanen appellat, ædificaret: quæ hodie illustris principis Alberti March. Brandeburg. & Boruss. domini, beneficio Serenifs. Sigismundi Polon. Regis auunculi, principalis sedes est: atque à fundatore Mons Regius appellatur. A. Verisimilie loqueris Sulpiti: nihilque dubito idem affirmaturos hos institutionum architectos Tribonianum, Theophilum & Dorotheum, si a mortuis hodie resurgant. S v. Sed nimium fortasse dico: & plus quam volui: Amphora cœpit institui, currente rota cur vrceus exit? S E. An nimium dixeris, nescio, certè minus, quam ego volo: gratum tamen est mihi supra modum, quòd hoc compendium aberranti monstraueris. S v. Crede mihi Semproni, hac ratione fieri posse, vt & citiùs & minore negocio peruenias eò quò tu properas.

A L B. Hęc ipsi audent inuidiosa voce, vt ipsis videtur, appellare Noua? S v. Audent Alberice.

A L. Eadẽ opera appellauit aliquis patrem suum & auum veteres: proauum, abauum, adauum, tritauum & deinceps maiores, Nouos: si hęc tractatio annos ab hinc mille, quum conscriptus est hic Institutionum liber, atque non alio instituto, nisi vt adolescentibus ad hunc modum prælegeretur, obtinuit suũ locum. Qui fit, vt id quod est tam vetus, ausint appellare nouum, & cõtra? S v. Qui fit Alberice, vt Monasticen hodie

appellent veterem religionem: verùm Christianæ fidei cultum, quem Apostoli a Christo, nos ab Apostolis accepimus, nouum? A. Habeo quod respõdeam, sed in aurem. Sv. Dic ô diuûm Alberice interpres, ô maxime vates. A. Illis fortasse Accursius vetus est, & Vlpianus nouus. Sv. Non lõgè abest: inuenias enim à quibus habeatur maior & antiquior, nescio nû vetustior. A. Venit mihi in mentem Iurisperiti cuiusdam sacerdotis, qui dicebat canonum Roman. Pont. etiam in iis, quæ ad religionem attinent, tantam esse auctoritatem, vt eam Paulus Apostolus non potuerit labefactare: perinde quasi Paulus priore seculo sub Sigismudo Bohemo Euangelium gentibus prædicauerit: hi verò Conones fuerint conscripti priùs, quam Theologus nasceretur. Huic ius Pontificum erat vetus, Paulus Apostolus nouus: quem adolescens olim in publica prælectione audiui historiam magno supercilio recitantem de Græculo homine Romã misso, cui à Senatu fuerit oppositus Morio, ex quo didicerit ille, Romanos dignos, quos Græci suis legibus dignarentur: atque leges xii. tab. post Christum natum fuisse præscriptas: quam ipse legerat apud Accursium in l. De orig iur. Sv. Talia fuerunt priora & patrum nostrorum secula. A. Fuerunt sic satis iniquis ferentibus: sed miror hodie plerosque tam esse pertinaces, vt latum etiam digitũ non velint cedere: adeò vt nusquam potentius regnet Terminus Deus, quam hic.

Sv. Noui vnum & alterum, qui egregiam illã Noriberg. editionem Pandectarum, & aliorum iuris nostri librorum, hac ratione contemnant: quæ mihi nõ vnum tantùm nodum tam probe explicuit. A. Hi fortasse mallent ædes laceras & ruinosas, quam integras: vestimentum ab aliquo imperito sarcinatore cõfectum, quàm a perito. Sed nunquid necessarium fuerit Sulpiti, titulum de verbo. significationib. qui est in Pãdect. penultimo loco positus, ipsis Institutionibus

premittere:

præmittere: id quod ego audio à multis affirmari?

Sv. Rectè admones Alberice: ego sic puto: neq; tamen admodum repugno: si quis vel diuersum, vel cõtrarium statuerit: scilicet eum, qui auditori Institutiones prælegit, singulas voces, iuxta præscriptum eius tituli, suis in locis explicare debere, vt auditor intelligat generaliter an specifice, propriè an impropriè, figuratè an simpliciter, ac deinceps quauis voce hi Institutionum austores vtantur. Quo enim modo poterit hic auditor (vt proferam vnum exemplũ pro omnibus) in l. pecuniæ verbum, intelligere discrimen inter actionem & petitionem: nisi primùm hic explicauerit §. Omnium. de actio. Se Dicite mihi: viri optimi, qualem auditorem hæc professio requirat: ne si parum idoneus & profanus ad hæc sacra irrumpam, idem accidat mihi, quod cani in balneo? Al. Quid cunctaris Sulpiti? perge, vt cœpisti. Sv. Non libenter concionor audiente te, qui pluribus annis in hac professione & reliquis liberalibus disciplinis versaris.

A. Nihil refert quandiu, sed quam bene noui ego ταπεινοφροσύνην [?] meam, & contra ὁμιλίαν [?] tuam.

Sv. Ego illam tuam extenuationem Alberice vtcũque fero, & impudentior haberi possum, qui in hac scena gestum ago, spectante Roscio. A. Minimè.

Sv. Primùm Semproni necesse, vt is qui se huic professioni dediturus est, sit literis, vt ait Cicero, cinctus. Neque satis erit Grammatica ex Alexandro Gallo didicisse: sed vt habeat historiarum non modicam cognitionem, vtque nouerit quibus temporibus quilibet Rom. Cæsarum Reipub. præfuerit: sub quo quisq; Iurisconsultus de iure responderit: quod fuerit Prætoris & aliorum magistratuum officium: vt sit in comœdiis Terentij, libris Ciceronis, Salustij, Liuij, Quintiliani, atque reliquis probæ notæ auctoribus, quibus Erasmum Roterod. ac eos qui clarent hodie, iungo, non sine fructu versatus: vt, verbi gratia, inter has for-

mulas loquendi, Ex tempore respondere, & de tempore respondere: inter has voces porrò & proinde, inter non mirum & nimirum, inter deinde & subinde nouerit discrimen: quorum primum Accursius in l.3. D. de testibus. Budæo sic animaduertente, non nouit: quemadmdum in l.2. de orig. iur. ignorauit discrimen inter ferè ac feræ, & inter aduerbium & nomen: adeò vt plerasque ciuiles actiones ausus fuerit appellare feras & crudeles. Neque prorsus abhorreat à Græcis literis: si vel non vult, vel nō potest eas exactè perdiscere, propterea quòd pleraque sunt in legibus loca, quæ sine harū cognitione percipi haut queant. Nō credat Accursio, qui dicit, Hoc Græcum nullius est vtilitatis: vt scilicet εμφύτευσιν interpetetur implātationem seu insitionem, non meliorationem. Deinde non sit Dialectices imperitus: sed discat diligēter definire, ac probè diuidere. Neque hic exigo anxiam illam prioris seculi, & quę nuper regnauit Dialecticen: quæ quū in primis & secūdis intentionibus, realitatibus & formalitatibus, vtrum res ponantur in prædicamēto, an nomina, & eiuscemodi rebus nihil esset valdè sollicita, non nouerat vllam aliam, prępter vnicam hominis definitionem, ac extra cōsueta sua exempla de Socrate currente & Platone disputante, prorsus erat muta, vbi etsi plures essent, qui in hac consenuissent: nullus tamen reperiebatur, qui quum incudes, malleos, forcipes, folles, carbones & reliqua instrumenta fabrilia sibi magno impendio comparasset, potuerit vel clauum fabricare, Quantum verò hæc ars nostræ professioni conferat: inde saltem liquere potest, quod M. Tullius in Bruto hac ratione Ser. Sulpitiū Q. Mutio Scæuolæ anteponat. Hæc etenim est reliquarū disciplinarū & artiū amussis & regula, quā nobis Plato tātoperè commēdat, & Aristoteles tā feliciter absoluit. Præterea curam gerat hic candidatus, vt ante omnia ipsius ęquiuocationis habeat rationem: quum passim

incidat

incidat in legibus, vt modò ꝓpriè, modò impropriè, modò genericè modò specificè, modò figuratè, modò simpliciter legislator eadem voce vtatur. Vt enim aliud est pignus, aliud hypotheca: hæc tamen duo sic solent iurisprudentes confundere, vt vno vtātur pro altero, etiam in eodem responso: id quod est admodū obscurum, & periculi plenum. Hac enim techna veteres illi hæretici imposuerunt orthodoxis: præsertim verè Pelagius, dum variè vtitur hac voce, Gratia. Ad hæc vt meminerit non vnum tantùm esse definiendi genus, sed plura. Insuper vt inter partitionem & diuisionem probè faciat discrimē: videlicet, quemadmodum arboris partes sunt, radix, trūcus & rami: species verò pignus, quercus. laurus, pyrus Ita dominij partes sunt proprietas & vsusfructus: species verò, directum dominium & vtile: quando non frustra admonuit in Topicis suis Cicero, ne partes cum speciebus incautiores confundamus. Quinetiam cùm ad compositū thema peruentum fuerit, vt sciat ex particularib. proloquiis nihil consequi, collectionem à simili esse nimis infirmam: neque enim hanc professionem mera ꝓbabilia admittere, sed necessaria requirere, tū syllogismum constare tantùm ex tribus, nō etiam quatuor terminis, vt ipsi loquuntur: ad quod negotium conferent multum CL. V. Claudij Cantiunculæ Topica. Mathemata verò, Rhetoricen ac poësin sub Grammaticis comprehendo: adeoque ab hoc auditore exigo τῆς ἐγκυκλοπαιδείας plenam cognitionem, quod is doctrinarū concentus iuris ciuilis studioso sit valde necessarius. SE. Fortasse talis mihi erat quærendus Institutionum enarrator, qui ad hunc modum sit expolitus, atque totius Encyclopædiæ magister.

SV. Erit, si modo eius haberi potest copia: sin minùs etiam is suffecerit, qui poterit tibi hunc libellum ad eum vsum, ad quē præscriptus est, quoquo modo prælegere. SE. Non satis intelligo, de quo loquaris viu.

Sv. Vt illam tantùm verborum seriem explicet: de longis illis commentariis non sit solicitus. hoc est, vt summatim dicam, vt intra annum sic finiat, ne locum aliquem prætereat, quem tu non exactè intelligas: additis subinde scholiis quæ dictet, sed breuibus & paucis, neque vniuersa, quæ de eo loco dici possunt, attingantur. Nam qui velit. §. Item Seruiana. de actionibus. sic tractare, vt omnes titulos Pandect. & Cod. qui & pignoris & hypothecæ, præterea locationis & conductionis faciunt mentionem, explicet: is intra annum eum locum non absoluet. Qualem autem fructum indę percepturus sit auditor huius professionis ignarus, aliorum esto iudicium. Et quanquam hæc quoque omnia sciri debeant: neque tamen omnia debent statim à principio tradi. Quartum enim attinet nouum auditorem tot rebus ignotis obrui. Neque enim est bona vox, quum publicus professor præfatur, Vos scitis, vel scire debetis. Pari opera scire debet auditor id, quod collecturus est: neque tamen potest, propter illius prioris ignorantiam assequi ac intelligere: nisi fortasse non ineptè architectus eadem opera fundamẽtum iaciat, & tectum superstruat: id quod sensus communis dissuadere potest: tantum abest, vt de tecto & conclauibus absoluendis solicitus esse debeat priùs, quam fundamenta iacta fuerint, & stabilita. Neque abludunt, quæ tu iam antea de præceptis Donati & oratione Cic. pro Milone, Alberico diiudicante disseruisti. SEMP. Teneo, maiorem ergo eruditionem requiris in auditore, quam in professore?

Sv. Si fieri potest, volo vtrunque esse talem: sin minùs, vt saltem auditor: neque enim omnia ex præceptoribus discemus. Imò necesse est, vt diligẽti lectione αὐτοδίδακτος multa consequatur. SE. Pulcrè. Sed qualis videbitur tibi hæc tractatio, quum hunc libellum finiunt vix intra sex aut septem annos: atque iis prælegunt, qui accedunt ad hanc professionem nouitij?

nouitij? SVL. Dicam, sed sic, vt maneat apud vtrumque sepultum. ALB. Manebit optima fide. nam & ego quoque sum, vt ait Horatius, dicenda tacēda locutus. SEMP. Nihil est quod vereare, vir optime.

SV. Olim adolescens vsus sum præceptore homine admodum fideli, in singulis, quæ ad prima principia attinent, explicandis. Is, quum præposteræ illius tractationis fieret mentio, solebat mihi in aurem dicere, similem sibi videri talem Institutionum auditorē ei, qui catafractus iret Compostellam, religionis ergo inuisurus D. Iacobum. SEMP. Quid ita?

SVL. Aiebat eum, qui se sic paret huiusmodi profectioni, alia ratione non duci, nisi quia ad eum modū vidit aliquos incidentes. SEMP. Quid si vidit quoq; laneos & lineos, quorum in dies occurrit magna turba. SVL. Putat fortasse eos, qui tam leue incedunt, tantum inde non ferre indulgentiarum. SEMP. Hos ego dicerem referre plus, quu alioqui minùs sint onusti. SV. Non erras Semproni, si cuique ex hoc indulgentiarum acerbo liceat auferre, non quantum mereatur, sed quantum velit: atque hæ indulgentiæ aliquid pōderis habeant, quæ nimirum sunt quauis gluma leuiores: adeò vt ferentes minimè grauent. Et sunt plerunque isti sic discurrentes nulli alij, quàm validi mendicantes, qui hoc prætextu cum suis concubinis otiantur perpetuò. ALB. Satis falsè ô Sulpiti: vides ne quis in hoc Peristylio retrò columnam lateat, quēadmodum iam tu, qui auscultet? SE. Nemo prorsus.

SV. Deinde adsimilabat hunc Institutionum enarratorem cuidam pędagogo, qui duxerat puerum Vindeuienam, hoc est, Viennam Pannoniarum per longos circuitus. aiebat enim se ab hospite suo ciue Francofordi. ad Mænum, cùm eò se, tempore nūdinarum, ad libros emendos contulisset, audiuisse talem historiam. Pater statuerat filium impuberem, literarū gratia, Viennam trāsmittere: nactus pædagogum vetulū

qui duceret, credidit eum fidei ipsius. Is accepto puero cum pecunia, conscendit nauim publicam: adnauigat Moguntiam. ALB. Ad Zephyrum adeoq; Occidentem? Ignorabat ille stultus, ascendendum sibi esse, non descendendum: etiamsi maluisset naui potius, quam terra proficisci? SVL. Audi. Inibi conscendit nauim aliam. Alb. Iturus fortasse contra Rhenum ad Nemetes, Vangiones & Tribocos. SV. Imò rectà descendit, perinde quasi vbi os aditurus, & Coloniam Agrippinam, vbi ventum est Vicelíam siue Vesauiam, descendunt & diuertunt in oppidum pernoctaturi. SEMP. Est ne id, quod appellant hodie Vesaliam. vbi cæsus est cũ Mamea matre optimus princeps D. Aurel. Alexander Seuerus iuuenis, qui tot Iurisconsultos à consiliis habuit, atq; Domit. Vlpianũ tutorẽ, vbi & Mammea mater iacet sepulta. SV. Istud ipsum est Séproni, si modò vera scripsit Æl. Lampridius. Inibi venit in idem diuersorium pueri auunculus. è Thermis Emisensibus, quæ ad amnem Lanum, quę ex Cattis fluit, sitæ, & pulchris ædificiis ornatę sunt: vno miliri à Brabantia siue Confluentibus, vt inquit Tranquillus. Is interrogat pædagogum, quò suum nepotem duceret? Qui respõdit, Viennam Pannoniarum patris sui iussu. Cùm igitur tibi sit eũdum (inquit) ad Solis ortum, cur proficisceris ad Occasum? Hic contrà indignabundus: Putas tu me tam esse stolidum, vt ignorem hoc iter, quod toties peragraui, & per quod olim ignarus ductus sum? an existimas nescire me Mœni fluminis męandros, quos toties audiui à mercatoribus narrari, qui occasionem præstiterint, vt hic mercatus, qui fuit olim Vvirceburgi, translatus fuerit Francofurtum: vbi & iamnum magno negotiorum conuentu bis in anno celebratur? Is contrà. Est fortassis aliquid, quod dicis, si te oporteat naui proficisci, & piaculum sit terram attingere: & vtcunque Mœnus fluxuosus non sit, breui tamen futurũ est, vt

est, vt tu peruenias ad amnis fonté & caput. An est tibi demādatum, vt per Oceanum Germanicum, dein per Britannicum, Cantabricum & Gaditanum, mox per fretum Herculeum, mare Hybericum, Balearicum, posteà per Sardonum, Tyrrhenum, adeoque inferum ac superum, tantoque circuitu per Hadriaticum Venetias, inde verò terra per Alpes Noricas, per Istriam & Illyridem ad locum destinatum peruenias? Ibi ille nimirum excandescens, atque impatiés probæ admonitionis: Noli mihi tam grandæuo præscribere compendium aliud, quàm quod ego iam ante annos triginta & didici: & plures subinde alios proficiscentes duxi: neque quisquam eorum vnquam cóquestus est. Eas (inquit alter) quò tua te pertinacia vocat: verùm si adsit affinis meus pater pueri, & me in consiliū adhibeat, suaderem ei aliud. Nimirum peritior viarum, quàm sit ipse, qui hunc suum nidum paternum nunquam ausus est egredi: & . vt erat vir peritus & prudés, cum homine tam imperito & pertinaci noluit ampliùs contendere. Hospes verò aiebat se his sermonibus valde perterritum: quòd ignoraret, quali duci a patre, homine harum rerum ignaro, filius fuisset concreditus. SEM. Adnauigabàtne per ostia Rheni in Oceanum? SV. Apud Confluentes ascendit per Obrincam amnem, quem Mosellam appellant hodie ad Belgas & Augustam Treuirorum. SEM. Beasti me Sulpiti: iam enim timebam isti puero a Sylla & Charybdi. SV. Et erat hic ductor Treuir. è vili quodam Treuirorum pago ad Mosellæ ripam natus. SE. Fortassis inuisebat amicos sanguine iunctos, quæ illi fuit causa, vt per Belgas proficisceretur. SV. Minimè: nā hunc pagum prænauigabat, quasi neminem ibi cognitum haberet: sed ideo istac ibat, quia præter hoc iter nouerat nullū: & putabat, nisi me fallunt omnia, hoc vnū Viennam versus patere. Apud Augustá Treuirorum comparabat sibi & puero equos: quibus per

Rhetiam ſecundam vehebantur Auguſtam Vindelicorum, recta inde Noribergam. AL. Etiã hic aberrauit à compendio. SV. Noriberga profecti ſunt Viennam cum mercatorum ſodalitio. AL. Tiberinæ ſiue Auguſtæ Tiberij, quam appellant hodie Ratiſponam, fortaſſis vendiderunt equos, & commiſerũt ſe Danubio, rate proficiſcentes ad locum deſtinatum.

SV. Neſcio, neque libebat percontari. A. Nũ poterat veſanus iſte Francofordia per Arnobios montes ad Mœni vtranque ripam & Vangiones Noribergam proficiſci? SV. Hoc iter ignorabat, & rectè monentibus non auſcultabat: nonne ſimiles ſunt huic ductori ſi huius tam egregij libelli tam inepti enarratores, qui nullo alio inſtituto ad hoc inducũtur, quàm quia à maioribus ad eum modum acceperunt? SE. Tam ſimiles, Deus bone, vt video, quàm eſt ouum ouo ſimile. Tali opera mordicùs tenem⁹ multos errores, quos à patribus accepimus: adeò vt cogamur hac ratione Chriſtum abiicere. SV, Rectè coniectas Semproni.

SE. Sed, vt tua pace dicam, hæc ſimilitudo tenuior eſſe videtur mihi: quàm vt negocio tam præclarò conueniat: vt non abs re aliquis poſſit ad te dicere:

Sic canibus catulos ſimiles ſic matribus hædos
Noras, ſic paruis componere magna ſolebas.

SV. Fateor, ſed tum ſic ille loquebatur ex tempore. Sed vis tu, vt meum hic calculum adiiciam, & loquar (ſi fieri poteſt) accommodatiùs? SE. Quæſo te, mi Sulpiti, ne graueris. SV. Qui alios docent Iuriſprudentiæ prima principia, atque illis tam longis ambagibus vtuntur, vbi inueniãt auditores multa, quæ admirentur, paucula verò, quæ intelligant: ſimiles mihi videntur ei, qui demonſtraturus alicui in horto ſpacioſo, in quo ſint conſitæ arbores & hortenſes, & ſylueſtres, ſingularum arborum naturas & ſpecies ad auditorem cupidum dicat: vides hãc? hæc eſt pyrus, hæc malus, hæ rurſus tres pyri. hęc populus, hæc platanus,

hæ quatuor ſici, iterum malus vna & altera: atq; auditor interpellet. Nimium dicis, ô magiſter, iam excidit mihi quæ ſint in ordine prima. Ibi rurſum demonſtrator: oportet te ingenium habere in numerato, & vt nihil excidat tibi, & mox pergat, hæc eſt pinus, hæc quercus, hæc iuniperus: neque tamen addat, turdis feris cibum: rurſum a lęua cernis duodecim ceraſos, a dextra prunum, vuam ſylueſtrem, habes hic vnam atque alteram corylum, hæc eſt laurus, hæc cedrus, hæc amygdalus. iterum quercus, inſuper cornus vna, atque duæ lentiſci, rurſum duæ coryli. SE. Certè onerabit hunc auditorem citiùs, quam erudiet.

SV. Sic mihi videtur, iam ego te alloquar Alberice, qui iſta magis, & exactiùs intelligis: nonne ad hunc modum ludit operam hic enarrator, quum dicit: P. Mæuium obligare ſibi pupillum naturaliter tantùm, ſi ei ſine tutoris auctoritate vendat aliquid, neque accipiat pecuniam: præterea fratrem ſic ſibi obligare, ſi credat ei aliquid, ſi pater filio, ſi dominus ſeruo, & cõtra: inſuper ſi in teſtamento legetur aliquid parũ ſolenni: ſi in teſtamento ſolenni legetur vltra dodrantẽ. Adhæc Mæuium ſibi obligare Titium ciuiliter tantùm, ſi accipiat ab eo ſyngraphan, neque numeret: ſi Titius ei promittat, aut metu impulſus, aut dolo inductus, aut errore lapſus: ſi Titius reus per iudicis ſententiam iniquè condemnetur: ſi faciat Mæuius Titio pactum non peti, vel deferat ei iuſiurandum extra iudicium, atque is iuret ſe nihil debere. Inſuper cùm dicat hic profeſſor, exceptiones ſolutionis, acceptilationis, præſcriptionis, tranſactionis, iuriſiurãdi iudicialis, compenſationis, rei iudicatę, renuntiationis, confeſſionis pretij non ſoluti reum non poſſidere, tua nõ intereſt, litis pendentiæ, exceptiones eſſe facti, ac litis finitæ. Exceptiones verò quod metus cauſa, doli mali, in factum, propter errorem nõ numeratę pecuniæ non numeratæ dotis, pacti conuenti, iuriſiurandi vo

luntarij seu conditionalis, exceptiones iuris esse, neque litis finitæ, sed quæ ad merita causæ tãtùm opponantur: neque addat earum rerum rationes: sed recitet tantum horum exemplorm catalogum: putásne facilè reperiri memoriam, quæ tam sit tenax, vt omnia retineat? AL. Est hæc profectò talis similitudo, vt in ea nullum queas næuum deprehendere: & quæ ex omni parte quadret, neq; video quorsum attineat habere hæc omnia in memoria: etiamsi Theodectis, Simonidis, aut illius ne per Petri Rauẽnatis arte quispiam munitus sit: nisi etiam habeatur (vt ait Macrobius) in ingenio. SV. Quãtò rectiùs hic hortulanus est aggressurus hoc negocium: si cõmonstret huic harum rerum studio arborum species: & dicat, quæ pyra fert, pyrus est: quæ mála, málus: quæ tales nuces, pinus: quæ tales, amygdalus: quæ talem fructum, iuniperus: quæ talem baccam, oliua: quæ talem, laurus, quæ botros, vitis, quę tali cortice tegitur: corylus, quę talem profert florem, talia & deinceps. Nunquid vel intra biduum aut triduum præstabit id, quod alioqui intra annũ vix poterit perficere, si magna aliqua sylua veniat ei explicanda. SEM. Nihil verius, neque facilè reperio talem memoriã, cui nihil hic excidat, si non fructuum, foliorum, florum, corticum, plerunque etiam radicum quadam cognitione ducatur.

SV. An hic quoque non professor vel publicus, vel priuatus, consultiùs est facturus Alberice, si ad definitiones, partitiones, diuisiones, causas, effectus, affinia, contraria accesserit, præsertim in simplicis thematis tractatione, additis subinde circumstãtiis, quæ hęc omnia variare ac moderari solent, atq; hæc omnia explicet non sigillatim, quemadmodum hic hortulanus, sed per quandam vniuersitatẽ, subiecto vbique vno ac altero exemplo, vt videlicet vna arbore cognita dignoscat eiusdem speciei reliquas, etiã si peruenerit vltra Garamantas & Indos. ALB. Tam hæc

sunt

sunt vera, quæ dicis, vir doctissime, vt nulla prorsus cō suetudine quantūuis longæua, vel infringi, vel labefactari queāt. Atq; huc ego puto L. Crassi dissertationē referendam esse, quam in Tusculano Q. Mutio Scæuola, M. Antonio, C. Cotta & P. Sulpitio audientibus, de iure ciuili in artem redigendo habuit: vbi generū, specierum (quas ipsæ partes appellat) atque definitionum facit mentionem: id quod est apud Ciceroné lib. de Orat. I. SVLP. Recte coniectas: nam & libri Ciceronis de iure ciuili in artem redigendo meminit A. Gellius cap. 22. lib. I. Noct. Attic. Et non longè abest, quin dicam Iustinianum suis Institutionibus haud infeliciter præstitisse: quod M. Cicero quondam est meditatus. Sed prætereo hic quorundam ignorantiam dicam, an insaniam, qui in hanc compendiariam viam deductos conantur reducere: quorum est ... suo iudicio valde celebris, qui non est veritus publicè prætextatum interpretari masculum personatum, qui fœmineis vestibus indutus est: & contra prætextatam, quæ masculi vestes personata induerit.

ALB. Non meminerat hic gloriosus §. pen. l. 3. D. de liber. exhib. vbi sunt hæc verba: Proximè ætatem prætextati accedere eum dicimus, qui puberem ætatem nunc ingressus est. SVLP. Nunquam viderat eum locum: &, si viderat, non aduerterat animum.

SE. Non veniebat ei in mentē historia Papirij prætextati, quæ est apud A. Gellium. SVLP. Præter Alexandrum Gallum, Catholiconem & Petr. Hispanum, haud ita multos legerat auctores, Bartolum & Baldū excipio. SE. O cœlum, ô terra, ô maria. Et hic prælegebat Institutiones publico inductus salario, auditorio frequenti? SVL. Prælegebat magno supercilio holosericatus: atque ex eo suggesto præ se neminē non despiciebat: & eos, qui Iustinianum in hoc imitati, afferebāt hunc libellum intra annum finiendum, appellabat vnde admodum contemptibili, Iuristas nouos. SEM. Fortassis ignorabat homo suauis cum

libellum in hoc esse scriptum. SVL. Prorsus: neque legerat vnquam ἀπνευστί, hoc est, vno spiritu, vtcunque purpuratus, vtrunque eius libelli publicus professor procemium quod Iustinianus Institutionibus præfecit. SEM. Ludis me, eum qui aliquem librum publicè profiteatur, non esse in procemio solicitum.

SVLP. Non ludo. nam quum hoc procemiũ prælegeret, tantũ hoc controuertebat, quare Iustinianus appelletur Cæsar, quare Flauius, quare Alemanicus, Gothictus, Vãdalicus, Africanus, quare Augustus denique: & an dignus habeatur hoc nomine, qui huic Monarchiæ nihil adiiciat: qualis item fuerit Cõstantini illius donatio. Quis sit procemij status, quæ summa, non meminerat: fortasse nunquam viderat. Diligentiùs siquidem explicãt Accursium, quàm Iustinianum: id quod à Ioanne Fabro, Angelo Aretino, Iasone Maino, & reliquis interpretibus didicerunt: qui tamẽ non nouitiis, sed prouectioribus scripserũt: nec aliter quam nuper Theologorum turba, quæ in explicatione Magistri sententiarum erat admodùm solicita, contextus Euangelici nullam prosus faciebat mentionem: adeò vt inuenires Magistros nostros, qui vetus & nouum Testamentum domi non haberent: tantum aberat vt perlegissent. SE. Mittamus istos ineptos Institutistas, & relinquamus eos Iustiniano irato, qui hac inuersa tractatione, optimo Cæsari magnam faciunt iniuriam. Iam cùm adolescens sit institutus est, vt intra annum fortassis hunc libellum perdidicerit, qui postea censes edilcendum, admonitor fidelissime, ad quos eum mittis præceptores? SV. Ad celebrem illum, qui hac hora in hoc auditorio prælegit publico, & ad illius similes: imò si videbitur, ad hunc pariter Institutistam. Iam enim fieri potest vt eũ intelligat, quum non ampliùs peregrina, sed sua & sibi cognita lingua loquatur. SE. Nihil est, quod in illis desideres? SV. Nihil: nam si deest aliquid in illis, habes Alciatum, Zasiũ & Budæum. Quod enim non-

nulli

nulli ex iis parum latine loquuntur: tam non obst. auditori. quam non obstat ægroto, si doctus medicus non sit admodum eloquens: quin etiam

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

Et sunt ex numero plerique valde docti atq; Iuriscõsulti absolutissimi, vt eos cum Scæuolis, Papinianis & Vlpianis sine controuersia conferre possis, Iam quum ad responsa Iurecons. & rescripta Cæsarum peruenerit hic auditor, admodum profuerit, vt primùm quærat, quæ sit vniuscuiusque responsi & rescripti ratio dubitandi: qua videlicet ratione motus fuerit Legislator, vt legem ferret. Neque enim legem tulit, vt liceat communem aquam bibere, publicam viam ingredi de re scilicet indubia. Deinde quæ sit ratio decidendi, hoc est, cur hac ratione dubitandi non animaduersa statuerit Legislator vel diuersum, vel contrarium. Est enim ratio anima legis. Quò fit, vt l. prospexit. D. qui & à quibus manumiss. lib. non fiant, dicant iuris ciuilis interpretes carere anima & spiritu: Propterea quòd ratione, quæ anima est legis carere videatur. In quo vno, meo quidem iudicio, regnat diligentissimus Paulus de Castro. Neque enim mihi vnquam in hac professione placuit Pythagoricũ illud, αὐτὸς ἔφα, & Theologorũ πίστευσον: tametsi non omnium, quæ in iure sunt, ratio reddi queat: adeò vt quidam apud Platonem in Protagora, non sit veritus legem appellare hominem Tyrannum, quod multa contra naturam cogat: sic namque apparet multitudini. Quamobrem apud Nasonem lib. 10. Transformationum, Myrrha puella his verbis conqueritur:

Felices quibus ista licent: humana malignas
Cura dedit leges: & quod natura remittit,
Inuida iura vetant.

Quid? quod ea pariter, quæ optima ratione cõstituta sunt facilè calumniari & cauillari possunt, vt est apud eundem Poetam:

Pars inuenit vtraque causas.

Ex quo nimirum liquidum fit, quam necessaria res sit, leges scriptas esse: ne videlicet cuius Tyrãnico magistratui, quicquid libet, liceat. Hoc vnum adiiciens, vt neque Bartolo, neque Baldo, neque Saliceto, neq; Alexandro, neque Iasoni, neque cuiquam interpretu statim credat: perinde quasi ex tripode loquantur: sed dispiciant ipsi diligenter, an id, quod explicant & colligunt, tale sit vt nullo modo infirmari queat. Hinc verò duplex feret commodum. Primum, quia non poterit ei sinistra interpretatione facilè imponi: sunt enim homines, & passim inter se dissentiunt: quin etiã inuenias, qui sibi ipsi in diuersis locis cõtradicãt. Deinde quia singula quæque meliùs & exactiùs intelliget: quorum vtriusque possum tibi vnum & alterum exemplum proponere. Iurisconsultus in l. vulgaris est quæstio. §. si quis æs. D. de furt. ait Titium, quòd in tenebris xxx. aureos Sempronio surripuerit, quos putârat esse argenteos, puniendum furti pœna, quæ est in furto non manifesto dupli, vltra aureorum restitutionẽ, in id quod surripit, nõ in id quod putauit, hoc est, vt lx. aureos pro totidem argenteis Sempronio pręstet. Bart. in l. Diuus D ad l. Cornel. de sicar. hac lege perperam admonitus, affirmat eum, qui abstulit calicem sacrum, quem putabat esse profanum, puniendum esse, vt sacrilegum potiùs, quam vt furem: videlicet in id quod abstulit, non in id quod putauit: perinde quasi eadem sit ratio delicti vtriusque: quum tamẽ longius inter se distent. Quandoquidem in d. §. si quis æs, si hoc Titij commissum palam factum non fuisset, amisisset Sempronius, eius pecuniæ dominus, non argenteos, sed aureos. Vbi autem & quatenus periculum est, ibi & eatens lucrum collocari ac considerari debet. In posteriore verò crimine, cuius facit mentionem Bart tantundem amittitur: siue is calix sacer sit, siue denique profanus: atque in illo priore furto vtraque pœna est pecuniaria & ciuilis: in posteriore verò hic fur vno casu pecunia satisfacit: altero verò vstula-

tur & amittit vitam. Non ergo mirum, si Legislator priore casu spectet periculum domini potiùs, quàm voluntatem ipsius surripientis, qui iuris præsumptione etiam aureos volebat surripere: posteriore verò nō statim præsumitur sacrilegium voluisse committere, qui furtum commisit: præsertim eo tempore, quo fures nō plectebātur, nisi vel dupli, vel quadrupli, quod tantum fuerit inter hæc duo delicta, adeoq; inter has duas pœnas discrimen. ALB. Satis argutè. SV. Præterea nemo est hodie inter iuris ciuilis interpretes: qui non affirmet statutum, vt extantibus masculis fœmellæ non succedant, valere. Id quod colligunt ex l.1. D. de vēt. inspic. vbi sunt hæc verba: Vt familiarum dignitas conseruetur. deinde ex l. super statu. C. de quæstion: postremò ex l.1. C. de adult. vbi permittitur marito vxorem adulteram accusare: cōtrà verò id ipsum vxori non permittitur: perinde quasi masculus ipse sit dignior: quum tamen illa prima lege citata nō faciat Iurisconsf. discrimen inter masculum & fœminam, sed inter partum verum, & partum spposititium ac ementitum, siue is masculus fuerit, siue denique fœmella. Et poterit familiarum dignitas in fœmella pariter cō seruari, quæ nimirum supposita non sit, sed vera patris ipsius, quam saltem nuptiæ demonstrant, filia. Idcircò enim filios filiásve concipimus atque edimus, vt ex prole eorū earúmve diuturnitatis nobis memoriā in æuum relinquamus, inquit Callistratus in l. liberorum. D. de verborum signific. Quemadmodum Impp. Dioclet. & Maximi. in l. super statu. faciunt tantū discrimen inter sordidas stirpes, atque inter splendidos & ingenuos natales, quos noluerunt temerè inter se confundi ac commisceri. Postrema verò Diuorum fratrum lege, vxori non licet maritum adulterij accusare, quòd maritus adulter domum nō repleat incerta & adulterina prole: id quod muliere adulterante accidit. ALB. Et hic pariter non falleris Sulpiti. SV. Sic puto: neque tamen hic definio, an hoc sta-

tutum valeat nécne:sed hoc tantum, id ipsum ex citatis tribus legibus perperàm colligi. ALB. Intelligo.
SEM. Ago tibi gratias vir ornatissime, equidem vicissim dabo operam, vt si vlla ratione fieri queat, pro mea illa tenuitate abundè referam. Rogo autem humanitatem tuam, vt mihi de tali præceptore, qui hac in re mihi suam locet operam, propediem prospicias: neque enim quantalibet merces videbitur nimia.
SV. Prospiciam diligenter. ALB. Valde delectauit me hæc institutio Sulpiti: atque vtinam obtigisset mihi quondam adolescēti talis admonitor & adiutor: minore negocio hæc principia didicissem, & habuissem, quod huic amico meo ad l. si seuus seruum. §. si calicem. D. ad l Aquil. respondissem: nimirum nō probè huc esse detortam: atque hoc vitium non esse materiæ, sed ipsius artificis prælegentis Miror ciuitates opulentas tam esse liberorum suorum negligentes, vt tales præceptores minimè conducant, qui possent ista præstare domi, atque parentes multa impensa, adolescentes verò & pueros multo labore ac periculo liberare: adeò vt si aliquis reperiretur ad hāc professionem parum idoneus, traderetur medicinæ, vel alteri disciplinæ (Sunt enim hominum ingenia admodùm diuersa) vel etiam mercaturæ, vel cerdonicæ.
SVLP. Sic fit, vt earum rerum, quæ optimæ sunt & summè necessariæ, minor ratio habeatur: vt si aliquis in Republ. vel in aula principis talia suadeat, ab aliis rideatur. ALB. Video non sine animi dolore, egregia instituta hoc seculo optanda potiùs esse, quam speranda. SV. Feramus, non culpemus, quod mutari non potest: &, si verum fateri volumus, nulla vnquam ætas nō est conquesta de suo tēpore. Sed rogo vos, vt vterq; vesperi apud me cœnet: sic namque fieri poterit, vt tua opera Alberice, huic Sempronio prospiciam de cōmodo præceptore. AL. Si ita iubes, ego non detrecto. SE Neque ego vir optime. A. Dummodò præter quotidiana exhibeatur nihil. SV. Etiā

non admonitus præstarem hanc frugalitatem. Curate, vt hora quinta adsitis. A. Curabitur.

DE STVDIO IVRIS ET legum Elegia.

Nicodemi Frischlini P. L. & Com. Pal. ad Nic. Reusnerum Iurisconf.

QVi leges & iura fori perdiscere tentat,
Nôrit vt in quouis fásque piúmque loco:
Ille ratem vasto tentat committere ponte,
Inque procellosa nititur ire via.
Quicquid enim totus terrarum continet orbis,
Omne id sub leges ius vocat acre suas.
Quicquid agât homines, quicquid vox personat oris,
Iuris id arbitrio subditur omne pio.
Felix, qui remos & nautica vela parauit
Antè, per has vasti quàm maris iret aquas.
Nam sibi qui placidos audet promittere cursus:
Nec tumidum Boream, flabráque sæua timet:
Ille suo seros optabit tempore remos:
Quum fragili medium puppe tenebit iter.
Namque vbi nimboso consurgent æquore venti,
Ah miser, in liquida naufragus ibit aqua.
Et rerum ambiguus, nec quid fugiátve petátve
Inueniens, omni destituetur ope.
Est via tuta quidem, dum primo in littore cursus,
Et nondum tumidi perfurit ira Noti.
At quum iam terræ ex oculis littusque recedunt,
Et tuus in mediâ linter oberrat aqua.
Tum demum perflant immani murmure venti,
Et laceram quassat multa procella ratem.
Bartolus hinc gelidâ tumidus consurgit ab Arcto:
Aduersa Baldus prælia fronte gerit.

Fluctibus hinc nimbisque minax bacchatur Iason:
  Quem contra pluuia trux Imolaus init.
Hos inter scopulos, inter Symplegadas acta
  Hærebit, remis si qua sit orba, ratis.
Nec tu certus eris, quę prima pericula vites:
  Et dubium frustra mens tua quæret opem.
Quod lex vna iubet, lex altera deinde vetabit:
  Quæ non hîc vultus obruet vnda tuos?
Vidi ego, qui nullos quum posset ducere remos,
  Artis adhuc expers, Ausoniæque rudis.
Attentare vias maris huius, & æquore primo
  Ah nimium duris vertere terga Notis.
Quisquis es, optatum qui vis contingere portum,
  Nec mersa laceras puppe videre trabes:
Disce priùs linguæ cultissima verba Latinæ,
  Vt magno possis cum Cicerone loqui.
Disce bonas artes, Demosthenis arma Pelasgi,
  Et veri normam, mite Planonis opus
Hinc aude leges, aude cognoscere iura:
  Nec dubita, tutum quin tibi fiat iter.
Ars tibi, remus erit: velum tibi lingua Latina:
  Mâlus erit Codex, & tua transtra, libri.
Tum qui diuino pandunt è Codice leges:
  Hi tibi Tiphys erunt, hi Palinurus erunt.
Illos te pariter fas est audire docentes:
  Istorumque ducum iussa verenda sequi.
Qui remex animosa sui dictata magistri
  Respuit, atque odio verba monentis habet:
Ille furens animi, scopulis impingit, & atris
  Cautibus in tumidas carbasa mergit aquas.
Cumprimis verò sanctum venerabere Flatum:
  Aspiret velis mitis vt ille tuis.
Sic tandem placida terræ potieris arena:
  Ornabuntque tuam florea serta ratem.

FINIS.

Cynosvrae Ivris
pars altera:

DE IVRISCONSVLTO PERFECTO, ET DE OPTIMO GENERE IVRIS INterpretandi.



15 SPIRÆ, 88
TYPIS BERNARDI ALBINI.

AD GASPARVM ET GEORGIVM TRADELIOS, CL. IVRECOS. GEORGII *Tradelij Reipub. Augustanæ Consiliarij & Aduocati filios,*

N. REVSNERI IVRECOS. Epistola.

Cvm multis aliis nominibus me vobis coniunctum esse intelligo: tùm officiis & studiis paternis planè cõiunctißimũ. Quid enim dico studia & officia? quum merita potiùs ac beneficia appellare debeam: quæ multa sanè & magna perspexi ijs meis temporibus: quibus facilè fidem ac beneuolentiã hominum perspicere potui: vt paucos æquè saluti & dignitati meæ amicos dicere queam. Nam & animus illius, & opera, & auctoritas, & gratia mihi præstò fuit in omni genere & laborum, & honorum meorum: vt tantum ei me debere libenter fatear, quantum ego persoluere minimè possum. Quare bene-

uolentiam illius potius mihi imitandam, quàm merita assequenda esse censeo. Cuius equidem significandæ & quasi publicãdæ causa, libellum illum de Iurisconsulto perfecto, Anonymi cuiusdam. sed (vt apparet) magni & eximij Iuriscõsulti, & omninò talis, qualem in eo descripsit, ad vos mitto. eumq; vobis communem esse volo cum aliis Iurisprudẽtiæ studiosis: quibus eum vtilem acceptũque fore planè non dubito. Neque solum hũc mitto libellum: sed cum comitatu præterea honestissimo commẽtariolorum aliquot eiusdem argumenti à magnis & præcipuis iuris auctoribus scriptorum, quos in manibus discentium esse perquàm vtile ac propemodùm necessarium est: qui solidam veræ & germanæ Iurisprudentiæ scientiam consequi desiderant. Mitto autem hæc omnia potissimùm ad vos, vt dixi, non solùm gratæ voluntatis & memoriæ erga parentẽ vestrum declarandæ causa: verùm etiã beneuolentiæ erga vos meæ contestandæ gratia: quorũ & ingenij præstantia, & doctrinæ industria, & virtutis indole, & denique morũ suauitate, quã à parentis accepistis ingenio, valde delector, vt nimirũ paulò pòst ad studium Iurisprudentiæ ingres-

Iuris vobis, si minùs fortasse ducis, at comitis saltem facundi esse loco possit libellus iste: in fundamentis & principiis iuris ciuilis rectè atque ordine cognoscendis, atq; percipiendis. Pro quo sanè amore, & studio erga vos meo singulari, satis magnam & vberem gratiam mihi relatam existimabo: si insignem aliquẽ fructum doctrinæ & eruditionis hinc deportabitis: & si parentis inprimis vestri, hominis omnium, quos sciam, & disciplina iuris ciuilis eruditissimi, & ingenio prudentiaq́; acutissimi, & vsu rerum ac dicendi copia elegantiaq́; præstantissimi, atque adeò (vt de Q. Scæuola L. Crassus dicere solebat) Iurisperitorum eloquentissimi, eloquentium Iurisperitissimi, eximiam industriam & virtutem æmulari: aut etiam, si fieri vllo modo potest, superare aliquando enitamini. Quæ sanè æmulatio victoriaq́; vt perhonorifica vobis, ita parenti vestro, amico & affini meo optatissimo, longè iucundissima est futura. Valete.

CLARORVM ALIQVOT Iurisconsultorum Tractatus continens.

Sunt autem hi:

I. ANONYMI *de Iurisconsulto perfecto Liber.*

II. *IVLII PACII De Iuris ciuilis difficultate, ac docendi methodi oratio.*

III. *FR. HOTOMANNI Iuriscōsultus, siue de optimo genere iuris interpretandi.*

IV. *MARTINI ANTONII DELRI De principiis siue elementis iuris Epitoma, ex Ioach. Hopperi libris conflata.*

V. *ANONYMI Methodus & ratio docendi interpretandiq́; Iuris ciuilis.*

VI. *Ioan. Thomæ Freigij Idea boni & perfecti Iurisconsulti.*

VII. *Andreæ Alciati & Matth. Gribaldi iudicium De iuris interpretibus.*

VIII. *Nic. Reusnerij de Iuriscōsultis Italiæ, Galliæ, Germaniæ Epigrammata.*

IX. *Stephani Bodæi prosopopœia Iurisprudentiæ, Qualis esse debeat bonus Iurisconsultus.*

AD

DE IVRISCONSVLTO PERFECTO LIBER vnus Anonymi auctoris.

CAP. I.

De fine ac definitione Iurisconsulti.

CVm multæ ac variæ artes ſunt, quibus maximam gloriam inter mortales conſequi poſſumus: tùm duæ præcipuè homines in ampliſſimo, & dignitatis, & laudis gradu collocare conſueuerunt: Res militaris, & Iuriſprudentia. Quæ quum eiuſmodi ſint, vt nulla alia ars plura ad communem omnium vtilitatem commoda afferat: quippe quarum altera bellum adminiſtrat, altera pacẽ moderatur: ſine quibus Reſpublica nulla eſſe poteſt: meritò maximis pręmiis ad eas pertractandas ſolent homines incitari. Sed quia natura rerum ita comparata eſt, vt multò acriùs eos perturbent, quæ moleſta ſunt, quàm iucunda delectent: & vt pace frui non liceat, niſi belli incommoda, rei militaris ſciẽtia ſint auerſa: & denique, quod ſummum è pleriſque æſtimatur, fines imperij bellis proferãtur: hinc factum eſt, vt a pleriſque res militaris iuris ciuilis ſcientiæ lõgè anteponatur. Neque verò mihi propoſitum eſt, in alterutram partem nunc diſputare: quin ſufficiet, ſi quiſque has artes ambas intento animo per ſe conſiderauerit: ſtatim iudicabit, Iuriſconſultum Imperatori poſtponi neutiquam debere. Hic enim vt præclarè omnia ea, quæ cognoſcenda ſunt, teneat: ſine peditatu, ſine equitibus, ſine multis adiumentis, nunquam officio ſuo ſatis eſt facturus: imò niſi fortunã ꝓſperã

ſenſerit, quicquid ſuſceperit impedietur: quum ea tùm in omnes res humanas, tùm præcipuè in bellum maximam vim habere exiſtimetur. At Iuriſconſultus æqui boniq́ue ſcientię inſtructus, ſine omni comitatu munus ſuum rectè tueri poteſt: nec ſine diſciplina militari, quæ præclara iuris noſtri pars eſt, quicquam Imperator dignum gloria conſequetur. Certè huic, quæ milites pręmiis incitat ad fortitudinem, pœnis deterret à timiditate, multæ debentur præclaræ victoriæ: quæ nulla alia arte imperatoria potuiſſent inueniri. Quò fit, vt quum Iuriſprudentia omnium artium præclariſſima ſit, eidem meritò maximi honores, ac ſumma præmia ſemper fuerit delata. Nam vt vetera illa prætermittam: certè in noſtra Germaniæ Repub. reperiemus multos maximam auctoritatē ſummáq; dignitatem hac ſcientia aſſecutos. Cùm enim omnibus artibus præclaris meritis honor in imperio ſemper fuit conſtitutus: tum verò præcipuè ei, ſine quâ pax, quæ finis totius adminiſtrationis eſt, adminiſtrari nequit, ſumma præmia maiores detulerunt. Vnus enim Iuriſconſultus eſt, qui ea imprimis teneat, quibus imperiorum fundamenta iaciuntur: ea deniq; iacta poſtea ſtabiliuntur. Quippe qui docet improbos eiiciendos, bonos tuendos eſſe: virtutibus præmia, vitiis pœnas adiungēdas: & denique ea in communi vita præcepta ſequenda, ſine quibus tranquillitas conſeruari nequit: ita vt nemo quaſi in ſpeculo poſitus, omnem Reipub. partem conſiderare, nullam prætermittere iudicetur. Nec enim tantum de rebus priuatis conſulitur: ſed etiam ſæpiſſimè de Republ. ſententiam dicit. Et quamuis ſemper hæc ars eo genere laudis, quo vix vlla alia: floruit, & noſtro tēpore floreat: neſcio tamen quo eius fato acciderit: vt Iuriſconſulti ſemper maximas res profeſſi, in minimis ſint verſati, auctore Tullio. Nam ſi verè rem reputare volumus: multò maiora hac ſcientia contineri reperiemus, ac vulgò

vulgò existimatur. Si enim Iurisconsulto iustitia, regina & princeps omnium aliarum virtutum, ac societatis humanæ cōseruatrix, est proposita, vt certè est: sequetur illud, quā latè huius virtutis fines ac termini patent, tam late & nostræ artis iurisdictionem prorogari. Præterea si Iurisconsultus rectè iustitiæ sacerdos perhibetur: omnis eius cultus ad eum meritò referendus est. Hic verò quum partim referatur ad Deum immortalem, partim ad homines inter se, partim erga seipsum, secundum Pythagoram, & Platonem, certè nihil cum natura se præstantiore, nihil cum natura æquali, nihil secum ipse homo agere poterit: vbi non Iurisconsulti quasi officium requiratur: quod quidem (vt multis argumentis probari potest) partim in iure veteri tuendo consistere videtur. Primum quidem illud legislatoris est: sed quia is nihil aliud, ac iustitiā, sibi habet propositum, teste Platone: quod idem quoque ab Vlpiano tribuitur Iurisconsulto: perfectum Iurisperitum etiā legislatoris oficio fungi debere manifestum est. Quò fit, vt illi iuris cōditores appellētur, & iuris auctores: ab iisque iura constituta & responsa processisse dicantur. Porrò quum nihil sit difficilius munere legislatoris: vt qui formam præscribat generatim omnibus futuris hominum negotiis: quique sine sciētia earum rerum, quibus Respub. conseruatur, aut interit, esse non potest, auctore Platone: & deniq; quem oportet optimè naturam, ingenium, ac mores hominum, quibus leges præscribunt, cognita habere: certè videmus, quam multa & magna in Iurisconsulto desiderentur. Quod verò ad ius constitutum attinet: Iurisconsulti officium duo quodammodo complecti videtur. Nam & interpretari tenentur leges cōditas: & consulentibus respondere: quo etiam continetur cautionum & formularum præscriptio: de qua Cicero in Topic. ad Trebatium, & alias. Nihil iam dicam de iure publico, de iure sacro, de iure militari,

quæ à paucissimis hodiè disci videmus. Et certè ea Cicero in libris de legib. & de oratore, ab officio ius ciuile profitentium separat: nihilque iis relinquit ampliùs, quàm facultatem de iure priuato priuatis respondendi: quod monstrant definitiones iuris ciuilis ab eo traditæ. Idemque videtur hoc velle Celsi definitio: vbi ius artem æqui & boni nominat, quæ duo tantum ad priuatos referri possunt: quum in iure publico non tam æquum ac vtile sequamur: nec etiam fiat mentio in hac definitione iuris sacri, id est, Auguralis & Pontificij, nec etiam Fecialis: quæ tamen omnia ad Iurisc͂osultum pertinent. Sed mihi hoc tempore propositum est, tantùm exequi iuris ciuilis consulti, id est, eius qui de iure hodiè vsitato respondet: idq; interpretatur: reliqua, quę magis ad Politicum in genere pertinent, ad aliud tempus reseruabo. Ex quo patet, iuris nostri, vel potiùs ipsius Iurisc͂osulti finem consistere, vt ait Cicero, in æquitate legitima æqualiter inter ciues tuenda. Nec videtur absurdè definiri posse Iurisconsultus, vir bonus, qui ius profitetur, respondet, & interpretatur. Dico Vir bonus, quod verbũ in legibus pro æquo, & artis suæ, quam profitetur, perito accipitur: vt pro diligente patrefamiliàs. Nec ineleganter Horatius id explicuit libro Epistol. primo:

Vir bonus est quis?

Qui consulta patrum, qui leges iuraque seruat:
Quo multæ magnæque secantur iudice causæ:
Quo tempore, & quo causæ teste tenentur.

Dico Profitetur: nam hoc, vt Iurisconsultus publicè munus obeat suum, omninò necessarium est. Quod hodiè in testimonio ab Academia tributo consistit, quæ à Cæsare de iure respondendi, id est, doctorandi, vt vocant, accepit. Dico Respondet: quod Theophilus fieri dicit consultatione, & subsequente ipsius Iurisconsulti definitione. Solebant enim veteres Iurisconsulti ab omnibus priuatis de iure suo dubitãtibus adiri:

adiri: iisque certa responsa reddere: ita vt domus Iurisconsulti templo Apollinis à Crasso comparetur: eiusque responsa, oraculis, vt quæ de iure suo incertos, certos redderent: causæque victoriam diuinando prędicerent. Eadem respondendi facultas hodiè tribuitur nostris Doctoribus, licet minori auctoritate: quũ iudex eorum consilia, vt vocant, sequi non cogatur: nisi quatenus cum iure & communi opinione conueniant. Fiebat autem hac respondendi ratione plerunque legum interpretatio, quæ tacito populi consensu recepta, vim legis habere cœpit: propriéque ius ciuile vocatur. §. Responsa. Instit. de iure natu. & in princip. Instit. de acquisi. per arrog. Idemque contingit hodiè ex indulgentia Impp. in communibus siue receptis DD. opinionibus, quę non minus, ac leges in iudiciis seruari solent: DD. in l. vlti. C. de pœn. quoad scilicet cum lege aut ratione legis, & ita cum veritate conueniant. Panor. c. prudentiam. de offic. deleg. Euerhard. in Top. in loc. ab Auctorit. & in Præãb. circa fin. quod tamen malè vulgo seruatur. Sed de tota hac interpretandi & respondendi facultate latiùs infrà dicetur. Sit igitur hic Iurisconsulto finis propositus, vt tueatur æqualitatem inter ciues, cuique suum ius interpretando & respondendo conseruet: ne dominia & iura priuatorum perturbentur. Hic scopus iuris ciuilis esto.

CAP. II.

DE DIVISIONE STVDII IVRIS, & quibus modis ad finem propositum sit peruenendum.

VT omnes artes, quæ ad actionem aliquam referuntur, partim præceptis, partim actionibus cõtinẽtur: ita & iuris sciẽtia in Theoriá & Praxim

communiter diuiditur. Quamuis enim Iurisc̃osultus nemo sit perhibendus, nisi qui & sciat leges, & iis vti nôrit: tamen quia hæc duo tempore inter se differũt: præcedente cognitione, subsequente actione: poterit hæc distinctio meritò retineri. Est autem elegãs Crassi sententia, dicentis, studia aliquò perueniendi nihil prodesse: nisi illud, quod eò, quo intendas, ferat, deducatque, cognôris. Idem quoque in hoc proposito faciendum: vt videlicet necessaria ad iuris sciẽtiam perfectè consequendam, eandemque ad vsus Reipub. vtiles transferendam inquiramus. Primùm ergo videndum erit, quæ requirantur ad iuris scientiam percipiendam. Hæc vt in oratoria facultate Crassus apud Ciceronem, & in omni arte Aristoteles in Ethicis, sic in Iurisprudentia, tria ego esse existimo: Naturam, artem, Eexercitationem: de quibus singulis videndum erit: ac primò quidem DE NATVRA. Nam omnes quidem homines natura comparati sunt: vt quid iniustum sit, possint cognoscere Sed sicuti non omnes, quibus natura loquendi facultatem c̃ocessit, in summos oratores euadunt: ita nec omnes perfectam iuris cognitionem, his principiis tantùm adiuti consequũtur. Vltra enim primas illas humanis mentibus inditas sententias, multa ad perfectam iustitiæ & iniustitiæ cognitionem desiderantur. vt & ad eloquentiam, multa, præter illam naturalem loquendi facultatem. Videntur autem mihi præcipuè tria magis in Iurisc̃osulto naturæ dona excellentia requiri, quam in aliarũ artium faciliorum discipulis: flagrans nimirũ disc̃edi studium, acumen ingenij, memoria excellens. Quod ad studium attinet: nunquam satis laudata erit Platonis ad Dionis propinquos admonitio dicentis, eum qui alios instituere, remque laude dignam docere velit, ante omnia debere exquirere: vtrum vero amore, an simulato ad id studium feratur. Rationem autem cognoscendi c̃osistere in eo, vt iis propon̄atur omnes

difficultates, omnes labores, omnes molestiæ, quæ ad cognitionem adeò præclarè contendentibus sint exhauriendæ. Fieri enim non potest, quin animus virtutis amans etiam gaudeat hac via sibi patefacta: contendatque omnibus ingenij neruis ac viribus ad eam perficiendam. At contra, qui tãtùm persuasione quadam vtilitatum, nec etiam scientiæ ipsius amore ducti, ad eam discendam sese dediderunt: facilè tot molestiis, tot laboribus fracti, studiũ hoc deserunt. Quãobrem quoniam nulla disciplina maiori diligentia & labore, quã iurisprudentia, eget, necessariò flagrantissimus amor, qui nulla difficultate frangatur, requiritur. Quem sanè, si quis considerans ipsius scientiæ dignitatem, amplissimas inde vtilitates ad Rempub. redundantes maxima præmia discentibus proposita, nõ senserit: haud scio, an hominis nomine dignus sit existimandus. Quotiescunq; igitur animi desiderio quis incitatur ad tam pręclaram scientiam perdiscendam: toties sciat dimidios labores esse exhaustos: quum amãti nihil sit difficile. Nec aliud quicquam Socrates optabat in suis discipulis, præter virtutis amorem: quẽ si oratione iis persuasisset: finis se sui compotem existimabat. Quod autem ad acumen attinet, nemini potest esse dubium: quin illud in Iurisconsulto maximè requiratur: cùm ob tot diuersas leges latas, quæ sine acumine nec intelligi, nec cõciliari possunt: tùm ob nouas semper & varias factorum species contingentes: quas vel ad veteres leges accommodare, vel nouo remedio dirimere, nemo nisi acutissimus facilè poterit: eoque Iurisconsultorum genus acutum à Cicerone dicitur: eiusque rei argumenta legẽtibus & veterum, & nouorum Iureconsultorum commentaria euidenter monstrant. Est autem acumen ingenij præcipuè naturæ donum: sed tamen summoperè arte iuuari potest, tribuitur ab omnibus veteribus, præsertim a Cicerone, Dialecticis. Nam quum acumẽ con-

sistat præcipuè in omnibus iis, quæ de re quaque dici possunt, inueniendis, iisdemque distribuendis, ac veris & falsis diiudicandis, quę propriè Dialectices munera sunt: nemo aliunde ingenij acuendi viam quærendum sibi statuat. Præcipuè autem confert ea Dialectices pars, quæ de iudicio tractat. Sequitur Memoria, quæ semper in Iurisconsultis mirificè laudata est: ita vt magna memoria, memoria Iurisconsultorum dicatur. Hæc quàm necessaria sit: monstrāt tot legum volumina, quæ vix animo complecti licet: tot interpretum opiniones, quas hodiè ob magistratuum negligentiam, vera falsis coniungendo, infinito labore discere cogimur: tot denique minutissimæ factorum circunstantiæ, quæ semper mente comprehendendę, & diligenter discernendæ sunt. Quamobrem memoria & adferenda ad iuris studium est, & augenda atque conseruanda. Hæc ipsa quamuis naturæ maximū sit beneficium: tamen arte perficitur, & augetur. Nec enim desunt inter medicos huius rei, quamuis satis periculosæ, sponsores. Sed præcipuè mihi ꝑbatur Quintiliani remedium: dicentis, moderatione victus, aëris temperie, corporis exercitiis conuenientibus memoriam ali, & confirmari. Deinde probo Simonidis inuentum: qui, vt est apud Tullium, memoriam maximè ordine adiuuari dicebat. Quicunque igitur multas res vult animo complecti: necesse est, vt priùs conuenientias & differentias earum intelligat: deinde generalia primo loco, specialia secundo, & sic deinceps collocet: quod summum & maximum, meo quidem iudicio, memorię remedium est. Hinc Rhethores volunt, memoriam simulacris & imaginibus esse exercendam: quod mihi tamen non probatur. Qumodo enim poteris imagines retinere: si ipsas res retinere nequeas? Aut ergo duplicādus erit labor in imaginibus, & rebus ipsis comprehendendis: aut vero erit inutilis. Potiùs probauerim id, quod iidē Rhetores di-
cunt,

cunt, ediſcendis multis memoriam eſſe adiuuandam. Cæterùm vt hodie Iureconſultorum cõditio eſt: non vſque adeò magna in iis requiritur memoria: præſertim iis, qui ſcholaſticis negociis, vel iis iudiciis, vbi omnia ſcripto comprehendere licet, præſunt. Cui ergo deeſt memoria: ob hanc ne hoc ſtudium deſerat: memor Iaſonis, qui dicere ſolebat: Calamum eſſe, qui iuriſcõſultum faciat. Olim verò alia fuit ratio, quum cogerentur ex tempore reſponſa, veluti oracula fundere: nec liceret anteà libros euoluere.

Cap. III.

DE ARTE.

HOmines ad omne genus virtutis nati ſunt: tũ præcipuè ad iuſtitiam, teſte Tullio. Quò fit, vt nulla virtus maiori in pretio iuſtitia habeatur: ſitque omnibus eius & colendæ, & exercendæ innata cupiditas, & ſcientia. Nec videretur neceſſaria iuris cognitio: vt arte ſcilicet diſceretur: ſi natura hominum eſſet incorrupta: omneſque verò iure, id eſt gentium viueremus. Sed quia naturæ peruerſitas, multorum peſſimi mores. & variæ variorum locorum vtilitates noua iura pepererunt: factum eſt, vt leges ſcribi, & iuris quaſi ars Pomp. l. 2. §. iuris ciuilis. D. de orig. iur, quędam tradi cœperit. Hæc ſi artium, vt fieri debet, ordine ac ratione traderetur: ſicuti iucunda per ſe eſt, ita ſanè videretur facillima. Sed quia nec ordine comprehenſa, nec præcepta generalia a ſpecialibus ſeparata reperiũtur: & quotidie quaſi noua tam à peritis, quàm imperitis principia eius æduntur: magna omnibus diſcentibus obiecta eſt difficultas: quam tamẽ ſuperari poſſe exiſtimo, ſi Platonis & Ariſtotelis opinionem ſecuti, generalia priùs, ſpecialia poſteriùs didicerimus. Nec abhorrere videtur Iuſtiniani Cæſaris propoſitum: qui

omnia primo loco generatim disci iubet: posteà singula exacte atque diligenter. Sit ergo duplex artis cognitio: vna generalis, altera specialis. Generalis in Institutionibus nobis proponitur: in quibus explicandis hæc potissimùm discentibus proponenda videntur: primùm singulorum titulorum ordinis exacta notatio: deinde cuiusque tituli distributio: tertiò singulorum paragraphorum, quò ad verba & sententiam, diligens explicatio. Reliqua omnia tāquam inutilia, & potiùs ingeniū onerantia, quam adiuuantia, omittantur. Institutionibus cognitis, restant Pandectæ & Codex: in quibus ipsis generalis cognitio præcedat, quæ continetur duobus: primò, exactissima omnium titulorum cohærentia: deinde breuissima eorundem summa & argumento. Quæ duo nemo nec doctiùs, nec vtiliùs aperuit Cuiacio in Paratitlis Pandect. & Cod. Quærat aliquis, quid de multorū methodis existimem, qui professi se omnem artem iuris breuibus libris complexuros, multa ea de re ac varia scripta ædiderunt? Huic primò respondeo, nullam vnquā exactiorem methodum ipsis Pandectis hac in re esse editam: omnesque eos, qui inde recesserunt, potiùs corrupisse, quam docuisse artem iuris. Deinde quum leges nunquam meliùs, nisi ex ipsis legibus discātur: vt quas allegare in iudicio, quibúsue vbiq; vti licet: puerile & stultum videri, aliunde ius dicere: præsertim quum ex iis ipsis libris semper ad Pand. & Cod. tanquam fontes sit recurrendum: ita vt hos Methodicos duo maxima sequantur incommoda: vnum imperfectæ artis ac cognitionis, dum ipsas leges non pertractant: alterum, duplicati laboris: dum & libros eorum nouorum auctorum, & leges ipsas simul discere coguntur. Quamobrem sequamur potiùs Iustinianum auctorem in Præfatione Pandectarum: vbi felices eos iudicat, qui non nisi leges discunt. Nec tamen propterea Commentaria reiicio: modò sobriè adhibeantur,

tur,non à discẽtibus,hoc est, prima cognitione artis: sed ab iis, qui exactam interpretationem requirunt. Hac generali cognitione instructus,cum fructu exactiorem iuris interpretationem aggredi poterit: quæ est singularum legum accurata explicatio. Quã præcipuà contineri his existimo. Primò, explicatione verborum:secundò,ipsius sententiæ,tertiò, inquisitione rationis,cur lex lata sit: quartò refutatione & conciliatione legum dissimilium,ac contrariarum, & opinionum diuersarum: postremò, similium specierum facti allegatione, quæ iisdem vel similibus rationibus decidantur. Nam si scientia ex verbis & mente l. Labeo.D.de suppellec.lega.colligitur: nec sufficit simpliciter legem scire,nisi & rationem scias.l. nam Celsus.D.de legib.& si inutilis ea est scientia. quæ non ad vsum & similia transfertur, planè consequi videtur, his quinque veram ac genuinam legis interpretationem contineri:quod Iuriscõsultorum, Edicta Prætorum,& veteres leges explicantiũ, semperque his quasi terminis concludentium, adhucreliqui in Pãdectis commentarij abundè testantur: non quod necesse sit ea omnia in singulis legibus obseruare:sed quandoq; omnia,quandoque quædam: prout ipsius legis explicatio desiderat.Restat, vt patefaciamus hoc in singulis,adductis regulis & exemplis.

Cap. IV.

De indaganda verborum legis significatione.

QVum verba sint notæ rerum, earumque rerum significationes,quæ dicuntur, teste Iurisconsulto: meritò in omni dispositione prius verba, eorumque significatio indagari debet:quoniam verbis cognitis, plerunque de mente ipsa constare solet, Nam senten-

tia & verba regulariter inter se conueniunt: quamuis si pugnent, potiùs mentem, quàm verba sequamur. Sunt autem verba propria, quæ etiam abusiua dicuntur. Nec enim possum probare Alciatum, qui nō tantùm ex proprio vel improprio, sed etiam ex vsu vel interpretatine cognosci vult. Nam quod ad vsum attinet, aut is proprietatem verbo tribuet, vt ipse vult Alciatus, multis allegatis auctoritatibus hoc probans: & certè quum sub proprietate contineatur, nouum genus non constituet. aut verè pro figurato habebitur, vt vult Bartolus, quum vsus vt substantiam rerū, ita nec nomina eam significantia immutare possit: & meritò impropriè tribuetur, quæ Bartoli opinio verior est, vt infra exponam. Quod verò ad interpretationem attinet: in ea, sicuti ab Alciato accipitur, non de verbis, earumque significatione, sed tantū de mente legis vel dispositione agitur: ita vt à nobis ea in caput subsequens reiicienda sit: & tā verbis, quàm menti conueniat. Propria verba dico, cuiusque rei naturales appellationes: quæ ita cum re cōueniat, vt de nulla alia dici possint. Vnde propria in iure dicūtur, quæ specialia sunt. Sit exemplo l. propriè. D. de verb. signi. vbi dicit Iuriscōsultus: Propriè bona dici nō possunt, quæ plus incommodi habent. Propriè, id est, naturaliter: nam naturalis bonorum appellatio est, à beando, quæ possessores suos beant, hoc est, beatos faciāt. Eoque significato bona intelliguntur duntaxat, quæ deducto ære alieno supersunt, meritoque separantur ab hæreditate. At ciuiliter, hoc est, impropriè bona aliter capiuntur, quum significent tam incommoda, quam commoda, & vniuersam successionē, quæ nos ad onera hæreditaria adstringit. Est autem proprietas verborum semper sequenda: nec ab ea licet recedere: nisi alia legislatoris mens fuerit, ac verba propria sonant, quod quoties accidat, infra proximo capite, & sequentibus dicetur. Estque doctrina Bartoli, quem

& Bo-

& Bolignetus, & Alciatus sequitur, hanc propriorum verborum significationem potissimùm ex tribus colligi. Primò, ex auctoritate, præcipuè legum, verba ipsa interpretantium. Quæ quidem auctoritas mihi duplex esse videtur. aut enim hominum doctorum est, & peritorũ, qui præsumuntur semper propriè locu. : cuiusmodi sunt legumlatores, & nostri Iurisconsulti: aut verò vulgi, cuius vsus quamuis multa improprìè recipiantur: tamen quæ communiter à vulgo dicuntur, semper vim proprietatis verborũ obtinent. Quãuis enim certum sit, nomina rerum esse immutabilia: tamen tanta vis est, vt etiam proprietatem vincat auctore Alciato. Quò fit, vt legum verba intepretaturo ante omnia comparãda sit genuina & propria linguę Latinæ cognitio. Hæc vt ex præcipuis Latinæ linguæ scriptoribus est addiscenda: ita Iurisconsulto elaborãdum est, vt non tantùm eam, quæ purissima putatur, quæque vsq; ad Tiberium Cæsarem floruit, sciat: sed etiam quæ à Tiberio vsque ad Iustinianum vsurpari cœpit. Quæ vt primò purior ac Latinior mansit: sic Constantino imperium in Græciam trãsferente, omninò Græcismis repleta fuit. Quamobrem comparentur ex veteribus, puta Plauto, Cicerone, Liuio, significationes verborum ad ius pertinẽtium: deinde ex posterioribus, puta Tacito, Suetonio, Tertulliano, & similibus: & denique ex nouissimis Marcellino, Carisio, Boëtio, Sidonio, & qui eos subsecuti sunt: sed præcipuè ex veteribus ac nouis Grammaticis, puta T. Varrone, Sex. Pompeio, Non. Marcello. Quibus autẽ hos auctores euoluere non licet: conquerẽt præcipua Lexica scripta à Barnaba Brissonio, Pãdulpho Pratteio, Fr. Hotomanno, & Nebrissensi, ex quibus facilè verborum ad ius pertinentium significationes eruũtur. Secundò colligitur proprietas ex Etymologia: quæ ideo à Cicerone in Topicis veriloquium appellatur. Cuius rei lubet afferre vnicum exemplum. Nã com-

muni DD. sententia receptum est, eaque à Plutarcho, & Varrone, & Caio Iuriscon. probata, posthumos dici, quasi post humatum patrem natos. Quod si verum est, posthumi hi tantùm propriè erunt, qui post mortem parētis gignuntur. Quod tamen secùs est. quum omnes posteriores, geniti videlicet post testamētum factum, rectè posthumi vocentur. Vnde Vlpianus eos non posthumos, sed simpliciter posteriores vocat: ita vt verior Etymologia sit, posthumos tātùm à post dici, non etiam ab humus. Hinc Virgilius, *Tua posthuma proles*: id est, quæ posteà tibi gignetur. Quod probat pluribus Cuiacius lib. 3. Obseru. 4. Est autem notatu digna de hac tota re disputatio Socratis apud Platonem in Cratylo: vbi dicit, tria nominum, siue verborum esse genera. Quædam à prudentibus rebus imposita, quorum rationes etymologiæ esse possint & debeant: quædam ab imperitis inuenta, quādoque etiam contra rationem ipsam, quædam primitiua, & à barbaris linguis ad nos delata, quę quum nobis sint incognita, eorum rationes exquiri non debeant. Et quamuis Aristoteles existimet, omnia nomina pro libito imponi, vt etiam Bolignetus vult, tamen idem Aristoteles alibi rationem nominibus inesse tradit: idque iuri conuenientius est: quumque Iurisconsulti diligentissimè Etymologias exquirant: dicantque rerum nomina mutari non posse: probabiliorē esse sententiam Socratis manifestum est. Quandoque tamen proprietas ex Etymologia non probatur, vt quoties quis affirmatiuè inde vellet concludere, & non negatiuè: vel quoties res, vnde nomen excidit: vel denique in iis, quæ officij sunt, teste Alciato. Eo denique modo ab alluuione non sumetur firma demōstratio, eodem Alciato auctore: quamuis à coniugatis, quæ Deriuatiua Grammatici dicunt, demonstrare liceat: de quibus per Euerhard. in loco, A notatione. Tertiò docet Bartolus, proprietatem verborum ex definitio-

nibus

nibus inquirendam: quarum quidem paucas in iure reperire licet, quę tantùm ex genere & forma constat: qualis est iuris apud Celsum. Plurimas autem descriptiones, quæ etiam ex aliis causis, aliisve argumentis sunt, vt postliminij, ex omnibus causis: stipulationis, ex materia & forma: acceptilationis ex forma & effectu. Cæterùm vltra hęc ego necessarium iudico, ad multas partes iuris, quo ad verba, propriè intelligendas, Græcæ linguæ cognitionem. Nam primò totæ Nouellæ, & ferè integer titulus, De excusationibus tutorũ, Græca lingua conscripta sunt: in quibus quot errata ab interpretib' hactenus sint admissa, cuilibet eas partes euoluenti manifectum euadit. Deinde in multis legibus Græca verba inseruntur, quæ ab Accursio legi non possunt, multò minùs intelligi: verbi gratia, in l. vlt. D Ad S C. Trebell. adhuc nesciunt interpretes, quid velit verbum μὸνομερῶς. quum nihil aliud significet, nisi vna parte absente: & sic ab vno ex litigatoribus appellationem peractam, altero non comparente, qua in significatione etiam vsurpatur in Nouell. 53. & 90. Prætereà veteres Iurisconsulti vt plurimum Gręcis loquendi modis vtuntur: de quibus vide Ant. Aug. Emend. lib. secundo. Cui licebit adiungere hæc verba, Satisdare legatorum in l. 4. D. vt lega. nom. caue. Deest enim more Græco, nomine vel cause. Deinde ex l. 16. §. Item cùm quidam. D. Locati. Quũ quidam repeteret mercedem, pro, quum à quodam repeteretur merces, quam acceperat. Item l. 9. D. De liber. & posthum. Ad id tempus referunt, quod (pro, quo) destituitur testamentum, non quod moritur, & innumera alia occurrunt. Denique Iustiniani constitutiones, & quorundam Imperatorum Græcorũ, plenissimè sunt eiusmodi loquendi formulis, vt in l. quidam. C. de iure deliber. Si hoc ei facere permittatur, pro, an: & in l. 1. §. 1. C. de veter. iur. enucle. studiosum pro σπουδαῖον accipitur. Et denique infiniti laboris

esset, ea referre quæ passim occurrunt. Quòd si tamen quis occupationibus impeditus, vel tempore, linguæ Græcæ vacare nequit, hoc nostro seculo nó est, quod multum laboret: quum ea omnia vt plurimũ diligenter in recentioribus textuum editionibus explicata reperiantur. Quod ad impropria verba attinet, sciendum est, in genere ea omnia impropria dici, quæcunque suo naturali nomine non vocantur. Eiusmodi sunt, quæ ab oratoribus inflexa dicũtur: videlicet tropis variata, & modificata, vt quoties per excellétiam legum simpliciter dicimus: nec tamen aliá, quam xij. tabul. intelligimus: aut ius ciuile simpliciter pro Romano: & prætereà, quotiescunque metaphoricè res appellantur, vt quum diuortium pro separatione coniugum capitur: quod tamen propriè aquarum diuergium, siue in diuersa loca defluxum significat. Hi duo modi per excellentiam, & per metaphoram, quoties verbi trãslatio nota per se est, pro propriis habentur, licet reuera improprij sint, teste Quintiliano & Alciato. Sunt autem complures alij impropriè dicédi modi: vt quoties emphyteuta domin⁹ dicitur: & quoties stuprum pro adulterio ponitur: & occurrũt complura alia, de quibus est apud Alciatum lib. 1. de v. S. Regula autem hæc est: impropriè verba non accipienda: adeò vt si verbũ sit, quod ꝓpriè & impropriè accipi queat, illud tantum propriè accipiatur. Quæ tamen regula non obtinet, quoties mens legislatoris alia fuerit: quo quomodo inuestigetur, capite sequenti docebitur.

CAP. V.

DE SENTENTIA LEGIS inuestiganda.

QVum per verba res & sententiæ monstrentur: manifestum est, sententiam verbis longè anteferendam:

dam: nec tam attendẽdum esse, quomodo, sed potius quid dicatur. Idque præsertim in legibus, quarum tota vis in mente consistit. Quamobrem post verborũ explicationem necessariò vidẽdum est, quatenus verba menti & sententiæ legislatoris congruant. Dicendum igitur primò, vnde sententia legislatoris eruenda: deinde, quomodo ea inuenta in speciem facti concipienda: tum quomodo inde breue argumentum sit colligendum: postremò, quomodo ea producẽda vel coarctanda. Quod ad primum attinet, varij sunt modi sententiæ legum exquirendæ: sed prior ex ipsis verbis sumitur: quum verba dicentis mentem exprimant. Vnde Plato dicebat, eum qui verba & nomina rerum nôsset, res ipsas nouisse. Sit exemplo l. puberes. 101. D. de verbo. oblig. quæ quamuis paucissimis verbis constet: tamẽ vnius ignorantia DD. lapsi communiter, grauissimum errorem in Iurisprudentiam induxerunt, verba hæc sunt: [Puberes sine curatoribus suis ex stipulatu obligari possunt]. Hanc DD. communiter intelligunt de iis puberibus, qui curatores nõ habent: moti l. 3. C. de in integ. restit. vbi cõtractus à minore, quamuis pubere, sine curatoris consensu initus, valere negatur: sed perperàm. Nec enim aduerterunt ad verbum [suis,] ex quo manifestè colligitur: Iurisc. de iis puberibus loqui, qui curatores habẽt: alias nullo modo dicere potuisset, Sine curatorib⁹ suis, sed simpliciter, Sine curatoribus. Nec moueri debuerunt. d. l. 3. quæ est de alienatione rerum minoris, nõ etiam de obligatione personali. Rerum administratio curatori conceditur: in ea igitur peragenda eius consensus est necessarius. Persona puberis curatori non subiicitur: nec ergo in ea obliganda curatoris consensu opus est. Similiter ex intellectu verborum explicanda esset. l. 3. imperium. D. de iurisdict. omn. iudic. de qua DD. tot seculis nondum conuenire possunt. Ego existimo in ea nobis proponi vindicationes trium magistratuum

Romanorum potestatum: idque & cuiusque subiecto, & supposita materia. Aut enim magistratus summam exercet potestatem in criminalibus: & ea merum imperium appellatur: aut verò inferiorem, quæ tamen ei soli regulariter competit, ab eoque coërente & iubēte perficitur, eoque dicitur mixtum imperium, cujus exemplum est datio bonorum possessionis, aut denique ea exercet, quæ per priuatos expedit, vt sunt omnia iudicia ordinaria, quibus iudices priuatos adiicere solet. & hic tāquam infimus gradus iurisdictioni tribuitur. Quæ quidē explicatio quum ex ipsis verbis, ipsisque exemplis propositis eruatur: quamuis à nemine, quod sciam, tradita: mihi præ cæteris placet. Occurrit & sæpè, quod ipsarum rubricarum sententia ex verbis eruenda sit; cuius rei exempla suppeditant posteriores libri Cod. ob verborū ignorantiam a DD. non intellecti, & a plerisque omninò repudiati. Secūdò sententia legum optimè cognoscitur ex cognitione antiquitatis. Quoniam enim leges ad ea, quæ accidere solent, accommodari debent, necesse est, volentem iura populi Rom. intelligere, anteà scire totum eius Reipub. statum. Quò fit, vt inprimis, quo ad ius priuatum, mors antiqui sint cognoscendi, veluti in l. directis. C. de testam. manumiss. ait Imperator: Nō sufficere ad directam libertatem manumissum cum pileo funus præcessisse: sed requiri, vt adeatur anteà hęreditas. Fuit autem veteribus in more, vt omnes testamento manumissi statim pileum, quem seruus nullus gestare poterat, sumerent, & ita funus præcederent. Ex quo est Satyrici illud:

Hac mea libertas, hanc nobis pilea donant.

Deinde ex antiquitate ius vetus colligendum est, sine quo nouum intelligi nō potest? Quod licet videre ex vnico tractatu de in ius vocando: in quem ex ignorantia vetustatis & legum xij. tab. tot errores irrepserunt, quot lineæ à veterib⁹ Doctoribus scriptæ sunt: de quo

iure

iure vide Cuiacium lib.10.Obseru.10. Idem accidit ex ignorantia vulgi in l.filiusfamilias.14.§.Diui.D.de legat.1.qui de lege vicesimæ agit: de qua Cuiac.libro 5. Obseru.16.& in l.cum filiofam.11.D.eodem titul.quę est de lege Iulia Papia, eodem teste Cuiacio libro 10. Obseru.38. Quamobrem ad hoc ius vetus cognoscendum comparetur Codex Theodosianus, reliquiæ Codicis Gregoriani, Pauli libri Sententiarum, Tituli Vlpiani, Caij institutiones, Ciceronis libri de legibus, Fragmenta xij.tabu. Cassiodorus, Epistolæ Symmachi: ex quibus pleraque hac pertinentia poterunt colligi. Sunt etiam notanda vetera edicta, quæ in vsu esse desierunt: vt exempli gratia in l.1.§.sciēdum. C.de rei vxor.act.fit mentio edicti de Alterutro: cui magna lux offertur ex l. vlti.C.Theod.testamē. quæ de eadem re agit. de qua est etiam apud Cuiac.lib.3.Obseruat.16. Prætereà notandæ sunt diligenter formulæ actionū, exceptionum, stipulationum. nam in his explicandis plerunque leges consumuntur. Sit exemplo l.50.D.de verb.oblig. quæ continet emptæ hæreditatis stipulationem: ad cuius verba eleganter accommodat tot. tit.de hęred.vend.Cuiac.lib.2.Obseru.30. Nec tātùm hæ formulæ, sed etiam omnium actionum, quæ à veteribus celebrari solebant, diligenter sunt notandæ. veluti in l.9.iurasse.D.de iureiuran.dicitur, pupillum peierare non videri, quòd scięns fallere non videatur: hoc totum ex veteri formula iurisiurandi est, quæ ita habebat: Si sciens fallo, me.&c.secundum Sex. Pompeium & Plaut. in Aulularia, & Polydorum libro 3. & Cic.in Acad. Sit ergo omnium harū rerum certa sciētia comparata ex præcipuis rei Romanæ scriptoribus Latinis: vt Cicerone, Liuio, Tacito, Suetonio, Varrone, Catone: Itemq; Poëtis, vt Iuuenale, Persio, Horatio, & Græcis, inter quos ad hanc rem pręcipuè inseruiunt Polybius, Plutarchus, Appianus & Dionysius Halycarnassęus. Possunt & alij ex Latinis adiungi: in

quibus cognoſcendis, vt dixi, notantur primò, mores populi Romani: deinde magiſtratuum gradus & officia (nam hoc vnico remedio ius publicum vetus intelligemus) tũ leges veteres: poſtremò formulæ omnium negociorum. Tertiò legis ſententia colligitur. Ex inſcriptione legum. Nam quum Pãdectæ ex variis auctoribus collectæ ſint, fit quandoque, vt vnius ſentẽtia ad diuerſa loca à Triboniano ſit relata: quæ niſi rerum coniungantur, intelligi non poteſt, veluti l. j. de verbo. ſigni. dicit, verbum hoc, Si quis tam maſculos, quàm fœminas complectitur: Si quis ſcilicet ius dicenti non obtemperauerit. nam ea lex eſt ex libro I. Vlp. ad Edictum deſcripta. in quo id edictum exſpoſuerat. Sit etiam exemplo l. 6. D. de tranſaction. qua ſtatuitur, [non inſpectis verbis teſtamenti, de controuerſia teſtamentaria tranſigi non poſſe. hoc ita ſimpliciter intellectum, palàm falſum eſt, quum in tranſactione inſpectio teſtamẽtorum non deſideretur: ſed ſcientia eorum, de quibus agitur: ita vt rectè Bartolus in d. l. 6. ſenſerit: ſi conuenientes alias ſentiant, quid teſtamento contineatur, inſpectionem ad tranſactionem non requiri. Eſt autem d. l. 6. ex lib. xvij. ad Edictum prouinciale Caij Iuriſconſ. ex quo eodem eſt & l. 1. D. quemadmo. teſtam. aperi. cum qua ſi cõferatur d. l. 6. intelligemus, trãſigendi verbum ad iudicata referri hoc modo, vt negetur fieri poſſe tranſactio, hoc eſt deciſio cauſæ per iudicem, niſi cognitis & inſpectis teſtamenti verbis. Hæc harum legum coniunctio à DD. ignorata, maximam erroris occaſionem præbuit, vt videre eſt in d. l. 6. Eodem modo leges coniungendæ ſunt in Codice: in quibus tamen non ſufficit, vt eadem ſit inſcriptio: puta eiuſdem Impera. nomen ad eandem perſonam: ſed neceſſe eſt, eãdem eſſe ſubſcriptionem temporis ac diei, vt in l. pen. C. de accuſa. l. momentariæ. D. vnde vi. l. 1. C. de abigeis, quæ omnes tres leges, quum eſſent vna conſtitutio, à Tribo-

niano

niano ita diuisæ fuerunt: nec nisi coniunctim intelligi possunt, auctor Cuiacio Obseru.1.cap.20 Potest & exemplo esse.l.2.D.de transact. quæ est ex eodẽ libro, ex quo l.2.D.si quis cautio.vbi ait Vlpianus. Non exigimus reum iudicio sisti, si negotiũ, propter quod iudicio sisti promisit, fuerit transactũ accipere quis potest, non solùm si lite in stipulationem trãslata, & per acceptilationem perempta, sed etiam si nudo pacto res decisa fuerit.

I Quartò lex intelligitur ex Rubrica siue inscriptione ipsius tituli: de qua re DD.latè in l.1.D.si cert.peta. ibique illud tantùm notandũ est, multas leges à Triboniano sub titulis incõuenientibus esse positas: quas fugitiuas Cuiacius appellare solet, & plerasque enumerat in tit.Instit.in Notis, de grad. cognat. & libr.3. Obseru.37.Exemplo esse potest. d.l.6. D. de trãsactio. quæ sub tit. Testam.quemad.aper.referri debuit. Et nisi quis ea in re diligenter aduerterit, sæpissimè eum allucinari necesse erit: de quo latiùs infra in cap.de solutione contrariorum. Cęterùm quod dixi de legibus ex inscriptione coniungendis: ad eam rem vtilissimus est liber Iacobi Iabitti, qui inscribitur, Index legum, omnes leges Pand.referuntur ordine sub titulis eorũ librorũ, ex quibus a Triboniano desumptæ sunt. Reperitur & idem index in Chronologia iuris cuiusdam Ioannis Tremonij, qui ex Labitto ad verbum eũ mutuatus est. Postremò legum sententia ex ratione ipsius legis colligenda est, de qua seq.cap.abundè dicetur. Et hæc de modis inuestigandæ scientiæ legis alicuius.

II. Quum autem leges omnes super factis hominum ferãtur: necesse est, eorum species & rectè ab interprete constitui. Qua in re tenenda est legum differentia. Quedam enim principia iuris aperiunt generatim: quarum facta siue species cõminici, quod Accursius, Vlpianus & DD. plerique faciunt, satis est absurdum. Quædam verò in specie eadem principia ac-

commodant:& harum casus, vt vocant, omninò diligenter sunt exquirendi. Qua in re primò notetur, vt plurimùm species ab ipsis Iureconsul. proponi: vt in l. vlt. §. 1. D. de seruit. vrba. præd. ait I C. [Lucius Titius, aperto pariete domus suæ, quatenus stillicidij rigor, & tignorum protectus competebat, ianuam in publico aperuit. Quæro, an aliquam actionem P. Mæuius vicinus ad prohibendum habeat?] Hæc species manifesta est: eoque non ampliùs declaranda. Nec tamé desunt, qui in eo verbo, [Ianuam in publico aperuit,] summariè hallucinentur: existimantes, ianuā ita fuisse apertam: vt ea aliqua ex publico occuparet: sicuti mos fuit Græcorum, quum expressè I C. dicat, eum nihil ampliùs occupasse, quam quatenus tignorū profectus competebat. Perperàm igitur inde probant, licere ianuam in publico aperire, quum tantùm Iuriscósultus hoc permittat, quatenus tecto ea respondeat, & quatenus sine detrimento vicini hoc accidat. nā tunc ex sola inuidentia vicino actionem ad impediendum non dari. Deinde sæpe euenit, vt generatim specie à I C. supposita, ea quibusdam circunstātiis sit describenda, & supplenda. verbi gratia, Papinianus ait simpliciter hoc modo: [Qui plures hæredes instituit, ita scripsit,] Eosque inuicem substituo, &c. quum tamé, vt ex sequentibus patet, casus ita ponendus sit, plures extraneos hæredes institutos, & eos inuicem omnes vulgariter substitutos, & vnum eorum post aditā hæreditatem decessisse, mox alterum repudiasse, hinc quæstionem extitisse inter superstites hæredes, & defuncti hæredis hæredes: vtrum tantùm ad superstites, an verò etiam defuncti hæredes, repudiantis portio pertineat? Quod quamuis à I C. non exprimatur: tamé manifestum est, controuersiam eum inter eos posuisse, quum supestites defuncti hæredibus opponat. Quamuis etiam non desint, qui & hoc casu inter repudianté & superstites controuerti velint: sed pessimè

contra

contra manifestam Iurisconſ. ſententiã, qui hoc vult, ſuperſtites ſolos ſuccedere, excluſis hæredibus defuncti, quum ea ſubſtitutio, [Eos inuicẽ ſubſtituo] in omnem caſum facta ſit, hoc eſt, tam repudiatoris, quàm mortis: & cùm tantùm referatur ad eos, qui hæredes extiterunt, eoque meritò in defuncti qui hæres non extitit, ſucceſſores non tranſeat. Eſt ergo diligenter hoc animaduertẽdum: qua in re vt cautum eſſe oportet, ita iuris principiorum peritiſſimum. Nec venia dabitur his apud eruditos: qui aut caſus, vt vocãt, de verbo ad verbum ex Iureconſulto deſcribũt: aut ſua barbarie obſcuriores reddunt: aut deniq;, quod vitioſiſſimum eſt, æquè generaliter eos proponunt. Vt ecce in l. pen. C. famil. erciſ. ait Imp. [Ex cauſa donationis vel aliunde tibi quęſita, ſi aui ſucceſſionem reſpueris, cõferre fratribus compelli non potes.] Huius legis caſum generaliſſimè ponunt DD. nec diſtinguũt, vtrum emancipatus, ac ſuus hic nepos Diocles, cui reſcribitur, fuerit, quod tamen æquum erat eos animaduertere, ſaltem ex eo verbo, [Tibi quęſita: quæ mõſtrant, de emancipato legi, cui ſoli quæri poteſt: non etiam de ſuo, per quem patri quęritur, in cuius eſt poteſtate. Eſt ergo quæſtio, vtrum filius vel nepos emancipatus, repudiata hæreditate patris vel aui ſui, ſuccedentibus conferre cogatur bona ſibi donata, vel aliundè quæſita? Et reſpondetur non teneri. Nam quæ ei ab auo vel patre donata fuerũt, ſtatim ipſius effecta ſunt: nec opus fuit vllo alio adminiculo. l. 2. C. de inoffi. donat. At ſi ſuo pater donat: certè donatio non ſtatim valet ob patriam: ſed neceſſe eſt, vt patris morientis iudicio confirmetur, & deinde ab arbitrio familiæ erciſcundæ eidem adiudicetur. Sit ergo præcipuus labor, in ſpecie facti dextrè omnia præcipua iuris ad materiam propoſitam pertinentia euoluere: ſciatque qui ſpeciẽ legis intelligit, aut rectè ponere poteſt, ſe totã legem vt plurimùm intelligere.

III. Post speciem facti, necesse est, vt etiam legis argumentum colligatur: quæ res omnibus legibus est communis: nisi definitiones contineant, aut per se ita claræ & breues fuerint, vt nihil breuius dici posse videatur: cuiusmodi sunt pleræque in tit. de reg. iur. quarum argumenta, siue (vt dicunt) summas colligere, satis insulsũ est. In reliquis argumenta conficiuntur, translata hypothesi, de qua agitur ad thesin: reuocatisque indiuiduis ad speciem, vel etiam speciebus ad genus. Estque proprium argumenti, vt sit breue, Latinum, ac plenum. Breuitas, superflua reiicit: puritas, perspicuitatem facit, plenitudo, iudicium confirmat & memoriam, dum paucis verbis multæ res comprehendũtur. Et quidem quò ad breuitatem & vniuersam rei comprehensionem, Bartolo ex veteribus nemo facilè anteponi potest: vt nec Panormitano in iure canonico. Nec tamen desunt oculato lectori, quæ passim notare possit, vt ecce in l. 4. C. Fin. regund. hoc argumentũ vulgo traditur. qui post litem contestatam super finibus aliquid inuadit, indebitè punitur. Hoc multis verbis est comprehensum: & etiam obscurum est: dũ genus personæ non exprimitur? & superest verbum Indebitè, quum nullus lite pendente eo in casu, de quo lex agit, debitè possit, & licitè alienos fines occupare. Meliùs ergo potuisset concipi hoc modo. Lite pẽdente fines inuadens alienos, quantum alieni occupauit; tantum sui amittit. Quibus verbis vniuersa legis sententia breuiter continetur. Sit & exemplo Bartoli argumentum in l. 15. lecta. D. De reb. credi. traditum. Etiam in contractibus stricti iuris pacta in continenti apposita insunt, vt nouam pariant, & veterem informent actionem, & vi exceptionis impediunt moram, & stipulationem vsurarum propter moram: secùs in stipulatione vsurarum propter stipulationẽ. Quamuis autẽ d. l. Lecta sit longa: tamen primò peccat Bartolus, dum non breue, quod fieri potest, eius argumẽ-

tum

tum enarrat: deinde quod falsa pro veris docet. Nec enim continetur ea lege, quod ait: Pacta in continēti stipulationi apposita, actionem nouam parere, & veterem informare. Quia hoc tantùm in bonæ fidei iudiciis verum est, non etiam in strictis. Et d. l. Lecta, tãtum postulat, ad excipiēdum prodesse pactum appositũ. Et si vera esset Bartoli opinio: sufficiebat pro tot verbis dicere: pacta in continenti apposita stipulationi à parte actoris inesse. Deinde peccat, dum ait, vi exceptionis ea pacta moram impedire: quum sententia Iurisconsulti sit, ipso iure tutum eiusmodi pacto effici debitorem. Quamobrem mihi videtur ita concipiendum eius legis argumentum: Pacto stipulationi adiecto in continēti, vt sortis, ita & vsurarum solutio ipso iure differtur & diuiditur: curruntque vsuræ ex tempore moræ, nisi aliud conuentum sit. Cuius rei fidem infrà in explicatione d. l. lecta abundè faciam.

IV. Restat vltimus articulus de sentētia legis producenda vel coarctanda: qui quum totus in ratione legis positus sit, sequenti capite explicabitur. Porrò eorum, quæ hactenus dixi, de verbis & sententia legis inuestigandis, exempla meliora haberi non possunt: nisi in explicatione titu. de verbor. significa. vt in eius enarratione breui, si alia non impediat, demōstrabo.

Cap. VI.

De ratione legis inuestigandæ.

POST cognita verba & sententiam, ratio legis latæ omnino intuenda est, vt quæ sit anima (vt vocant) ipsius legis, & sine qua lex intelligi nequit. Quò fit, vt Iurisconsultus moneat rem magis, quam verba esse spectanda, quum leges rebus ipsis, & non verbis imponantur: ita vt meritò dictum sit, id demum legis

nomen mereri, quod in æquitate, id est, ratione cõsistat. Nec eam ob rem à Cicerone lex aliud quicquã appellatur, quàm summa ratio. Est autem ratio decidendi (vt vocant) causa, quæ legislatorem ad ius constituendum commouit: hæc quia semper reddi nõ potest omnium legum: ideoque non vbique est inquirenda: vt & Plato prohibet: præsertim iuuenibus: ne nimis in rationes legum inquirant. Sed hęc res ita distinguenda est. Aut enim constat de mente & sententia legis, & ea omninò seruari debet: licet non probabilis causa reddi possit. Semper enim legislatoris vtilitatem publicam & æquitatem secuti videntur: quamuis id nobis non liceat. Quoties autem de mente legislatoris non constat: omninò rationes inquirédę sunt: quum alias, quid legislator voluerit, ignores: multoque minùs id seruare possis. Est autem tenenda distinctio inter ea iura, quæ Iustinian⁹ nobis reliquit. Quædam enim à principio nomen legis habuerunt: vt sunt edicta, leges, plebiscita, constitutiones principum, genarales consuetudines, & mores populi Romani. Quædam verò circa specialia versatæ sunt, vt sunt responsa prudentum, & etiam hæ cõstitutiones, quæ speciales casus determinarunt. Generaliũ legum rationes primò ex notitiis boni & æqui, animis humanis inditis, sunt eruendæ: solentque vt plurimùm ab Iurisconsultis. vt qui commentaria ad eas leges scripserunt, explicari: veluti in l. 1. D. de pact. Edicti Prætorij ratio ex naturali sententia docetur: qua promissa seruare cuilibet homini inditum est, in l. 1. D. de minoribus. etiam ex natura eius Edicti æquitas mõstratur: qua ita comparatum est, vt iis, qui aliorum dolis & fallaciis facilè decipi possunt, succurrere bonum videntur. Eademq; reperiuntur passim in omnibus Prętoriis, quæ vt plurimùm naturalem æquitatem sequi consueuerunt. Sunt autem hæ rationes, quamuis cuilibet nostrûm naturaliter insitę scriptis Doctorum & sapientum

sapientum excitandæ: videnturque ad eius rei notitiã mihi sufficere posse Platonis libri de Legibus, de Republic. Politicus, Menon, Aristotelis item libri Ethicorum, & præcipuè Quintus liber ad Nicomachum, & Politicorum libri eiusdem, ac præterea Ciceronis de Officiis & Legibus, quos vniuersos aliquando, si ocium fuerit, ad huius rei fidem faciendam, cum iure nostro ciuili coniungere decreui. Secundò, quum certum sit, ius Romanum ex Gręcia, magna sui parte, emanasse: ideo operæpretium est, cognoscere veterũ Græcorum, præsertim Atheniensium & Lacedæmoniorum mores ac instituta, ex Plutarcho in Lycurgo & Solone: ex Xenophonte & aliis Gręcis scriptoribus: & leges pręsertim, quæ referũtur ab oratoribus Græcis, & inprimis Demosthene: reperiunturque vno libro ab Henrico Stephano editæ. Nam ex his multarũ legum rationes colliguntur. verbi gratia. Certi iuris est, personas coniunctas, & quibus quædam reuerentia debetur, famosis iudicis conueniri non posse: & si quandoque crimen admiserint, id proprio nomine non appellari: sed verbis leuioribus tristitiam rei lenitate nominis mitigantibus. Quò fit, vt mulier, si marito furtum fecerit, res furto non surripuisse, sed amouisse dicatur: nec actione furti, sed rerum amotarum conueniatur. Itemq; si suus hæres ex hæreditate quid subtraxerit, non furatus esse, sed amouisse dicitur. Huius rei ratio aperitur a Plutarcho in Solone: quem refert hoc ipsum instituisse Athenis: vt videlicet cõiunctarum personarum crimina leuioribus nominibus appellarentur. Tertiò iuris ciuilis illius, quod moribus inductum est, quodque disputatione sapientum, siue Iurisconsultorum effloruit, rationes ex legib. xij. tab. sunt repetendæ, vt emancipationis, quæ certa solennitate fieri solebat, a prudentibus ad imitationem veræ liberorum distractionis, lege xij. tabul. comprobatæ, conficta. Idemque patet ex testamenti solenni-

tate: quæ & ipsa quamuis à prudentibus sit inducta, & & deinde à principibus sæpè reformata: tamen tota ex veteri iure quiritum originem traxit. Necesse est ergo hoc loco, quod & præcedente capite dixi, fragmēta xij. tabu. & reliquos auctores, præsertim Gellium, qui ius vetus explicant, cognoscere. Quartò sæpiùs euenit, vt à legibus ipsis rationes adducātur: quę quidem diligenter sunt notandæ. Nec tantum hoc fit in iis legibus, quæ de ea re, cuius rationem reddunt, latæ sunt: sed quandoque in aliis, veluti in l. vlt. C. de fideicō. Iustinianus causam affert, cur tam magnus testiū numerus in testamētis requiratur: videlicet ob timorem falsi & corruptionis: quū fortè fieri possit, vt duo corrumpantur, & a veritate discedant: quod in pluribus non æquè procedit. Deinde magna quæstio est, cur, si hæreditas, fideicommissum vel legatū sub conditione iurisiurandi relinquatur, non necesse sit iurare: sed sine iureiurando præstetur, perinde ac si iuratum esset. Nec tamen idem in libertate procedit, quę videtur multò fauorabilior. Nam ea sub iureiurando relicta, nisi iusiurādum præstetur à manumisso, libertatem habere non poterit. Hūius rei rationem explicat ipse Iuriscon. in l. 12. D. de manumis. testamen. Ad libertatem (ait) assequendam, nisi iusiurandum pręstitum fuerit, à Prætore actionem non decerni, id est, Prætorem edicto cauisse, si iusiurandum libertati appositum remissurum: quum tamen idem cauerit de fideicommissis, hæreditatibus & legatis: earum rerum nomine, etiam iureiurando non præstito, vtilē actionem competere, quæ quum in libertate cesset, omnino requiritur iurisiurandi præstatio. Quintò earum legum, quæ speciales casus decidunt, rationes vt plurimum ex principiis iuris eruēdæ, vt ecce in l. 14. D. de noui oper. nūcia. ait Iuriscon. Qui viam habet, si opus nouum nunciauerit, aduersus eum qui in via ędificat, nihil agit: sed seruitutem vindicare non prohibetur.

Huius rei rationem DD. exquirant: nec tamen inueniunt, quum nesciant, quam ob causam neget Iurisconsul. eum cui vię seruitus debetur, non posse opus nouum nunciare, veluti ædificio quodā vel opere impedienti, quominùs ipse iure seruitutis suæ vtatur: sed omninò eum necesse habere, vt seruitutem vindicet, hoc est, egat confessoria, sibi ire agere licere per hanc viam, eoque se nullius opere impediri posse. Sed certè tota ratio ex eo pendet, vt inquiramus illud iuris principium, quod aperit, cui debetur noui operis nūciandi facultas, vel non. Reperiemus autē omnes eos, quicunque non habent ius agēdi, quò minùs ipsis inuitis vicino ædificare liceat, noui operis nunciationē non habere. At cui viæ seruitus cessa est: ei vtique non data est facultas agendi, ne cedens ædificare possit. Nec ergo poterit nouum opus nunciare: sed oportet, vt ius suum actione sibi competente, id est, cōfessoria, tueatur. Quòd si eiusmodi seruitus ei cōpeteret, quæ etiam agendi facultatem tribueret, de non ædificando, vt est seruitus altiùs non tollendi: certe ei noui operis nunciationem tribueremus. Sextò legis ratio sumitur ex ratione veterum Philosophorum. Qua in re notandum est, Iuriscōsultos nostros magna ex parte fuisse Stoicos: vt monstrant inter alia etymologiæ magis concinnæ, quam veræ ab iis traditæ: quod, teste Tullio, proprium erat Stoicorum. Nec tamē propterea reliquorum Philosophorum opiniones ignorarunt, vt ecce in l. proponebatur. D. de iudic. refutatur a Iurisccon. opinio Pyrrhonis & Democriti, quæ statuebat, omnia perpetuo quodam fluxa cōsumi & reuocari. Quod negat Iurisconsultus, secutus reliquorum Philosophorum saniorum opinionem, de qua, quò ad legem allegatam, vide Plutarchū in vita Thesei. Similiter constat magnas fuisse contentiones veterū de fato: quum Aristoteles, Chrysippus, & pleriq; Stoici assererent, res futuras vt plurimùm contingen-

tes esse, nec fati necessitate cõtineri: posteritas autem ac præsentes omninò certas esse. Quam sententiam plerique nostri Iurisconsulti sequuntur: & inde conditionem rerum præsentium & præteritarum contractibus adiectam suspendere obligationem negans, vt quæ semper certa sit, eoque immutabilis. At stipulationem partuum & fructuum, tanquam rerum futurarum, quæ in certitudine sunt positæ, incertam existimant. Eodemque fundamento testamento prius rumpi volunt posteriore, in quo hæres sub conditione institutus erat: licet conditio non extiterit: moti sola contingentia huius conditionis, quæ per rerum naturam euenire potuit. Solus Paulus I C. contraria sententia fuit: nimirum etiam futura certa rerum serie cõtineri. Sic enim scribit: Omnia futura in rerum natura certa esse, aut falsa. Quomodo loquendi Iurisconsulti non vtuntur: qui dicunt, res futuras incertas, aut nec veras, nec falsas. Quamobrem discantur Philosophorum dogmata, pręcipuè ex Diogene Laërtio, Stobæo, Plutarcho, & similibus.

Restat, vt post modos inuestigandarum rationum, etiam vsum eorundem inuentorum monstremus: qui consistit vel in lege coërcenda siue coarctanda, vel in eadem ad consequentias producenda. Quod ad primum, regula est: Legem secundum rationem suam intelligi: adeò vt quamuis generaliter loquatur, nihilominus secundum rationem restringatur. Est autẽ hoc casu ratio, quæ ab ipsa lege expressa est, vel etiam tacita, quoties tantum ad legem reddi potest: ex cõmuni Docto. sententia. Quòd si verò duæ inter se rationes decidendi concurrant: & vtraq; sufficiens sit, quámuis altera cesset: tamen nihilominus altera dispositionem durare facit. Adeò autem ratio attenditur, vt ea correcta etiam ipsa lex correcta cẽseatur, teste Accursio. Quod verum est, nisi ea ratio tantùm impulsiua fuerit: non etiam cohærẽs cũ dispositione ipsius legis.

Quod

Quod autem dixi dispositionem legis ratione restringi: fallit primò in iis, quæ pro forma à lege inducuntur. vt ecce lex vult alienari prædia minorum cum decreto iudicis: idque in vtilitatem minorum prouisum est. Nunc finge, aliquem minorem fundos possidere steriles, aut pestilẽtes, an poterit eos sine decreto distrahere? quia videtur, etiam non interueniente decreto, ratio legis vigere, id est, vtilitas minoris, quæ suadet distractionem. Quo tamen non obstante, omninò decretum exigi, tanquam formam huius cõtractus statuitur. Præterea septem testes exiguntur in testamentis, vt falsitatis euitetur suspicio. Finge vnum abfuisse, rem sine fraude esse gestam: adfuisse sex viros fide dignos: cessat sanè ratio legis, nec tamen lex cessabit: quia hic numerus ob formam testamenti exigitur. Deinde lex ob cautelam deficientem nõ restringitur: quotiescunque eius verba & sententia adeò manifesta est, vt de mente legislatoris restringi legem volentis dubitari non possit, l. prospexit. D. qui & a quib. manumiss. Quæ quidẽ l. à Bartolo & multis DD. pessimè accipitur in casu lucri cessantis, qua de re, vtpote verbis legis contraria, ne somniauit quidem Iurisconsultus. Sunt & alij casus, in quibus restrictio euitatur: puta ex persona, ex re, ex tempore, ex bono & malo, ex iusta excusatione: de quibus omnibus vide Alciat. lib. 1. de verbo. sign. & Bolognet. in d. l. omnes populi. nu. 185. Illud generaliter tenendum est: Quotiescunque absurdum ex restrictione sequi videtur, eam omittendam, & contra, quoties ex generali intellectu absurdum sequitur, restrictionem faciendam. Secũdus vsus rationis consistit in productione legis. De qua habemus regulam: De similibus ad similia interpretatione esse procedendum. Sunt autem Similia, quæ pari vel minori ratione nitũtur, vel eiusdem effectus sunt: quamuis verbis discrepantibus proferantur. Eiusque rei passim textus legendi occurrunt exempla, dum

Iureconsulti, quod Prætor in vno casu statuit, vt similes producunt. Vt ecce in Edicto de in ius vocãdo tantùm parentes, patroni, eorumque liberi a Prætore in ius rapi prohibentur. Ad id producit Iurisconsul. ad omnes personas, quibuscunque reuerentia debetur. Fallit tamen hæc productio in his iuribus, quæ corrigunt, nam ea extra casum, de quo loquuntur, produci non debent. Quod enim non reperitur mutatum (ait Imp.) cur interim firmum esse non debeat. Quod tamen DD. & ipsum procedere volunt in æquiparatis, in correlatiuis, in consequentibus, in iis quę fauorem recipiũt. & quoties lex alias absurda, aut elusoria est. Nam his casibus statuũt etiam iura corrigentia rectè produci. Secundò non possunt produci ad consequẽtias iura singularia, siue priuilegia. Quod si tamẽ aliquid noui iuris inducitur generatim, non priuilegij modo: hoc volunt DD. produci posse, vbi eadem ratio subest. Nisi lex taxatiue loquatur, nec fauor piæ causę obstet: aut ipse legislator mentẽ suam clarissimè patefaciat: vel denique nisi id quod inducitur iure singulari sit odiosum. Tertiò tradunt DD. pœnales leges producendas non esse. Multasque ad eam rem limitationes tradunt: quibus tamen hoc loco opus non est. Nam si hoc volunt, pœnas a legibus statutas productione exacerbari non posse: facile iis assentior: sin verò existimant, ex simili ratione constitutiones pœnales produci nõ debere, falsum eos docere dico: quũ certi iuris sit, etiam in pœnalibus ad similia procedi posse: vbi æqualis vel maior ratio adest. Idque exemplo Iurisconsu. in l. 2. § quòd si curatores. D. ad Tertyll. vbi quum Senatusconsultum matri non petenti liberis tutores, auferret hæreditatem Iurisconsultus idem producit ad matrem, quæ pregnans bonis vẽtris curatorem non petit. Hinc idem traditur in maioribus criminibus: & generaliter in omnibus pœnalib⁹, quæ vindictam continent. Porrò de hac tota materia: quo

ad limi-

ad limitationem & productionem legum, vide DD. in d.l.omnes populi Alciat.d.libr.1. & 2.de v.s.& Petrum Loriotum in l.semper in obscuris.D.de reg. iur. De ratione verò decidēdi videatur etiam M.Gribald. in lib.j.de rat.stud.iur.c.4.& 5.

Cap. VII.

DE CONCILIANDIS LEGVM Antinomijs.

POST verba, mentem, & rationem legis cognitā, sequitur legum cōtrariarum dissolutio. Nec enim perfectè leges nouisse videtur is, qui obiecta diluere non potest. Et, secundum Aristotelem, contraria iuxta se posita semper clariorem afferunt intelligētiam. Quamuis autem Iustinianus glorietur, se nullas ἀντινομίας in sua legislatione reliquisse: tamen hoc falsum esse multis argumentis & exemplis doceri potest: & vt maximè esset verum: non tamen semper desunt, quæ pugnantia inter se videntur: ita vt conciliatione egeant. Est autem ratio studij nostri hodie cò miserior, quò non tantùm cogamur leges pugnantes conciliare: sed etiam DD. diuersas, contrarias, & sæpè ineptas opiniones. Sunt ergo hac in parte duplicia contraria: altera, quæ ex falsis DD. intellectibus proueniunt, quę interpreti legum sunt omninò refutanda: altera, quæ ex ipsis textibus Horum duorum duplex est refutandi ratio. Quædam enim ex arte sumitur, propria Dialecticorum est: qui docent pugnantia dissoluenda, vel ex monstrato vitio formæ, vt appellant, vel materię: qua de re ipsos cōsulere licet. Accursius sanè in l. quoties.D.de verb.obliga. fallacias homonymiæ, ambiguitatis & cōpositionis ex Philosophia nobis explicat. Estque exemplum compositionis in l si is qui ducenta.D.de rebus dub.in princi, vbi

coniunctio dicitur. Illud ego mihi hoc præter cęteros notandum esse existimo: nostros Iurisconsultos duos vitiosę collectionis modos tradidisse: idque ex Dialectica Stoicorum: quorum, vt dixi, disciplinis fuerunt imbuti: Soritem nimirum, & Pseudomenon: quæ duo Stoicis fuisse peculiaria, ac ipsus contra se Stoicos cōtexuisse. Cicero in Lucullo testatur: & alias lib. 2. de Diuin. mētionem rationem interpretatur. De Sorite est l. ea est natura. D. de R. I. & l. natura. D. de verb. sig. vbi IC. eam naturam cauillationis esse dicit, quam Soritem Græci appellant: vt ab euidenter veris disputatio ad ea, quę euidenter falsa sunt, perducatur, verbi gratia: Si interrogem, an legatarius est successor? Quid ni? An hęres est successor? Admodum. Legatarius igitur fuerit hęres. Qua in re vera pręcedunt: falsum consequitur. Et rectè dicit 'perducitur disputatio', id est, dialogismus. hoc enim modo veteres Dialecticam accipiebant: quę perpetuę orationi opponeretur. Huic vitio quomodo occurratur, docent dialectici: nimirum vt ad formam Syllogismi vsitatum Sorites reducatur: & si fuerit longior, eodem modo ipsius Prosyllogismi resoluantur. nam tunc statim vitium apparebit. De Pseudomeno verò est l. qui quadringenta. D. Ad l. Falcid. vbi Africanus inquit: Qui quadringēta habebat: trecenta legauit: Deinde fundum tibi centum aureis dignum sub hac conditione legauit: Si legi Falcidiæ in suo testamento locus non esset. Quęritur, quid iuris est. Dixi τῶν ἀπόρων, id est, ex perplexis, hāc quęstionem esse, qui tractatus apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου, id est, frustratorij cauillatoriique, dicūtur. Etenim quicquid constituerimus verum esse, falsum reperietur. Ex quibus verbis definitio τοῦ ψευδομένου colligitur: nimirum vt sit captio, quę respondendo verum aut falsum imitari nequeat. Potest & aliud exemplum adferri: puta, rescripta principum sine

subiecti

subſcriptione non valent. Adfero reſcriptũ, quod non ſit ſubſcriptum, ſed in quo expreſſum eſt, vt non obſtante defectione ſubſcriptionis valeat. Quicquid hoc caſu reſpondebitur, vitioſum erit. nam ſi dicas valere, obiicitur clauſula, Principis reſcripto adiecta, volentis vt valeat. Huic vitio igitur ita occurrẽdum eſt, vt non ſimpliciter reſpondeamus affirmando vel negãdo: ſed adhibita diſtinctione & ratione, quod edocemur ab Africano in d l. qui quadingenta. qui ad volũtatem teſtatoris decurrit: quumque ex verbis appareat, teſtatorem ea verba, [Si legi Falcidiæ in meo teſtamento locus non erit] non tetuliſſe ad hæc centũ, quæ ſub ea conditione legat: ſed ad trecenta aliis legata, vt velit ea ſalua eſſe, non deducta Falcidia: ideoque ſequitur, conditionem legati deficere: eaque centũm inutiliter eſſe legata. Nec obſtat iam, quod l. Falcidiæ ob hoc locus non erit: dum quarta penes hæredem integra maneat, & ſic vidatur impleta conditio: quia huic interpretationi occurrit teſtatoris volũtas. Quod & ipſum de reſcripto principis dici poteſt: vt nimirum ex ipſius principis voluntate accipiatur. Et hæc de Dialectica. Quod verò ad ſolutiones, quæ ex iuris ſcientia ſumũtur, attinet: quamuis hæ ipſæ poſſint ad Dialecticã referri: tamen facilioris intelligentiæ cauſa regulas quaſdam tradam.

Et primò dico: leges, quæ pugnantes videntur ſæpius cõciliari poſſe, ex verbis eorum rectè intellectis. vt ecce vno in loco dicitur: Si inauratum aliquid ſit, licet ego aureum putem, venditio valet: quia nimirũ non ſit erratum in materia. At alio in loco directò cõtrarium ſtatuitur. Menſam argento (vel auro) coopertam mihi ignoranti pro ſolida vendidiſti imprudens: nulla eſt emptio. Hoc contrarium adeò magnũ videtur Doctoribus: vt ſe inde probabiliter explicare non poſſint. Sed acutè à Cuiacio tantùm explicatione verbi hoc modo diſſoluitur: vt inaurata accipia-

mus, quibus autem immixtum est: quod proprietas huius verbi docet. Nam ea dicuntur inaurata, quibus aurum quasi inseparabiliter adiungitur: at auro cooperta dicuntur, quæ tantũ lamina aurea inducta sunt. Hoc posito, verissimum est, eum, qui mensam inauratam pro aurata emit, in materia omninò non errare, ob aurum infusum & permixtum, eoq; valet emptio, quum in totum de materia non dissentiat. At is qui auro coopertam mensam emit pro aurea: certè errat in materia: quum lamina cooperiente excepta reliquum totum nihil omnino de auro continet: & ita nullo modo aureum dici possit. Similiter pugnare videntur l. legatum. D. de legat. i. quæ ait, [Legatum seruo dominum repudiare posse: & l. Titia. §. Lucio. D. de ann. legat. quæ dicit, [Fideicommissum alieno seruo relictum repudiari non posse.] Quæ tamen facillimè verbis d. §. Lucio. congruis conciliantur: quum is §. agat de legato siue fideicõmisso agnito, siue acquisito per agnitionem: eoque certũ est, quod semel acquisiuerim, illud me non posse repudiare. At d. l. legatum, simpliciter de legato agit, quod delatum est, hoc est, cuius acquirendi facultas domino, morte testatoris, facta fuit: quod sanè vtrum velit nécne agnoscere, vt in cuiusque legatarij volantate est arbitrium, ita etiã in domini, cuius seruo fuit relictum. Sumitur ergo reconciliatio ex verbo Acquisitu, quo Iurisconsultus vtitur in d. §. Lucius.

Secunda ratio legum conciliandarum sumitur ex tempore cuiusque legis latæ. Nam certi iuris est, posteriores leges semper prioribus derogare. i. Si igitur in Nouellis constitutionibus aliquid discrepãs & cõtrarium Pandectis vel Codici, aut Institutionibus reperiemus: id hac secunda ratione conciliabimus. Idẽque obtinet in Codice: qui quũ secundò editus sit diu post Pandectas: sintque adiectæ multæ Nouæ constitutiones, & decisiones, quibus ius vetus emendatur:

certum

certum est, cum iuri priori derogare. Nam & constitutiones permultas edidit Iustinianus: quibus nouũ ius induxit, & vetus abrogauit: & quinquaginta decisiones eidem Codici inseruit: quibus tantùm controuersiæ & incertæ veterum Iureconsulto. opiniones diri-muntur. Hæ verò cõstitutiones atque etiam decisiones facilè agnosci possunt ex subscriptione. Nam quũ Codex posterior editus sit, manifestum est, omnes leges post hunc confutatum conscriptas recentiores esse, & veteribus derogare. Ergo cuicunque scriptũ est, [Lampadio & Oreste Coss.] vel [post Lampadij & Orestis consulatum] semel & iterum: vel [Iustiniano Iurisconsul. vel Iustiniano I V. & Paulino Coss. hæ omnes leges nouæ putandæ sunt. Verbi gratia l. 10. commodissimè. D. De liber. & posthum. ait Iurisconsultus postumum hæredem instituendum esse in vtrumque casum: [seu viuis nobis, seu mortuis natus fuerit.]

Quòd si eum instituas, Si te mortuo natu, fuerit, & is te viuo nascitur, testamentum rumpi: quia in eũ casum nascitur, quo reperitur præteritus. Huic legi directo contraria est l. vlti. C. de posthu hæredi. institu. in qua Iustinianus statuit: Posthumum post mortem patris institutum, etiamsi eo, adhuc viuo nascatur, rectè institutũ videri, nec testamẽtum rumpere. Hæc l. vlti. quum scripta sit post Lampad. & Orest. consulatum, certè priori derogat, seruabiturque, prima abrogata. Eodem modo l. 2. D. ad S C. Tertulia. statuit, matrem excludi a fratribus liberorum defunctorum, quò minùs is possit succedere. At l. vlti. C. eod. matrem vocat vnà cum fratribus in viriles portiones. Derogat ei iuri Pandectarum quum subscriptio doceat, eam post editionem primi Cod. fuisse editam. Est autem notatu dignum etiam in ipsis Pandectis iura contraria ob temporis rationem inueniri. Cuius rei exemplum nobis exhibet Cuiacius lib. Obseru. 1. c. 29. ex l. qui Romæ. §. Flauius. D. de verb. obligat. in qua dicit

Scæuola Iurisconsultus. Si ego tibi seruum donem ea conditione, vt eum manumittas, nec tamen eum manumiseris: me eo nomine præscriptis verbis tecum agere posse. Huic directò obstet l. pen. D. De his qui sine manum. lib. & l. 1. & pen. C. si mācip. ita fuer. alien. vt manum. vbi dicitur: Pactum manumissionis cōtractui adiectum, libertatem repræsentare. Quod si verū est, actione præscriptis verbis hoc casu opus non fuit: quum ipso iure hoc competat, ad quod actione agēdum foret. Nec ea res a DD. explicata est. Primus, vt dixi, Cuiacius tempore ea contraria conciliat. Nam Scæuola Iurisconsultus in d. §. Flauius, de iure, quod tempore D. Marci, quo ipse vixit, obtinuit, respondit. Erat autē eo tēpore constitutio tantùm de seruis manumissionis causa vēditis. l. nec ergo potuit à Scæuola produci ad seruos donatos, manumissionis causa: licet postea ea producta fuerit. d. l. penult. ita vt hodie d. §. Flauius. plane obligatus sit. Quod etiam ex eo apparet, quod in hac conuentione, [Do tibi pecuniam vt seruum manumittas,] libertas non repræsentetur. Itemque si seruum tibi legauerim, vt eum manumittas. nam ad hos duos casus D. Marci constitutio illa nondum est porrecta. Tertiò principaliter contrariorum solutio colligitur ex distinctione: in qua certè diligentem & accuratum esse oportet: quum sine ea ius nullum dici aut exerceri possit. Diligenter igitur omnium specierum a legibus, quæ dissidere inuicem videntur, decisarum circumstantiæ, quò ad personas & res, de quibus agitur, sunt considerandæ. Vt ecce in l. ex conducto 15. §. item quum quidam. D. Locati, docemur: Si quis vecturam prorogauerit, id est, pretium vecturæ, antequam nauigatio fiat, soluerit: si postea impediatur nauigatio: eum quicquid soluit, posse repetere: quum nauta vehendi munere functus non sit. At in l. penul. §. vlt. D. eod. titu. directò contrariū statuitur: nihilominus scilicet vecturam soluendam esse,

quamuis nauis retenta fuerit. Ratio conciliationis ex eo pendet: quia d. §. vlt. retentio nauis facta fuit ob nõ soluta vectigalia, & ita culpa ipsius vectoris, eoq; meritò, quum nauta suo officio functus fuisset, si culpa vectoris non interuenisset, vectura omnino soluenda est. Quartò diuersæ fuerunt veterum Iurisconsultorum sectæ: vnde etiam diuersa iuris principia exstruxerant: quibus in lectione Pandectarum non obseruatis, multa videbuntur contraria & indissolubilia. Verbi gratia, Cassiani existimabant, venditione contracta sub in diem addictione, licet res addicta esset emptori, tamen nihilominus contractum esse imperfectum, vt qui ex futura conditione, si melior conditio non offeratur, penderet. At Iulianus cum Marcello & communi reliquorum Iureconsultorum secta contrarium statuebat, nimirum venditionem perfectam esse, sed sub conditione futura resolui. Ex hoc principio alia sequuntur. Finge, fundo in diem addicto a vicino, vi aut clam detrimentum inferri, cui competit interdictum, Quod vi aut clam, vtrum emptori, an venditori? Si Cassij opinionem sequeris, venditori dabitur, quia is est dominus: sin Iuliani, emptori: quia emptione perfecta, & re per addictionem tradita, dominium in eum transiisse apparet. Meritò igitur ab Vlpiano hæ controuersiæ dirimuntur. Longè maior & adhuc nondũ soluta, nec quæ vllo tẽpore solui possit, ἀντινομία est, ex variis & cõtrariis Vlpiani & Africani opinionibus, imprudenter à Triboniano in Pandectas relatis, in hac specie. Finge, me esse tuum procuratorem, ex administratione negociorum pecunia apud me residet: hãc epistolã ad te missa fateor penes me esse, méque obligo, vt ea sit penes me tãquam credita, mihique a te mutuò concessa. Quæritur. quis sit effectus huius conuentionis, hoc est, vtrum mutui nomine tibi sim obligatus, tenearque condictione certi: an verò vt procurator, actione ex mandato. Africanus

creditam pecuniam factam esse negat. Est enim contra iuris regulas, Nudo pacto mutuum contrahere, quod contrahi non potest, nisi re ipsa pecuniáq; creditori numerata. Nec mouetur eo quod receptũ est, posse iussu facto debitori meo, vt meo nomine tibi numeret pecuniam, contrahi creditum: quum illud benignè receptum sit, & iure singulari: aóq; non producendum ad consequentias. Directò cõtrarium Vlpianus in d.l.15. singularia: qui quum posterior Africano sit, etiam rationẽ eius refutat. Fatetur enim singulari iure hoc esse receptum: posse autem ius singulare ad consequentias produci: vbi eadem vel maior ratio subest. Si ergo (inquit) licuit duabus personis interpositis, puta debitori tuo, & eo, cui is tuo mandato numerat mutuum, cõtrahere ob fictionem, quæ fingit, quasi tu ipse numerasses: multò magis hoc licebit, vna persona interposita, puta si ipsemet debitor ex mandato fatetur, se ex credito teneri, eius pecuniæ nomine, quam ex mandato tenebat. Falluntur ergo DD. qui existimant, conciliari posse has duas leges: quum altera alterius principia & rationes manifestò refellat: idque ex veteribus solus Fulgosius rectè animaduertit. Sequitur ergo Africanus ius strictum, non admittens productionem iuris singularis. Vlpianus verò æquiorem sentẽtiam, quæ quidem recepta est ac confirmata in l. si ex pretio. C. si cert. peta. ex cõtrario intellectu. Nam quum ait Imperator, pacto nudo fieri non posse, vt pecunia aliũde debita, credita fiat: sed simulatione nõ obstante, veterem obligationem manere. Certè dum simulationis meminit: vult, si ea abfuerit (vt in d.l. singularia) pacto pecuniam creditam fieri posse. Ita vt non errare videantur, qui hodie ex d. l. si ex pretio, generaliter colligunt, pecuniam ex quocunque contractu debitam, pacto in mutui causam conferri posse. Est & alia manifesta dissensio Africani ab Vlpiano in d.l. qui negocia. Nam Africanus hoc

casu,

casu, si tibi do rem vendendam, vt precio vtaris quasi credito, creditum contrahi negat. At directò contrarium respondet Vlpianus in l. rogasti. D. si cert. pet. asserens omninò creditum hac specie contrahi, si tu secundum pacta rem vendideris, & si ita conuētum sit, vt pecunia pro credita vtaris. Nam si rem non vendideris: quia adhuc quantitas ad te non peruenit, nec [illegible] ua effecta est, vix mutuum contractum videri potest: [illegible] oque mihi non condictione Si certum petatur, sed præscriptis verbis agendum ait idem Vlpianus in l. rogasti. D. de præscript. verb. Similis dissensio reperitur inter Iulianum in l. Iuris gētium. D. De pactis. & Paulum in l. naturalis. § j. D. de præscript. verbis. quę multum negocij hactenus DD. exhibuit: sed tandem ingeniosis explicationibus Goueani & Cuiacij ad d. l. iuris gentium, explicata. Obseruentur igitur diligenter veterum Iurisconsultorum in lectione D. & C. quandoque diuersæ opiniones: præsertim quoties non de vnica specie, sed toto iuris principio inter se litigant. Quintò non tantū Iureconsultos alios ab aliis dissensisse: sed quandoq; licet animaduertere, eos sibi ipsos contradixisse. Quod vt non nouum est in nostris DD. pręcipuè Baldo: ita mirandum videretur in veteribus: si id non veritatis studio fecissent: priores suas opiniones minus veras emendantes vt ecce in l. venditor. § vlt. D. de seruis exportan. quæ est sumpta ex libr. xxvij. Quęst. Papiniani: expresse ab eo discedit Papinianus, quod scripsit aliàs in l. seruus. D. eod. titul. quæ est ex lib. x Quęstionum. Puta, si seruus vendatur ea lege, vt exportetur ex prouincia, & hoc ab emptore non fiat: certum est, agi posse actione venditi contra eum, nomine eius quod interest venditoris, seruum fuisse exportatum: item nomine affectionis. At finge, nec interesse venditoris, nec affectionem subesse, sed tãtùm sæuitiam: qua motus, vt puniret eum seruum, ea lege, vt exportaretur, vēdidit: an poterit aduersus emptorē

eo nomine agere. Papinianus in d.l.seruus. existimat non posse. Quia (inquit) pœnæ nõ irrogatæ indignatio solam duritiam continet: quæ sanè actoribus datio non videtur adiuuãda. Sed ecce in d.l. si venditor. §.vlt. expressè ab ea opinione discedit, dicens, sibi aliquando placuisse, non alias ex vendito propter pœnã homini irrogatam agi posse, quàm si pecuniæ ratione venditoris interesset: veluti quia pœnam promisisset: cæterùm bono viro non conuenire credere venditoris interesse, quod animo sæuientis satisfactum nõ fuisset. Sed tamen in contrarium se iam vocari Sabini sententia, existimãtis vtiliter hoc casu agi posse: quoniam ob id ipsum minoris seruus venierit, vt exportaretur. Nec ergo hoc casu exquirenda cõciliatio: dum Iurisconsultus se ipsum emendat: potiùs culpa danda Triboniano, qui leges ita contrarias statim coniunxerit: nisi dicamus, id eum facilioris explicationis causa fecisse: quod sanè in re manifesta, qualis hæc est, veniam vix obtinebis. Sextò notetur mos respondendi veterum Iurisconsultorum, præsertim Scæuolæ: nã & hinc quædam antinomiæ rectè dissoluentur, vt ecce in l. si pater. §. si mulier. D. De pact dotalib. docet Paulus Iurisconsultus pactum de non petendo factũ, si eidem subiiciatur pœnalis stipulatio, & si contra id factum fuerit, electionem tribuere reo: vt alterutro contenta sit mulier: vel exceptione pacti acceptam facere pœnæ obligationem: vel, si ex stipulatu agat, denegandam ei exceptionem. Huic directò obstat l. qui Romæ. 122. §. vlti. D. de verbo. oblig. vbi Scæuola in eiusmodi casu, reo, qui vsus erat exceptione pacti, nihilominùs dat actionem ex stipulatu: quia pœna stipulatione comprehensa videatur commissa. Hæc antinomia, more respondendi ipsius Scæuolæ cognito, facilè dissoluitur. Solet enim accisè & breuiter respõdere: nec vnquam vltra interrogata. Interrogatus igitur hoc casu, an commissa esset pœna, rectè respõdit,

commissam videri: quia nimirum commisso ipso iure fuit. Quod & reliqui Iureconsulti scribunt, dum exigunt, eam esse accepto ferendam, & sic eius obligationem tollendam, quoties quis exceptione fuerit vsus. Non ergo obstat Scæuolæ responsum reliquiis: quia nimirum licet ipso iure competat actio: tamé ea opposita exceptione in factum repelletur: vel poterit petitio ad hoc proponi, vt obligatio pœnæ commissæ per acceptilationem tollatur. Eadem respondendi ratio reperietur fermè in omnibus Scæuolæ responsis.

Septimò notandum est, quędam specialiter inducta reperiri, vt ecce in l. 7. §. restitutus. D. de minoribus, ait Vlpianus, eum minorem, qui restitutus sit ad adeundam hæreditatem, quam amiserat, iterú restitui posse ad eam repudiandam. Huic obstat l. vlt. § non autem filio. C. de bonis quæ libe. vbi Iustinianus expresse statuit, minori filiofamil. qui hæreditatem repudiauit, non dandam esse restitutionem ad adeundum: quum tamen I C. in d. §. restitutus, differentiam nullam fecerit: existimans, etiam repudiãtem ad hæreditatem adeundam restitui posse. Hoc contrarium Græci notãt tanquam manifestam ἀντινομίαν: Accursius soluit, quia speciale sit, ob reuerentiam patris, quæ solutio leuissima est: quum Iustinianus ipsemet aliam rationem adiungat, ne nimirum ludibrio leges eiusmodi minori fiant, sæpius eandem & amplecti & respuere hæreditatem cupienti. Quæ ratio quum generalis sit, & obtineat etiam in casu d. §. restitutus: ego quidem fateor, determinationem d. §. nõ autem filio, specialem esse: sed rationem me ignorare, nec eam requirẽdam in manifesta legis sententia: & ideo potiùs acquiesco Græcis. Octauò inspiciẽda est inscriptio legis. Vt ecce in l. 6. D. de testamẽ. tut. filij appellatione nepos contineri negatur. At in l. filij. D. de verb. sig. dicitur, filij appellationem ad omnes liberos pertinere, id est, tam nepotes, quàm pronepotes & reliquos.

Huius rei sumi potest conciliatio ex inscriptione d. l. filij quæ monstrat eam esse sumptam ex lib. 2. Pauli ad Vitellium: quo in libro, vt ex multis aliis legibus constat, de legatis tractauit: & inter alia etiam hanc quæstionem, Quid eo legato, [Villicum cũ contubernali & filiis do lego,] contineatur? Et constat hoc casu filiorum appellatione omnes liberos venire. Quia non præsumitur testator duram separationẽ inducere voluisse inter parentes & liberos. Quò fit, vt d. l. filij in hoc casu legatorum procedat: sed l. 6. ad alias species pertineat, in quibus ratio affectionis cessat.

Nonò plurimas solutiones DD. colligũt ex æquitate & stricto iure: quæ quidem conciliatio non semper est adhibẽda: quum ea perinde sit ac legum correctio. Vbi enim æquitas dicitur, ibi sequitur, alteram legem quæ de rigore procedit, esse correctam. Quò fit, vt nõ rectè vtatur Accursius hac conciliatione in l. 77. in prin. & §. cùm existimaret. D. de leg. 2. cum l. emãcipationem. §. idem quæsiuit. D de lega 3 Quæ quidem leges ambæ sunt Scæuolæ Iurisconsul & in vna dicitur, quoties is, quem ab intestato successurum quibusdã fideicommissis onerauerat, cohæredem ab intestato habet, onere fideicommissi pro parte eum esse releuãdum. In altera vero dicitur, fideicõmissa integrè præstãda. Quod postremum Accursius rigori, prius æquitati tribuit. In quo tamen, vt & Bartolus animaduertit, nimis fallitur. Posteriore enim casu, testatore sciẽte & volente, dimidia hæreditas tantùm penes hæredem manet: eoque non mirum, si integra onera ex voluntate testatoris agnoscat. Priore verò, ignorante testatore inuenitur successor ab intestato: vnde probabilis est præsumptio: testatorem, si sciuisset, bona sua in duas partes ille diuisa, hæredem non fuisse oneraturum in solidum. Licebit ergo hac conciliatione parce vti: Sanè demũ, quoties sub scientia iuris perniciosè exæquat, vt vult Celsus, hoc est, quoties iuris ratio (Ita

tio. (Ita enim ius strictum interdum appellatur) videtur iniuriam continere. Decimò sciendum est, extremam anchoram conciliationem consistere in Emendationibus legum, de quibus Gribaldus lib. 1. de stud. i... c. 16. Verbi gratia, in l. Diuus. D. de qu est. expressè statuitur, seruos etiam in caput dominorum, in caussis pecuniariis, si aliæ probationes deficiant, torqueri posse. At in l. j. C. eod. ita legitur: [In pecuniariis verò caussis, nec inopia probationum seruos contra dominum interrogari posse, manifestum est]. Has duas leges, lectione ista retenta, nemo vnquam conciliauerit. Non ergo legendũ [Nec inopia,] sed [Ex inopia:] vt habet editio Haloandri: & monstrat d. l. Diuus, & consequentia ipsa d. l. j. in qua quum docuisset, in criminalibus caussis seruos torqueri non posse in dominos: contrarium decidit in vers. seq. vt monstrat articulus [verò] qui est aduersatiuus. Quamuis autem Emendationes vt plurimùm in acumine ingenij positæ sunt: tamen aliquot Regulas Emendationum subiungam, siue rationes, quibus acutissimè plerique Iureconsulti vsi videntur.

I Et inprimis quum vulgati Codices in curia librariorum sint corruptissimi, ad manuscriptos erit confugiendum: inter quos primum locum videtur obtinere liber Florentinus, quamuis etiam quibusdã partibus imperfectus. Sed hoc tempore plurimum adiumenti hac in re iurisprudentiæ attulerunt Alciatus præcipuè in libris Dispũctionum, Anton. Augustinus in libris Emendationum, Lælius Taurellus ad annotationes suas in Pandectis. Contius in postrema iuris editione, & Cuiacius in libro obseruationum: qui non tantùm ex Florentinis Pandectis, sed etiam ex aliis manuscriptis vniuersum ius ferè in integrum restituerunt.

II Secundò non est negligenda Græcorũ trãslatio, quæ βασιλικῶν dicitur: cuius libri partes tantùm

quædam excusæ sunt, & integra Epitome, cuius adiumento multa restituuntur. Vt ecce in l. quoties. D. solu. matri. docemur certissimo iuris principio: patrem qui dotem dat filiæ, tunc demum soluto matrimonio actionem dotis repetēdæ habere, si filiæ voluntate in continenti dotem sibi reddi stipulatus sit: non etiam, si filia dissentiente: quoties nimirum non statim tempore traditionis dotis, sed ex interuallo stipulatur. At ecce in l. 40. post dotem. D. eod. tit. contrarium scribitur: patrem nimirum filiæ voluntate, post nuptias cōtractas, & dotem datam, stipulationem interposuisse in casum facti diuortij: & tamen Iuriscon. ait, ei actionem non dandam: quia nimirum inutiliter stipulatus sit, sed exceptionem obstare. Hoc loco Græci totum scrupulum tollunt. nam in ipsorum libris legitur patrem sine voluntate filiæ stipulatum esse: ergo meritò inutilis erit stipulatio interposita post ius agendi ipsi filio competens: d. l. quoties. Tertiò diligenter considerādæ sunt interpretationes & distinctiones commatum ac periodum. Nam quum veteres sine colis scripserint: vt etiam Codex Florētinus scriptus est, fieri non potest, quin sæpè imperiti librarij postea ea in re errauerint. Cuius rei exempla profert Cuiacius lib. 1. Obseru. 14. & lib 2. Obseru. 15. Exemplum est etiam in l. 2 D. de pact. vbi dicitur, conueniri posse vel re, vel per epistolam, vel per nuncium inter absentes quoq; posse, quæ interpunctio est vitiosissima. nam per epistolam vel nuntium inter absentes tantùm conuenitur, nec alio modo. Quartò sunt discendæ notę, quibus in scribēdis libris vsi sunt veteres, ex Æmilio Probo Grammatico, Varrone, & Festo, Et reperitur integer index earum editus à Cuiacio in fin. Cod. Theod. Quum enim ius ciuile notis scriptum esset, vt constat ex præfatione Iustiniani in Pandect. incip. Omnem. §. illud autem: multi errores inde emanârūt, quorum exempla vide apud Cuiacium lib. 1. Obserua. 22. & 17.

& lib. 4.

& lib 4. Obseru. 31 & apud eundem in Notis ad Instit. Qui & quibus ex causis manum. & ad Vlpiani titulos.

Quintò vicinitas literarum dat magnum commeatum ad enumerationem: vt in l. Imperatorū D. de pu blican. legitur. [possessiones præteriti temporis vectigal soluere, eoq; exemplo actionem, si ignorauerint, habituros:] huius postremi versiculi sensus nullus est, nisi legas. [Ex empto.] Est enim certi iuris, possessoré, qui cogitur præteriti temporis vectigal soluere, & ita a venditore deceptus est, aduersus eum ex empto experiri posse. Et ita emendat Cuiacius lib. 1. Obserua. 5. Plura exempla reperientur apud eundem Cuiac. libr. 1. obseru. 7. 17. 21 & lib. 2. Obseru. 3. & 22.

Sextò fit quādoque, vt ordo verborum incuria scribentium sit interuersus: quod euidenter accidit in l. 6. D. de solutio. vt monstrat Cuiac. lib. 1. Obseru. 38.

Septimò sępius negatio vel amissa est, vel abundat: verbi gratia. Certi iuris est apud legatum Proconsulis manumitti non posse: quia nimirum legis actionem non habet. Hoc tamen negatur in l. apud Proconsul. D. De manum. vind. Necessariò igitur adiungenda erit negatio, quæ ibi deest: vt etiā additur in libris manuscriptis, teste Cuiacio Obseru. lib. 1 c. 1. Idem Cuiac. lib 3. Obserua. 25. negationem abundare monstrat in l. qui seruum. § vlt. D. de obliga. Plura exempla requirere licet in lib. duob. Ioan. Roberti Receptæ lectionis iuris ciuilis de additis & detractis negationibus.

Octauò optima ratio emendationis sumitur ex indubitatis iuris principiis, vt certi iuris est, regulam Catonianam ad eas hæreditates, & ad ea legata pertinere, quorum dies morte testatoris cedit, quum ipsa illud ipsum tempus mortis ad momentum testamenti facti retrotrahat: non autem pertinere ad ea, quæ morte non cedunt: quia nihil iuuat, tempus mortis in iis retrò trahere, vt quod non inspicitatur. Pertinet ergo ad hæreditates & legata pura. Sed negat hoc Papinianus

in l.3.D.de reg.Caton.Catoniana (inquit) regula nō pertinet ad hæreditates. Supplendum ibi hæreditates scit sub conditione relictas: quod vt quidem iuri est consentaneum, per l.4.D.eod.tit. sic a mente Iurisconsulti non distinguentis, volentisque regulam tradere planè abhorret. Potiùs ergo credendum his, qui pro illo verbo, Hæreditates, restituunt Libertates, de quo Cuiac.lib.4 Obserua.4. Quod primo probat si nihil error in plerisque veteribus libris admissus: dũ ab imperitis scribis hæc duo verba sæpissimè sunt confusa: deinde manifestissima iuris ratio. nam libertates nō a morte testatoris cedunt, sed ab adita hæreditate coq; certum est, in iis definitionem Catonis non valere.

Nonò sumitur quandoque emendatio ex compositione duarum vocum, quæ separatæ sunt: vt in l.codicillis.§.qui Semproniam. D.de vsu & vsufru lega. legitur [Curator ei]: quæ verba ita retenta sensum nullũ idoneum faciunt At si vnam vocem ex iis composueris, legendo Curatorei, id est, curatori (nam veteres hunc Datiuum sæpius per Diphthongum Græcũ scripserunt) elegantissimus sensus eius legis elicitur.

Decimò duobus textibus coniunctis fit sæpè emendatio. vt ecce in l.Titio.D.de legat.2.ita legitur: [Titio centum aureos hæres præsens dato], deinde protulit diem legatorum: non est verum, quod Alfenus retulit, centum præsenti deberi: quia diem proprium habuerũt. Hęc lex si conferatur cum l.talis.D.de leg. 1. statim apparet legendum esse, Centum præsenti nō deberi. nam qui dicit, Hæres præsenti, siue præsens dato, diem adiicit. Quamuis itaque die legatorum deinde proferat, vt in d.l.talis. tamẽ quoniã diẽ propriũ hoc legatum habuit: manifestum est, eius diem prolatum non esse. Diem enim proferre est, eorum legatorum proferre, quæ purè debebantur. Et hæc quo ad solutiones siue conciliationes ipsorum textuum Sed quia, vt dixi, multa in iure cõtraria vel potiùs diuersa

ex DD.

ex DD. disputationibus oriri, & præsertim iis, quæ sibi ipsi extruunt, nouis iuris principiis solent: in iis refutandis & conciliandis semper ad eos textus, quibus nituntur, recurrendũ est. Nec enim creditur Doctori, nisi quatenus probet, secundum Iason. in l. properandum. §. sine autem. nu. 1. C. de iud. & Bart. in l non solum. §. liberationis. D. de liber lega. & Panorm. in c. scientis. de censib. Exempla autem ad leges contrarias dissoluẽdas, quo ad ingenij acumen, & principia iuris probè demonstrata, petant ex Anton. Goueano, & Iac. Cuiacio: qui duo vt omnes veteres, sic & omnes recentiores hac in parte longo interuallo superant.

Cap. IIX.

DE SIMILIBVS LEGIbus.

POstremũ quod in explicatione legis accurata consideratur, est similium legum cõiunctio, aut ipsius legis ad similes species productio. Ad hanc rem, vt & ad contraria inuenienda, nullus est aptior Accursio: qui & cõtraria, & similes leges passim indicat: quamuis certum sit, multas ab eo nõ annotatas. Sed quemadmodum leges essent producedæ, dixi de ratione decidendi: & proderunt Cantiunculæ & Euerhardi loci legales: qui numerosos argumentandi a simili modos iure receptos annotarunt.

Restat, vt dicatur, quomodo à nobis in explicatione legis hæc quinque de quibus hactenus dictum est, sint adhibenda. Et quidem id totum pedet ex iudicio ipsius interpretis. Sed quia reliqua sine verbis intelligi non possunt, manifestum est, verba primùm explicanda: deinde si l. vel §. fuerit longior, in certas partes distribuatur, & in singulis partibus ea, quæ commemorauimus, ordine adhibeantur. Quod vt fiat, mani-

festiùs apparebit ex interpretatione l.lecta. D.de reb. cred. Primùm ergo varborem explicatio ante omnia præmittenda est. Sed in hac quidem l.quatuor verba DD.difficultatē exhibent.Primò enim quærunt, quid sit Auditorium. Et sanè ex aliis Digest.locis cōstat: Auditorium non accipi pro schola Iurisconsultorum, vt Bartolus & alij volunt:sed tantùm pro loco iudiciorum exercendorum. Hoc modo dicitur auditorium Principis, & auditorium magistratuum.iusdicētium, & auditorium Præfecti Prætorio. Quin & auditorium iudicicis priuati, vel arbitri dici potest, quum minor, qui patitur in se compromitti, auditorium recepisse dicatur. Deinde non intelligunt, quid velint ea verba, Quindecim mutua.] Et sciendū est, deesse hic verbū, Sestertia, quod subintelligitur: idq; in genere neutro sumptum semper mille denarios seu numos denotat. & asseruit primò Budæus in lib. de Asse, eūq; secutus Alciatus lib.3. Dispunct.c.2. Quindecim mutua igitur.i.xv.mille numorū. Tertiò quæritur, qd velit, Pacto in continenti apposita.] Qua de re etsi multa DD disputant: tamen manifestum est, incontinenti intelligi quicquid ante cōtractum, vel statim post, vel in ingressu siue exordio contractus adiicitur. Quartò hallucinātur in explicatione verbi, pacta inesse. nam vt infrà patebit, hoc loco id nihil aliud est, quàm ipso iure pacta ita huic contractui adhærere, eumque reformare, vt non sit opus eo nomine exceptionem opponere:sed is qui pactus est, sine vlla exceptionis oppositione, hoc est, sine vllo facto suo ex natura cōtractus initi tutus & secutus sit: Et tantùm de verbis: sequitur de legis huius partibus. Partes autem legis illius sunt tres. Prima, Species facti proponitur: Altera, Definitio eius traditur. Postrema, quæ obiici poterūt, refutantur. Antequam autem speciem facti huius legis proponam: operæpretium est interpretari singula verba cautionis a I C. propositæ: sine quorum cognitione

tione factum intelligi vix potest. Dicit ergo: Proposita est cautio huiusmodi] cautio accipitur pro qualibet scriptura, qua alicui prospicitur, obligationis, vel liberationis causa probandæ, quæ & Chirographum dicitur. l. pen. §. vlt. D. de edendo Hoc loco pro scriptura probante cõtractam stipulationis capitur. De domo] nam duo fuerunt modi apud veteres pecuniæ debitoribus numerandæ: vel de domo & arca vel in foro ex mensa argentariorum: eaque stipulationibus inseri solebant, vt probat hic locus: de quo vide Cuiaciũ Obseru. 10. c. 14. Probam] Hoc adiicicitur ex more contrahentibus vsitato: vt etiam probat L. Titius. D. de constitu. pecun Inepta ergo est disputatio Bartoli, argumentari volentis in re manifesta: quum & hodie eadem consuetudo seruetur in contractibus. Adiicit, Probam pecuniam reddi] Non quia reprobi numi soluti liberent: quod ius non admittit. l. eleganter. §. reprobos. D. de pignor. actio, Sed quia etiam ea, quæ abundant, vitium afferre non solent. Rectè dari.] hoc est, pro boni viri arbitratu. l. hæc verba. 73. D. de verb. sign. Calendis futuris] Proximis scilicet: nam quoties non exprimuntur, proximæ intelliguntur. l. eum qui. D. de verb. oblig Ait, Pertinebit] id est, hæredi, vt infra addit. nam ad eum pertinere dicitur, qui in vniuersum dominium, siue iure ciuili, siue prætorio, creditori succedit l. sciendum est. in fi. & l. verbum. D. de verb. sign. vt sunt hæredes & bonorum possessores. l. 1. § prodest. & § si alter D. quorum legatorum. Ait, Data] Quod verbum proprium est obligationem dandi: significatque accipientis facere §. sic itaque. Institut. de act. l. vbi. §. vlt. D. de verb. oblig. l. vlti. D. de condict. cau. dat. l. non videntur. D. de Regul. iur Ait, Soluta] Quod verbum etsi generale sit, referaturque ad omnẽ liberationẽ, & contineat præstationem naturalẽ eius quod debetur, siue dationis, siue facti. l. solutionis. D. de solu. l. liberationis. & l. solutionis. D. de verb. signi.

tamen hoc loco ad obligationem dandi refertur, pro subiecta materia: idemque significat, quod dare. Nec nouum est, in cautionibus eiusmodi verba cumulare: nam eodem modo coniungūtur dare, facere, præst[are] re in l. Iulianu[s]. § idem Iulianus. D. de action. emp[t]. qui libertinos, in princip. D. de oper. liber. Ait, Sat[isfa]ctio eo nomine factum] Satisfactionis verbum est generalissimum: significans, quocunque modo desiderium creditoris implere. l. 5. §. satis acceptio. D. de ver. oblig. non tantum soluendo, aut dando, vel faciēdo, quod promisisti: sed etiam dando ex promissione. l. 4. §. ait Prætor D. de re iudica. pignoris fideiussoré nuda conuentione cauendo, vel denique pretio aliquo, aut iureiurando satisfaciendo. l. scirem. §. omnis. D. de pinor. actio. l. 5. §. vlt. l. si. deferente. l. si cū colono. D. quibus modis pignus vel hypothe. Quamobrem non est mirū, in hac cautione illud disiungi particula disiunctiua a solutione: sicut etiam fit in l. stichum. § 1. D. de statu homin. l. Paulus. §. quæsitum. D. de liber. caus. l. si ita. §. sed si D. de manum. testamen. l. vendidi. D. de contrahend. empt. Ait, Pœnæ nomine] vbi nota, Pœnæ nomen dupliciter in iure capi, quo ad materiā contractuum. Quandoque enim accipitur pro vsura, quæ ob moram infligitur, ceditque a die datæ solutionis, vt hoc loco, eoque differt ab vsura, quæ fœnus dicitur, & tantùm lucri causa infligitur: cuius dies a die stipulationis cedit, mora non considerata l. in stipula. D. de verb. obli. Quandoque pœna accipitur pro ea, quæ semel infertur ob moram solutionis, quę nequaquam vsura dici potest: quum vsura semper augeatur tempore, & crescat: at illa pœna tantùm semel debetur, de qua in §. vlt. Instit. de verb. oblig. & in §. alteri. Instit. de inutil. stipul. Qua distinctione tollitur intricata DD. dubitatio, quid pœnæ nomine hic veniat. Ait, In dies xxx.] hoc est, in mensem, nam mensem regulariter 30. dies constituunt: l. vbi lex. D. de R. I. l.

septimo. D. de statu homi. coniuncta cum l. 3. §. vlt D. de legit. hæred. Ait, denarios centenos] Quo loco expressè notat vsuram centesimam. Est enim iure Pan- ... & Cod. vsura centesima, quæ quotannis duode- ... efficit, sic dicta: quòd eius quantitas centesima ... rs sit sortis: eoque centum mensibus æquat sortem. ... 4. §. vlt. D. de naut. fœn. l. vlt. §. vlt. C. de iure dot. Hodie centesima vsura aliter a Iustiniano dicitur: nimirum, quę quamuis octauam partem sortis soluit: & sic duodenos & semissem quotānis efficit, vt traditur expresse in Nouell. 106. de vsur. naut. Est autem notandum hoc loco, vsuras centesimas, pœnæ loco, eo iure potuisse adiici. hodie enim alia distinctio seruatur. l. eos. D. de vsur nec tamen ipsi centesimæ vsuræ pœna alia adiici potuit: sed tantùm ei, quæ minor cētesima esset. l. 4. §. vlt. D. de naut. fœno. Quod intellige secundum duplicem pœnæ significationem, vt supra dixi. Ait, Cōuenitque] Conuentionis verbum duplex: est Generale, omnem contractum significans, omnemq; modum: obligationem saltem naturalem consensu constituens. l. 1. §. conuentionis. l. conuetionum. D. de pact. Speciale ita, vt tantùm complectatur nuda pacta, id est, conuentiones, quæ nomine & causa carent, nudoque consensu nituntur. l. iurisgentium. D. de pactis. eoque significatu hoc loco capitur. Sed quærunt DD. præsertim Decius nu. 9. h. l. Cur cōuentionis verbum non possit accipi pro stipulatione: quum tamen promissio, quæ æquè generaliter patet pro stipulatione in dubio semper accipiatur. §. ita autem. Institu. de inutil. stipul. Cui quæstioni, quamuis variè ab iis tractatæ, facilimè satisfit, proprietate verborū inspecta. Conuentionis enim verborum etiam in propria significatione generale est: & deinde tāquam genus ad nuda pacta transfertur: siq; generaliter acciperetur: non minùs de emptione ac quolibet alio contractu, quam de stipulatione dici posset. d. l. iurisgentium. At pro-

missionis verbum propriè tantùm ad spõsionem, quæ stipulanti fit, refertur: eoque quum in dubio interpretatio secundum proprietatem fiat, semper promissio in dubio pro stipulationis parte accipitur. l. sciend. D. de verb. ob ig. l. iurisgent. §. quod ferè. D. de pact. 1. C. de contrahen. stipul. §. si scriptum. Instit. de inutil. stipul. §. vlti. Instit. de fideius. Idque eò, quoniam olim forma ipsius stipulationis in hoc verbo Promitto, consistebat, §. in hac re. Instit. de verb. oblig. Quãuis etiam generaliter accipiatur: tamen hoc fit impropriè. l. sciendum. §. dictum. D de ædil. edict. vbi Iurisconsultus ideo adiungit, Promittere sine sponsione. existimans propriè promitti cum sponsione. Et ita oportet intelligere, quod dicitur in l. 1. D. de iure dot. & l. 1. §. eum qui. D. de constitut. pecun. & l. nudam. C. de contrah. stipu. Quod de conuentione dici nequit. nam quum manifestum sit, eam hoc loco generaliter intelligi non posse: certè spacialiter accipiendum est pro nudo pacto: sicuti permutatio specialiter accipitur pro negotio, quo res permutatur. l. 1. D. de permu. Quamuis in genere omnem cõtractum, quo hinc inde quid commutatur, significet. d. l. 1. & l. naturalis. cũ ibi notatis. D. de præscri verb. Ait, Pro Mæuio] Hic in Florentinis manifestus error est, quum legi debeat, Publio Mæuio. Causam præbuit nota P. quæ accipi potest loco Pro, & loco Publius. Ait, Menstruo denarios trecenos] Ita vt integra summa, quæ fuit 16000. mensibus 50 soluatur. Ait, Ex omni summa] Sortis videlicet, nõ etiam vsurarum, vt rectè notauit Accursius. Iam ergo SPECIES FACTI sequitur. Finge, Stipulanti mihi promisisti 15000 denariorum, quæ tibi de domo mea numerauerim, te redditurum proximis Calendis. Et si die promisso ea non solueris, in singulos centenos denarios pœnæ nomine ob tardam solutionem centenos denarios, hoc est, vsuras centesimas promisisti. Deinde in continenti. i. in hoc ipso

ipso negotio hui⁹ stipulationis, nudo pacto inter nos conuenit, vt non tenearis mihi soluere ea 15000 proximis Calendis simul: sed certis pensionibus proroga-[illegible]s: puta, singulis mēsibus, trecenos denarios: ita vt xv. [illegible]nū mensibus tota sors mihi soluatur. Tempus ho-[illegible]m mensium elabitur. certum est, de sorte te teneri. [illegible]ed quæstio erit de vsuris, quarum mētio nulla in vltima conuentione facta est. Quæritur ergo, An vsura totius sortis statim à primo mense currere incœperit: ita vt omnium 15000. nomine vsuras per hos 50. menses debeas: an verò primo mense tātùm incipiant currere vsuræ primæ pensionis, hoc est, trecenorum, secundo mense secundæ, & sic deinceps? Quęstio agitur apud Pręfectum Prætorio Papinianum, cuius assessores fuerunt Paulus & Vlpianus, teste Lampridio: quorum diuersæ sententiæ ac disputationes hac lege nobis referuntur. Rationes decidendi. Hec quæstione proposita, vtrum nimirum pactum stipulationi, de prorogatione sortis in continenti adiectum ad vsuras quoque pertineat? diuerse Iurisconsul. Pauli & Vlpiani fuerūt opiniones. Nam quamuis Paulus nō exprimat nomen Vlpiani: tamen verisimile est, Vlpianū ab eo intelligi: primò quia ambo eodem tempore assessores Papiniani fuerunt: deinde quia Paulus quoties notat Vlpianum sine nomine eum notare consueuit: vt in l. 2. §. alij. D. pro empto, manifestè reprehendit Vlpianum suppresso tamen nomine, qui contrarium scripserat in l. 2. D. de in diem addict. Et sic eodem modo tacitè reprehendit idē Paulus in l. Paulus. 47. §. vlt. D. de bon. libert. id quod scripserat Vlpianus in l. 12. eod. tit. Obtinuit autem in hac cōtrouersia sententia Pauli, quæ hęc est: Pactum de sorte factum, etiam ad vsuras pertinere: eoque prima pensione elapsa, nō totius sortis vsuras, sed tantùm trecenorū denariorum deberi: & sic secunda pensione elapsa adhuc trecenorum denariorum vsuras accedere, & ita deinceps. Ra-

tione autem decidendi vtitur ista: quia nimirum pacta in continenti antequam scilicet contractus perficiatur, stipulationi adiecta, eidem inesse, hoc est, eam formare, eamque totam immutare. Porrò si stipulatio prima, quæ de sorte fuit, necessario consequitur vt sortis ipsius solutio pacto diuisa & dilata est: eodem modo vsurarũ solutionem & diuidi, & differri: ideoque vsuras ex tempore moræ pro ratione portionum tantùm currere. nam ea, quæ de sorte principali statuuntur, secum trahunt accessoria, cuiusmodi sunt vsuræ. Et vt hoc dictum pacti adiecti breuiter intelligatur, quod a Doctoribus intricatè hic doceri solet: distinguendum est inter contractus bonæ fidei & stricti iuris. Et quidem pacta nuda bonæ fidei contractibus in continenti adiecta actionem eorum formant & reformant: ita vt quod pacto conuentum est, perinde petatur actione eius contractus, ac si in contractu ipso cõtrahentibus placuisset. Quò fit vt cõtractus dotis per conuentionem adiectam, in emptionis formã transeat. Ad quoties ex interuallo adiiciuntur, eãdem vim non habent in adminiculantibus cõtractuũ, siue extrariis, quæ DD. naturalia vocãt. Sed tamẽ si adiecta fuerint, quo ad substãtiã cõtractus, eodẽ modo actionẽ formãt. Porrò si stricti iuris cõtractibus adiiciãtur. cuiusmodi est stipulatio: adiecta nõ prosunt. Ita nec in continẽti adiecta quicquã iuuant ad agendũ: quũ leges hoc specialiter attribuant bonæ fidei cõtractibus. Ergo nõ idem erit in strictis. Quãuis Doctores cõiter contrarium teneant, sed fundamentis haud firmis. Quod enim primò nituntur sententia huius legis, in eo multum falluntur, vt & Iason ipse animaduertit: quum lex id tantum probet, a parte rei conuenti hoc pactum inesse, non etiam a parte actoris, quod tunc verum esset, si factum fuisset pactum non de prorogãda solutione, sed de sorte citiùs soluenda, quam stipulationi conuenerat. Deinde non iuuatur l. petens. C. de pact.

de pact. quæ hoc tãtum innuit: pacta stipulationibus confirmata ad agendum prodesse: nõ etiam dicit, pactæ stipulationes ipsas, quo ad agendi formam immutare. Altera decidendi ratio Iurisconsul. in eo cõsistit: quòd vsuræ, quæ pœnę nomine infliguntur, ante moram commissam peti nequeant. At si ipsa sors hoc pacto dilata fuit, nec peti potuit, nisi iis statutis pensionibus: certè mora nulla interuenit: quũ nemo in mora constituatur, a quo res peti nequit: vel qui petẽtem exceptione potest repellere. Mora enim culpa est non respondentis debitoris, qui respondere debebat, nec iure ipso, aut æquitate exceptionis se defendere poterat. Quum igitur stipulatio sortis pacto reformata sit, & nulla mora, ante tempus cuiusque pensionis, ipsius debitoris interuenerit: meritò concluditur, pacti huius effectum etiam ad vsuras pertinere.

Contraria eorumque refutatio. Huic Pauli Iurisconsulti definitioni quatuor argumenta ab Vlpiano fuerunt opposita. Primùm, pacta esse stricti iuris, nec pactum de vna re factum, ad aliam posse extendi? Hoc autem pactum tantùm cõuentum esse de sorte, deque prima stipulatione, qua sorte terminus solutionis certus destinatus erat. Ergo non posse produci ad secundam stipulationem, quæ vsuras pœnę & tardæ solutionis nomine comprehendebat. Huic argumento & rationibus iam allatis facilè responderi potest. Nã propositio maior omninò in hoc casu non obtinet. Vt enim verum sit, pacta ad res alias nõ produci: sic falsum est in iis quæ accessionis nomine veniunt: & quum vsuræ tantùm ad moram currant, manifestum est, pactum, quod moram tollit, etiam ipsas vsuras tollere. Secundò, pactum hoc tantũ prodesse ad exceptionem: sicuti natura pactorum est, non vt actionem, sed tantùm exceptionẽ producãt. Ergo non obstante hoc pacto, in ipso iure sortem licitè peti potuisse. Sed antecedens à Paulo negatur: quum certum

ſit, pactum in continēti ſtipulationi adiectum, eidem ineſſe: ſi ineſt, ipſo iure ineſt: ita vt ſtipulatio mutata ſit: nec opus ſit exceptione vel facto opponentis: ſed ſui natura actio alio modo, quàm quo pactum ea[m] formauit, competere non poſſit. Hoc enim ineſſe [di]citur, nimirum ſine exceptionis oppoſitione petit[io]nem labi. Tertiò vtitur Vlpianus hoc argumēto: P[o]ſito quod iam affirmaui, ſortem ipſo iure potuiſſe peti, non obſeruatis penſionibus, reo non excipiente: ex eo conſequi, vt quoniam iā nulla exceptio a reo poſſit opponi, quo ad ſortem: quippe quæ menſibus 50 elapſis debita ſit: ideò & vſuras integras peti poſſe: quū ſors integra petatur. Huic argumento dupliciter Paulus reſpondet. Primò enim negat antecedens, videlicet ſortem ipſo iure peti potuiſſe, vt iam diximus: deinde probat, etiā eo cōceſſo, tamen ex eo nō rectè cōcludi: quia nimirū nulla vſura totius ſortis extra conuentas pactiones currere potuit, quum mora nulla facta ſit: non autem vſuras deberi, niſi mora commiſſā. Rectè ergo intelligantur hæc verba: quamuis ſententia diuerſa obtinuerit: ne ineptè cum Gloſſ. & DD. ea accipiamus, in hanc ſcilicet ſententiam obtinuiſſe: quæ ſtatuit pacta ſtipulationi adiecta incontinenti ipſo iure ineſſe: quod Vlpianus negauerat. Quartò vtitur Vlpianus hac ratione, mora ſemel facta, vſuras rectè currere ex tempore ſtipulationis interpoſitę: ergo hoc caſu, quum mora omnium penſionum ſoluendarum die promiſſo interceſſerit, certè vſuras à die ſtipulationis interpoſitæ eſſe computādas. Sed antecedens planè negatur è Paulo: nimirum nunquam eiuſmodi vſuras, quæ pœnæ nomine promittuntur, ex tēpore ſtipulationis deberi: nec recurrere a die moræ cōmiſſæ: niſi hoc nominatim caueatur: ſicuti etiam in fructibus id fieri poteſt, vt nimirum & ſi retrò trahātur. Eaque eſt ſententia §. vlt. hic: quum ſit certi iuris, ſtipulationem, quæ dationem in futurum confert, omnino

omninò valere: & eiusmodi dationem sequi conditionem: licet retrò habita ratione temporis præteriti dari oporteat. Ergo ex hac Pauli responsione discimus, ob sortem non solutam vsuras grauiores infligi [illegible]le ex die contractus. Nec huic sententiæ obstat l. Cùm quidam. D. de vsur. quum in ea tantùm dica[illegible]. ob vsuras non solutas, grauiores vsuras non posse infligi ex die contractus, sed ex die cessationis. Est ergo hæc lex de sorte: l. quum quidam. de vsuris.

Omnibus igitur, quæ hactenus dicta sunt, consideratis, patebit argumentũ legis nostrę in eo consistere: vsuras pœnæ nomine promissas ex mora currere, & non ex die stipulationis: deinde, pacto incontinenti stipulationi adiecto, vt ipsius sortis, ita & vsurarum solutionem ipso iure diuidi ac differri.

Svpersvnt quædam leuia cõtraria, quæ & Doctores hic legi solẽt opponere. Et primò quidẽ quum hic dicatur, Stipulationem in diem factam committi die demum veniẽte: iis verbis, [Si ea die supra scripta] obiiciunt. l. huiusmodi. D. de verb. obli. ex qua colligitur, etiam quandoque ante diem stipulationem committi. Sed breuiter omissis eorum solutionibus dicendum est, quandoq; diem & conditionem simul stipulationi apponi, & non nisi tam conditione impleta, quam die existente, stipulationem committi, vt inde peti possit: quandoque conditionem tãtùm apponi, & sanè tunc existente conditione rectè petitur, nullo die considerato: quandoque diem tantùm, vt hic, & die existente cõpetit petitio: ita tamen vt totus is dies arbitrio debitoris relinquatur. Secundò quum I C. dicat, pactum hoc stipulationi inesse, eamq; quodam modò formare: huic solet obiici l. si pacto. C. de pact. & l. nuda. C. de contrah. stipula. Ex quibus colligitur, Pacta quæ de sorte siue re principali agunt, a stipulationibus subsequentibus, quæ pœnam siue accessoria continent, non adiuuari. Quum ergo hoc nostro casu

pactum subiiciatur. non stipulationi primæ, quæ sortem continet: sed secundæ, quæ vsuras respicit: certè ad primam produci non poterit. Huic argumeto breuiter responderi potest. non in specie hoc loco locum ipsius pacti, sed vim & efficaciam eius attendi, quæ tique de ipsa sorte est. Nec obstat, quod in medio p sita reperiatur vsurarum stipulatio: quum sufficiat p ctum in continenti stipulationi adiectum esse. In cōtinenti, hoc est, statim post stipulationem factam: antequam ad aliud extraneum & contrariũ obligationi negotium discessum fuit. Quale sanè vsurarum stipulatio non est: vt quę de ipsa principali obligatione cōfirmanda interponitur. Solent idem confirmare DD. per l. petens. C. de pact. quam tamen pessimè intelligunt: quum eam accipiant de lege stipulationis, hoc est, de pacto subiecto stipulationi cuius rei ibi nulla est mentio. Est enim tota lex de stipulatione placiti, vt Imperator ait, hoc est, nudi pacti seruandi causa interposita, & hæc eius sententia: Pacta stipulationibus siue antecedentibus, siue consequentibus confirmari posse, ita vt actio inde competat. Tertiò obiicitur l. quamuis C. de vsur. vbi traditur, vsuras strictis iudiciis nō deberi: nisi stipulatione sint permissæ. Ergo pactũ hoc loco nihil videtur, quo ad vsuras, posse efficere. Quæ consequentia falsa est. Est enim antecedens verissimum: sed quum stipulatio vsurarum nostro casu accesserit: sitque eadem vis pacti incontinenti adiecti, quo ad exceptionem siue partem rei, quæ ipsius stipulationis consequens est, si ipsa obligatio principalis eiusmodi pacto reformari possit, etiam obligationem vsurarum posse reformari. Quartò dicitur hoc loco, vsuras ex mora deberi. Cui etiam obstat d. l. quamuis. vbi tantùm ex stipulatione debētur. Et hoc est proprium bonæ fidei iudiciorum, vt ex mora vsurę veniant. Sed negandum est antecedens, nec enim simpliciter Iuriscō. ex mora vsuras venire ait: quippe quæ

stipula-

stipulatione fuerūt promissæ: sed docet discrimen inter vsuras pœnæ nomine promissas: quas ait non ex die stipulationis, quæ vtique necessaria est, sed ex die debitæ solutionis, id est, mora currere, eas quæ fœnoris nomine indiguntur, & lucri causa a die stipulationis currere manifestum est. Quintò obiicitur l. cum qui ita. §. qui ita. D. de verb. obli. & §. At si ita. Institut. eod. tit. in quibus locis quamuis tempus stipulationi adiectum videatur: tamē nihilominus confestim agitur: quod tamen negatur in hac lege, in qua dies expectandus est. Sed solutio est facilima: quum in d. locis stipulatio pura sit, eoque pura etiam petitio: hoc loco tempus solutionis causa adiectum est: ergo & tempus expectandū. Minus obstat l. 1. & 2. C. Quando dies leg. ced. vbi dicitur, in principio statim tēporis peti posse. nam id fit, quia tempus creditoris causa adiicitur, nō etiam debitoris, vt hic de qua materia latè Bartol. & Doctores in l. qui hoc. D. de verb. oblig. Sextò, quum Iurisconsult. dicat, pactum stipulationi inesse, & ita ipso iure vsurarum stipulationem esse sublatam: ei directò videtur obstare. l. si vnus. § pactus ne peteret. D. de pactis. vbi negatur, pacto subsequente stipulationem tolli posse. nam quum stipulatio dupli vinculo teneatur, iurisgentium, & ciuilis: pactum autem naturali ęquitate nitatur, certè fieri non posse videtur, vt pacto tollatur stipulatio eoque ad stipulationem tollēdam contraria stipulatione & acceptilatione vti solemus. Sed re vera totum hoc parum obest: nec enim Paulus ait, stipulationem in totum pacto tolli: hoc tantùm affirmat, pacto in continenti adiecto stipulationem formari: nimirum, quia quod statim contrahentes pacto stipulationi adiiciunt vel detrahunt. hoc quasi in ipsam stipulationem deductum videtur: vt de contractibus bonæ fidei similiter proditum est. Ita vt non sine ratione Iurisconsult. vsus videatur his verbis: Stipulationi inesse creduntur: quia nimirum reuera à stipu-

l tione separata sunt: sed tamen, quia in continenti adiiciuntur, creduntur ab ipsis stipulantibus in ipso contractu inserta. Lex ergo contraria ait, pacto stipulationem formari posse: Lex verò, ait, pacto stipulationem formari posse: quæ duo vtique contraria non sunt, sed potiùs diuersa. Lex contraria de pacto loquitur, quod perfectè stipulationi æquè etiam communi... subiicitur omninò contrarium, ait lex nostra de pacto, quæ ipsi stipulationi in continēti adiungitur. SIMILE. Restat, vt casum aliquem similem in iure definitū adferamus, qui eodem iuris principio decisus sit. Et se offert inprimis l si ita 135. D. de verb. obli in qua Scęuola Iuriscon. eiusmodi speciem proponit. Promisi tibi decem, quocunque die petieris, & eorum vsuras in dies triginta, hoc est, in mensem. Quæritur, quando dies vsurarum incipiat? vtrum ex stipulationis die, an verò ex die, qua petita sors fuerit? Scæuola respondet, ex die stipulationis vsuras deberi, non ex die petitionis factæ a creditore. Eadem ratione vtitur, qua Paulus hoc loco. Quum enim hæc stipulatio, Promittis, qua die petiero, pura sit: vtpote quum is dies non sit ad hoc adiectus, vt conditionem faciat, sed tantùm contineat admonitionem: certè consequēs est, etiam vsurarum stipulationem puram esse: quum ea sortis naturam sequatur, vt hic Paulus multis probat. Non ergo moram inspiciemus in d l. si ita quis, id est tempus, quo petierit creditor: sed potiùs diem stipulationis. Nisi tamen (inquit Scæuola) aliud actum manifestò probetur: puta, vt vsuræ hæ debeantur ex die petitionis. nam alias semper præsumuntur eiusdem naturæ, cuius est sors, vtpote principale.

AXIOMATA. Quum ius ciuile vt plurimum circa species facti particulares versetur: nec semper præcepta generalia tradat: sine quibus tamen ius nec doceri, nec exerceri potest: ideo laudandus est mos interpretum: qui, quę specialiter dicuntur a Iurecon. ex iis, sententia

sententia & ratione legis cognita, generalia præcepta extruunt. Qua in re vt cautum esse oportet: ita inueniuntur plurima vitia interpretum. Sed quomodo id [illegible] debeat, nemo regulis comprehendet. Suffecerit autem vna regula, quam infra tradidi: vt nimirum hypothesin, siue illud indiuiduum, de quo Iuriscon agit, referamus ad eius generis proprium: nō etiam ad genus superius proximo: nisi eadem iuris ratio subsit. Quum enim diuersitas naturæ rerum genera diuersa constituat, manifestum est, quicquid de indiuiduo dicitur, hoc non posse dici in vniuersum ita aptè & cōueniēter de genere supremo: sicuti potest dici de proximiore. Colliguntur autem eiusmodi axiomata (Notabilia vulgò vocant) tam ex verbis, quam ex sententia legum. Eius rei exempla affert Gribaldus libr. 1 de ratione studij Iur. c. 8. & 10. Sed ex hac l. Lecta potissimùm hæc quindecim colligi posse videntur. I. Iurisconsulto esse concedendas dignitates Reipubl. administrandæ. c. vlt. Prooem. Inst. II. Iudicem quāuis doctissimum, vti debere opera assessorū siue Iurisperitorum l. 1. D. de offi. assel. III. Quæ abundant in contractibus, vitium non afferre, l. non solent D. de R. I. IV. Pacta in continenti adiecta inesse stipulationi à parte rei, non etiā actoris. l. in bonæ fidei. C. de pact. d. l. iurisgen § quinimò. V. Qualis est stipulatio sortis, talis efficitur vsurarum. l. si ita quis D. de verb. obl. VI. Verbum Cōuenit nudum pactum significat. l. inter debitorē D. de pact. VII. In continenti fieri dicuntur, quæ statim stipulationi factæ adiungūtur, antequam ad aliud negotiū abeatur. l. petens C. de pact. IIX. Pacta in continenti apposita stipulationi inesse ipso iure, ita vt opus exceptione non sit l. 3. D. de rescind. vend. IX. Tempus contractui adiectū pro debitore est: eoque solutio tantùm in fine eius rectè petitur. l. quū tēpus. D. de Reg. iur. X. Vsuræ pœnales currunt ex mora nō ex-[illegible] stipulationis l. cū stipulanti.

90.D.de verb,obl XI. Quoties sors ipsa peti non pōt, nec vsurę pœnales peti possunt. XII. Nō est in mora, à quo peti nequit, siue per exceptionē, siue ipso iure.l.nihil interest.D.de Reg.iur.l.si pupillus.123.D. verb.obl. XIII. Accessoriū sequitur suū principal. XIV. A fructibus ad vsuras rectè argumentamur. XV. Pacto pōt fieri, vt vsuræ ob morā cōmissæ retrò currāt a die stipulationis. Non autē desunt DD. vitia in huius l. etiā, quo ad hanc partem, explicatione cōmissa. verbi gratia: Ex principio, verbo Auditorio collegit Bartolus, locū contractus stipulationi esse interdum: quo nihil est ineptius: quū non dicatur, in auditorio esse contractum, sed potiùs stipulationē fuisse in eo examinatā. Deinde ex eodem verbo alij ineptè docent: posse quem & ius docere in scholis, & fungi ius dicentis officio. Quod sanè ex eo non sequitur: quū non tantū Iurisconsultus sit, qui ius docet, sed & is, qui illud exercet. Et planè futilis est illa disputatio. Si quis enim tāto ingenio est, vt & publicè officio magistratus fungi, & priuatim ius docere possit, iure prohibitus non reperitur: sicuti à Papiniano factū est: qui non pro mercede in publico ius docebat: sed more veterū priuatim dicipulos suos instituebat. Postremò satis errant, dum notant ex eo verbo, Ad exceptionem tantùm prodesset, quum illud negetur: ergo ad actionem id prodesse: quo nihil est ineptius: quū exceptio ibi non opponatur actioni, vt Accursius & ipsi volunt: sed opponatur iuri: videlicet vtrum hoc pactum ipso iure vim suam exerceat, an verò ope exceptionis. d.l.3. D.de rescind.vend. Et hæc ad l.Lecta.

CAP. IX.

DE EXERCITATIONE.

EX his, quæ hactenus dixi, manifestum est, ius primò simpliciter discendum, quod fit ex Institutionibus, quæ ad vnguem ediscendæ sunt: deinde ex generali

nerali Pandect. & Cod. cognitione, quæ cõsistit in cohærentia & summa titulorum, qua de re ex veteribus scripserunt Sebast. Brandus, & Christoph. Hegendorphinus, & quidem alij: sed hodie his omnibus obstruxit lumina Cuiacius suis Paratitlis: quæ si videbũtur obscuriora: sufficiet Vvesembecij Oeconomia. Et ita summaria ista dispositione iuris cognita, poterunt adhiberi latiores Azonis & Vvesẽbecij explicationes in iure ciuili: in iure verò canonico, Hostiensis summa: quamuis nõ videantur etiam inutiles ad eam partem Lanceloti & Cruchij Institutiones. Et ita post generalem iuris cognitionem sequetur exacta ista & specialis, modo iam dicto, singularum legum explicatio: in quo delectus materiæ adhibendus est: ne in rebus inutilibus frustra tempus conteratur. Est autem quæstio inter eruditos, Vtrum Codex vel Pandectæ priùs legi debeant: Et a plerisque Codex præfertur: quod & mihi probatur: non ea ratione, quam ipsi adferunt, quasi sit facilior (nam multò difficilior est, ob nimiam iuris immutationem, & quia nec ipse Cod. sine Pandectis intelligi potest) sed ideo, quia cõtinet materias magis vtiles ac frequentiores: ita vt ad forum properanti multò vtilior Cod. lectio sit: sicut è diuerso Theoriam affectanti Pandectæ vtiliores sunt. Cõfirmatur ergo hæc exacta legum cognitio in materia cõuentionum possessionem, dominiorum, & delictorum, in iisque explicandis methodus adhiberi poterit pro cuiusque captu, quamuis non inutilis videatur, quę vulgo dicitur, Dialectica. Quemadmodum autẽ Cicero inter alia prudentiæ præcepta hæc duo refert: vnum, vt tẽpus adhibeatur & diligentia ad res cognoscendas, nec habeantur pro cognitis, quæ incognita sunt: alterum ne nimium temporis, imò nullum in rebus inutilibus consummatur: ita ea videntur propriè ad ius nostrum eiusque explicationem referenda esse. Ne ergo tempus consumatur in materiis difficilibus

& nullius vsus, sed potiùs contrà impědatur in ea quę dixi, capita. Cùm autem natura parùm potest sine arte: tùm ars sine exercitatione omninò non est. Deligenda igitur statim exercitia sunt iuris studio: cuius finis consistat, primò in legibus rectè cognoscendis: deinde in iis ad vsum transferendis. Ita duobus exercitiis ad eum facilè peruenier. Primum est disputationis, alterum resolutionis. Disputatio certè leges intelligere, discutere, conciliare optimè docet: in qua nihil laudabile perficietur sine cognita Dialectica: quā equidē velim disci ex purioribus & doctioribus: quam ex iis, qui ius ciuile professi eandem artem tradiderunt. Sed Dialectica cognita, eorum libri non erunt spernendi, vt qui eos locos generales ad singulas iuris ciuilis partes accommodant. Scripserūt autem de eo argumento Nicolaus Euerhardus, qui primum locum in iure obtinet, Claud. Cantiuncula, Ioānes Oldendorpius, Ioan. à Reberteria, Franc. Hotomannus & Nic. Vigelius. Quæ autem disputandi præcepta tenenda sint: docet quidem idē Euerhardus in suis præambulis, vt vocat: sed melius percipientur ex Partit. Dialect. Sturmij libro postremo, & libro secundo Rudolphi Agricolæ: & præcipuè ex Aristotelis, vnde reliqui mutuati sunt, libr. 1. Topicorum. Quum autē disputatio vt plurimum in contrariis legibus consistat: quæ incipienti sunt cognitæ: ideò vtile fuerit adhibere glossas: deinde in Institutionibus Ioan. Fabri, & in Pand. & Cod. præter Azonem, Paulum de Cast. Pluribus equidem incipientem interpretibus veteribus onerare nolim: sed ex recētioribus poterit adhibere in quibusdam Alciatum. in pluribus Duarenū: in omnibus Cuiaciū: qui solus ad legum intellectum assequēdum sufficerit. Sed disputandi causa poterūt adiungi Cōtius & Donellus, & Etiam Hotomannus: qui q. ex professo, quæ à Cuiacio docentur, impugnare videntur. Alterum exercitium est Quæstionum resoluēdarum:

rum: quod properat ad alterã finis iuris ſcientiæ partem, Praxim videlicet, quum ſtudioſos aſſuefaciat ad facultatem reſpondendi de iure cuiuſlibet quæſtionis propoſitæ. Sicut autem Iuriſconſultus qui in foro [illegible]latur, vel reſpondet de iure quęſtionis generalis, ſiue Theticæ: vel de quęſtione particulari ſiue hypothetica, quæ certis circumſtantiis nititur: ita oportet ſtudioſos in vtriſque diligenter exerceri: & quum ſemper facilius ſit de generali quæſtione ſententiam ferre, eius exercitatio præcedat. Puta, vt ſi interrogem, an frater querelam inofficioſi teſtamenti contra fratris teſtamẽtum poſſit intendere: & hoc exercitio aliquãdiu adhibito, ad particulares quęſtiones veniat. Puta Titius inſtituit hæredem Mæuiũ, qui publica fama adulterij reus habetur, fratre ſuo conſanguineo præterito: an hic frater poſſit querelàm inofficioſi intendere? In qua quæſtione non tantũ quæritur, an frater querelã inofficioſi habeat: ſed etiã explicãdi neceſſe erit: an frater conſanguineus, id eſt, a patre tantũ? item an contra infamem de facto? & præterea, an infamis ſit, qui vulgò traducitur? Quæ omnes quæſtiones in hac vnã corruunt: cuius tamen principalis eſt ea, quã propoſui. Hoc in exercitio primùm illud teneatur generale: quæſtione reſoluta in ſubiectũ & prędicatũ, facilè & ſedẽ, vbi ea tractatur, & argumenta in vtranque partem ſubminiſtrari. Eſt ergo primũ, ad titulum iuris congruentẽ referre quæſtionem propoſitã. Alterum verò eſt, quoties ſpecialis cum circũſtantiis propoſita eſt quæſtio: ea ad genus ſuum, remotis circumſtantiis & propriis nominibus debet reuocari: & quandoque in plures quæſtiones diuidi, quarũ quælibet ſuo titulo eſt inquirenda, vt in propoſito primũ quæritur, An ſcilicet de fratris teſtamento frater quæri poſſit: quæ materia eſt tituli De inoffic. teſta. Deinde an publica fama infamem reddat, quę eſt materia tit. De his qui not. infa. eodemq; modo de reliquis. Eſt autem vtile

in hoc exerciti genere sequi modum veterum Iuriscõsultorum, sicuti in l. lecta vidimus: vbi Iuriscõsul. primò speciem facti proponit: deinde quæstionem explicitatum ad eam respondet, postremò contraria argumenta refutat. Quæ eadem est ratio nostrorum DD. præterquã quòd ipsi cõtraria duobus locis ponũt: & ea statim quæstioni subiiciũt: & deinde rationib⁹ decidendi allatis vltimo loco refutant. Hoc genus exercitij adeò vtile quandoque practico futuro existimo: vt eo sole ausim affirmare posse perfici Iurisconsultũ. nam & legum interpretationes sæpius in dubiũ sunt reuocandæ: & opiniones Doct. discutiendæ, & arguttè ad omnes inductiones legum respondẽdum. Quæ res facit, vt is, qui anno vnico in hoc genere se diligenter exercuerit, etiam præferendus videatur ei, qui quinquennio ius professus sit, non adhibito exercitio, quo ad facta principia iuris accommodarentur. Exemplo sit Carolus Molinæus: qui hoc vnico genere videtur reliquos omnes antecellere: dum propositis iuris principiis infinitas & difficilimas quæstiones faciliter decidit, præsertim in libris de contractibus.

Cap. X.

DE PRAXI IVRIS, ET PRIMO de Aduocatis.

HActenus de primo fine Iurisprudentiæ assequẽdo dictum est: dumodo hoc meminerimus, in eo excolendo semper ita procedendũ: quò omnia eius gratia suscepta in secundo hoc fine nobis fructus vberiores reddant. Quod fiet, si vltra ea, quæ dixi, in euoluẽdis, dispu:ãdi & resoluẽdi causa, scriptis DD. & Glossarum, diligenter sedes (vt vocant) materiarum memoriæ mandabimus. Quare nulla Praxin sectãtibus potest esse, aut fructuosior, aut honoratior. Iam ergo

iuris

iuris studiosus audiendo, disputando, resoluẽdo exercitatus, nihil aliud, quam forum aut causas spectabit: in quo triplex Iurisconsulti officium occurrit. Primum Aduocati: Secundum Respondentis, siue, vt alii vocant, Consulentis: Tertium iudicis. Aduocati munus est, causas litigãtium iure ac legibus tueri, siue agendo, siue defendendo. Nec ergo poterit vllam iniustam causam suscipere: nec malitia aut fraudibus (Cautelas vulgò vocant) patrocinia iniustorum persequi. Quod tamen Doctores licitum existimãt, quotiescunque iusta causa clientis est. Nam iustitiam etiam fraudibus & malitia tuendam existimant: de quo Minsinger. Cent. 3. Obseru 16. Poterit ergo qui volet in iustis causis defendendis vti iis cautelis, generatim collectis a Barthol. Capolla, & in materia testamentaria a Ioan. Dilecto in libr. de præcept. testator. Ad hunc finem aduocati Speculator in tit. de aduoca. §. vlti. quatuor requirit: nimirum: vt sit cautus in agendo, prudens in consulendo, fidelis in patrocinando, & iustus in iudicando. Quæ etiam legibus nostris comprobantur: quum ob eas ipsas virtutes summæ dignitates & priuilegia aduocatis tribuantur: vtpote qui non minùs prouidere humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque saluarent, dicuntur. Est autem officium Aduocati duplex: aut cõmune vtriusque tam actoris, quàm rei: aut speciale alterutrius. Commune officium consistit in his: primò in cognitione causę clientis: deinde in inquisitione probationum. Quum enim clientes sæpius cupiditate aliqua moti, falsa pro veris asseuerent: iis non facilè credendum est: sed oppositis omnibus, quęcunque aduersarij causam iuuare posse videntur, veritas exquirenda: vt apud Ciceronem Antonius admonet. Et quum ea, quę probari non possunt, in iudiciis non attendant, habeanturq; perinde ac si gesta non essent: quumque iudex non conscientiam, sed probata se-

quatur. Ideo cautus sit aduocatus in exquirendis probationibus: an testibus, an instrumentis, an confessionibus, similibusque causa instrui possit. Qua de re videat ipse DD. in Rubri. C de probat. & D. & excep. & in titu de testib. de fide instrum. & in l. admonendi, ff iureiurand. & Lanfrancum in c. quoniam. de prob.
3. Tertiò officium Aduocati est, vt facto eiusque probatione cognitis incipiat de iure cogitare, deque fundamentis, quibus velit causam clientis defendere. Euoluenda ergo DD. scripta: & existimant ex interpretibus iuris ciuilis Aduocato posse sufficere Bartolum, Baldum, Alexandrum, Iasonem, Castrensem, Immolam: quos etiam studioso legendos commendat Gribaldus cap. 4 lib. 12. Quod tamen mihi non probatur: sed adiungendi erunt Aduocato ob communes opiniones, & præsentem vsum Decius, Socinus, Alciatus, Zasius, Ruinus, & Sichardus in Cod. Nec spernendi recentiores in tractatus: in quibus facilimè licet inuenire plerasque quæstiones disputatas: puta, Tiraquelli, Molinæi, Vasquij, Rebuffi, itemque Consuetudinũ interpretes, vt Cassanæus, Boetius, & idem Molinæus, & Matth. de Afflictis Sedes, quibus nec tempus, nec studium nimium in Iurisprudentiam conferre licet, multum proderit methodus Conradi Lagi, & Repertoria Berthachini, & similes: quibus si adiuuari non poterunt, oportet vt Herculem inuocent. Quandoquidem in his scriptis contrariæ sententiæ occurrant: Aduocati officium est, intueri communem opinioné. Nam pro his semper est præsumptio: quòd iudicem motura videantur, secundũ Eueràrd. in loco de Auctoritate. Ad quam rem habeat Tomos communium Opinionum nuper editos: in quibus sine dubio Iul. Clari opera excellunt. Deinde oportet, vt sciat cõsuetudines, iura municipalia, & Cõstitutiones cuiusque Principis: nam hæc iuri communi derogant. Præterea & decisiones supremorum iudiciorum, quæ cum maturo

turo consilio videatur pronunciatæ: multum ponderis apud omnes iudices obtinent. Cuiusmodi sunt decisiones Neapolitanæ. Thomæ Grammei, & Guidonis Papæ, & Boeri, & Ioann. Galli. & Oschatij decisiones Pedemontanæ, & obseruationes Minsingeri, & nouissime And. Caylij. Quintò notet nouus Aduocatus, ne a veteri in processu decipiatur. Ediscat ergo Processum, primùm ex libello ascripto Alciato: deinde ex Marantha, ex Speculatore, ex Lanfranco in d. c. quoniam, & generaliter ex DD. in lib. 2. Decretal. In causis verò criminalibus tenenda est ordinatio criminalis Caroli V. Ang. de maleficiis, Hippoly. in titul. de Quæst. & Practica Criminalis Iodoci Damhouderij, & Iul. Clari lib. 5. Sent. Sunt etiã notandæ ordinationes peculiares cuiusq; iudicij: vt Cameræ Imperialis, & fere omniũ Ducatuu Germaniæ, quorũ quilibet peculiari processu vtũtur. In Saxonia sufficiet Processus Termnei, Roschadij, Chiliani Golsteteri, & Cõstitutionũ Electoraliũ pars prima. Sextò notandæ sunt formulæ cuiusq; iudicij omniũ actuũ iudicialiũ, & præsertim actionũ & exceptionũ. Nã in his non licet stylũ curiæ mutare, sec. Euerhard in loco a stylo curię. Et qdẽ Camerę formulę reperiuntur in processu edito a Noha Meurero. Iuris verò Saxonici formulas tradidit Schneidauinus pcipuè in Insti. Tit. de Act. Edidit quoque omnium formarũ iudicialiũ Germanica exẽpla Io. Thom. Freigius in sua Praxi Germanica: & inter veteres vtilissimus liber extat Io Ferra q ferè oẽs formulas tradidit: easq; cũ suis clausulis diligenter enodauit. Et hæc de cõi vtriusq; officio. Propriũ autẽ officiũ Aduocati Actoris est, ex causa cognita genus actionis inquirere, eiusq; requisita diligẽter examinare: vt in quib⁹ tota vis actionis cõsistit. Ad quã rẽ vtetur his scriptoribus, Rofredo de Libellis, Oldendorpij Class. lib. Actionum, Menochij libris possessoriis, Iasonis cõmẽtariis in tit. de Act. Zasij & Schneideuuini, Ioan. Fab. in interdictis. Profitetur etiã modum inuestigãdæ actionis N. Vigeli⁹,

in parte prima suæ Praxeos. Rei verò Aduocati officiũ est contra in indagandis exceptionibus: quæ quidẽ vt plurimũ se ipsas offerunt, cognita actione proposita, eiusque requisitis. Nã vnũ requisitũ deficiens optim exceptionẽ probat. Sed quia varia sunt exceptionum genera: ideo videãtur Oldrad. in libel. de Excep. Ange. in tit. Inst. de excep. Canonistæ extra eo. & N. Vigel. in lib. de excep. & parte Dial. secũda, & in vniuersa sua methodo: qui liber licet ad ius discendũ non multum conferre videatur: tamen Aduocato, præsertim ei, qui in iure aliquãdiu iã versatus, leges ipsemet intelligit, ad inueniendas exceptiones plurimum proderit.

CAP. XI.

De respondendo siue consulendo.

SEcundũ officiũ Iuriscõsulti in respondẽdo cõsistit: in eoq; plus operis & diligẽtię reqritur, q̃ in aduocando: quũ non tm̃ sufficiat fundamẽta alterutrius litigatoris scire, sed vtriusq;: eaq; deinde diiudicare: vt quũ aduocatus tãtũ vni litigatori inseruiat, rñdẽs siue cõsulens eiusq; causam nõsse debeat. Petũtur autẽ cõsilia, vt vocãt, vel ante litẽ susceptã, vel causa pẽdente. Ante litẽ susceptã peti solent: vt quis scire possit, quã spẽ causę obtinẽdę habeat, & vt aduocati instructi rectè initiũ litis & causæ faciant. Hoc casu officiũ cõsulẽtis cõsistit in exqrẽdo facto, in exqrẽdis pbationib. &, si hę desint, nec offerãtur a parte: in cõsiliãdo, quatenus causa pbari possit. Post litẽ verò susceptã cõsilia petũtur ad argumẽta inopinatò ab aduersario prolata diluẽda, vel trãsactionis causa, & vt plurimũ ad imperitiã aduocatorũ subleuandã. In vtroq; idẽ procedẽdi modus a DD. obseruatur cõiter: vt nimiru species facti diligẽter exploretur, & cõscribatur: in quo cõsistit fundamentũ totius rñsi: adeò vt affirmare nõ dubitẽ, eũ q rectè sciat speciẽ facti concipere, etiã scire ad eãdem respondere. Consistit autem artificium in recensendis omnibus iis circumstantiis: quæ iure aliquem

effectum habere possunt, vt iis ius mutetur, vel distinguatur, omittendisque iis, quæ necessaria non sunt.

I Quò fit, vt qui hodie respondent, semper exigant species facti a clientibus scripto comprehensas: & si quid obscurum occurrit, eius declarationẽ plenioré vel requirunt: vel si haberi non potest, in ipsa responsione quasi conditionaliter exprimunt. II. Deinde proponunt rationes dubitandi, & omnia argumenta, quæ contra afferri possunt. III. Tertiò rationes decidendi. IV. Quartò refutationem rationum dubitandi. V. Postremò conclusionem. Quę ratio etsi a veteribus abhorreat, & multa habeat superflua, eoq; in Gallia non vsurpetur: tamen ob imperitiam aduocatorum, quibus consilia conscribuntur, non est improbãda. Eo enim modo meliùs aduersarij allegationes & intelligere, & refutare possunt. Probantur autẽ mihi præ reliquis Cõsiliorum scriptoribus ob breuitatẽ ex veteribus, Romanus & Ancharanus: & ob disputationes ac communes opiniones Alexãder & Decius: & multum adiumenti attulit Alexandri consiliis, suis doctissimis Annotationibus, Carolus Molinęus. Solent etiã cõmendari Cornei & Castrensis cõsilia, & Angeli: nec omninò debent reiici vetustissimi IC. Oldradi responsa. Ex recentioribus multorũ iudicio, nec, vt videtur, immeritò, primus fere locus debetur Augustino Beroo, ob multitudinẽ & varietatẽ quęstionũ decisarũ: deinde Aimoni Crauetę, Carolo Ruino, Carolo Molinæo, Zasio, & ob multitudinẽ allegationũ M. Vvlembecio: & ob perspicuitaté orationis, vimq; argumentorum Ioach. Minsingero. videntur etiam vtilia Nic. Euerhardi consilia: in quibus multiplicè & difficiliores quandoque quęstiones occurrunt.

Cap. XII.

De Ivdicando.

Postremum ac præcipuum Iurisconsulti munus in iudicando cõsistit: hodie referre siue votare votãt.

In hoc adhuc exactiùs iudicium, quàm in respõdendo requiritur: eoque funguntur vltra iudices ordinarios, eorumque assessores hodie in Germania, Facultates (vt vocant) Iurisconsultorum in Academiis, & in Saxonia Scabini. Horum iudicium exigitur vel in generalibus quæstionibus: vt in causa certa est ius incertũ: tantum de iure quæritur: Puta, an vxor marito succedat? Et harum responsio est facilima, quum nulli Iuriscõsulto quæstio iuris difficilis videri debeat, vel de specialibus quęstionibus, quę vel speciatim casu proposito exquiruntur: quæ res & ipsa difficultatem non habet. Nec alio modo erit procedendum, ac respondentes procedere solent: vel integro processu exhibito, quo maximè difficile reputatur: sed ea in re, si modo & ratione suscipitur, difficultates superari possunt. Et scripsit quidem de triplici ratione referendi Vigelius in d. sua Praxi, part. 3. sed nullã satis vtiliter ac perspicuè aperuit. Mihi nulla videtur posse inueniri vtilior: quam qua Cameræ assessores vti consueuerunt. Cuius modus hic est. Primò ex vniuerso processus diligenter relecto species facti est concipiẽda. Secundò inquirendum est, an non aliqua nullitas in processu sit: siue hoc contigerit in prima instantia, siue etiam in eius fine, dum forma appellationis non fuit adhibita: quæ doctrina cognoscenda est ex Sebast. Vãtij aureo libro de Nullitatibus. Tertiò, si nulla appareat nullitas, & legitimè hucusque processum sit: restat vt genus actionis inquiras, & ex actis diligenter examines, quæ fuerit petitio ipsius actoris, quæ actio proposita. Quartò oportet inquirere, an ea sit probata. nã si probata non fuit, vel reus erit absoluendus, vel interlocutoriè ad supplementum probationum procedendum. Quintò si actio probata est, oportet inquirere omnes exceptiones rei, & quidem examinare, an eæ sint releuantes ad hoc, vt etiam non obstãte probatione actionis nihilominus res absolui earum auxilio possit. Quo cognito, sequitur vt & ipsarũ probationes inspicia-

inſpiciantur, quatenus à reo probatæ ſint. Et his ita obſeruatis, ſequitur poſtremo loco, quid in ipſa cauſa ſit concludendum. Exempla huius rei petantur ex cō ſiliis Minſingeri: qui aliquot (vt vocant) vota integra optimo ordine conſcripta in ea retulit.

DE IVRIS CIVILIS DIFFICVLTATE, AC docendi Methodo,

ORATIO IN ANTIQVISSIMA & celeberrima Heidelbergenſi Academia à IVLIO PACIO *I.C.* auct. damnato *habita, a. d. III. Kalend. Septemb. 1585.*

IN more poſitū eſt (Ampliſſimi, Clariſſimi & Excellentiſſimi viri, Nobiliſſimi, & Ornatiſſimi Iuuenes) vt qui initium prælectionū ſuarum faciunt, aliqua præfari ſoleāt vel de laudibus Academiæ in qua verſantur, vel ſcientiæ quam profitentur, vel de alio argumento quod ſibi quiſque pro libito propoſuit, quò magis in poſterū attentos & ad diſcendum paratos habeat auditores. Quod cùm mihi quoque in præſentia faciendum exiſtimem, qui etſi multos annos in iure docendo conſumpſi, tamen nunc primùm in hoc Heidelbergenſi

Gymnasio profiteri incipio: illa deliberatio succedit, quod nam argumẽtum sit huic tempori & loco aptissimum, necnon meæ professioni accommodatissimũ. De laudibúsne huius florentissimæ celeberrimæque Academiæ verba faciam? an potiùs Illustrissimorum & Potentissimorum Principum, quorum protectione & fauore hanc ipsam Academiam omnes beatã meritò prædicant? an iuris ciuilis quod expositurus sum? Sed hæc

Omnia iam vulgata---

vt Poëtæ verbis vtar. Quis virtutes maximi nostri Principis, ac res præclarè & heroicè ab eo tam belli quam pacis tempore gestas ignorat? has admirantur nunc omnes, venerabuntur posteri, immortalitati cõsecrabunt historici. Me verò, qui nullis verbis earum dignitatem assequi possum, satius est nihil quàm pauca inornatè dicere. Iis vestigiis iunior Princeps insistens, dignum se Illustrissimis suis Maioribus præbet, ac Deo iuuante præbebit, viam affectans Olympo. Cui præterea non est notum, cùm in Germania, quæ est S.R. Imperij sedes, omnes disciplinæ, præsertim ius ciuile floreat, & in multis nobilissimis Academiis doceatur, hanc esse Academiam omnium vetustissimã, quæ semper doctissimos & excellentissimos professores aluit, illustresq; ac nobilissimos studiosos fouit? Quid verbis opus est? nonne qui nunc profitentur, & qui dant eis operam, sunt huius rei locupletissimi testes omni exceptione maiores? quorum vel præsentia me valde recreat & dat animum ad dicendum. Cur vos, nobilissimi atque ornatissimi Iuuenes huc confluxistis, nisi quia huius Academiæ fama & splẽdor vos allexit? Quamobrem non est, cur de his prolixiùs apud vos verba faciam. Eadẽ ratione moueor, ne agam de iuris dignitate & præstantia, quam omnibus ex eo satis notam esse opinor, quòd nulla vnquam gẽs eo carere voluit nisi planè immanis & barbara: propterea

quòd

quòd Aristotele auctore, secundum leges iudicari debet, ac iudicia legitima nihil aliud sunt quàm cõstitutio τῆς πολιτείας, extra quam homo, qui natura est πολιτικὸν ζῶον, rectè viuere nequit. Itaque si de his orationem habeam, actum agere & facem soli apponere videbor. Multi autem fortasse putabunt me nũc de mea vocatione verba facere, & tã Illustrissimo Principi quam Magnifico Rectori & excellentissimis Professoribus qui me benignè accersere, & ad honestam professionem inuitare dignati sunt, gratias agere: simulque studiosis meam operam & officia offerre debere. Ego verò & illis animum gratum, & his amicum atque beneuolum malo re ipsa præstare quam verbis polliceri: quod quidem eos quoque pro suo candore probaturos confido. hoc tantùm breuiter dicam, vos, studiosi Auditores, meam diligentiam, fidem, beneuolentiam nunquam desideraturos. nam vestra causa tam publicè quàm priuatim, cùm prælegendo, tum differendo ita laborabo, vt si labores vestros cũ mea industria coniunxeritis, sperandum sit, Deo fauente fore vt aliquando legitimo opere perfecto Reipublic. operam egregiè nauare possitis. Vt igitur hæc silentio præteream, & vt aliquid noui afferre possim, (noui, inquam, studiosæ iuuentuti, nõ viris doctissimis quos præter expectationem meam video hic beneuolè adesse, quo nomine eis habeo atque habiturus sum immortales gratias,) rationes inquirere decreui, &, si Deus dabit, patefacere, cur ius ciuile adeo difficile habeatur & reuera sit. vt plerosque a sui studio deterreat, cùm non in rebus arduis, abstrusis, a sensu nostro remotis, vt multæ aliæ disciplinæ, sed in actionibus humanis versetur. Quapropter aut homines quod agũt, non intelligere: aut si actiones suas notas habent, ius quoque, quod de eis pertractat, facilè nosse debere videntur. Accedit M. Tullij auctoritas, qui in oratione pro Muræna facillimam esse iuris cognitioné, magis

ad eam quam tum tractabat causam accommodatè quàm verè pronunciat his verbis: *Difficilis res ideo non putatur, quòd perpaucis & minime obscuris literis continetur, itaque si mihi homini vehementer occupato stomachum moueritis, triduo me Iurisco͂sultum esse profitebor.* Videamus igitur, cur iam omnium scie͂tiarum difficillima & obscurissima sit iurisprudentia: vt deinde, quibus rationibus ei lumen afferre possimus, & quomodo explicari debeat, faciliùs inueniamus. Morbi enim causa reperta, facile est remedium adhibere.

Omnis difficultas (meo iudicio) partim in rebus quæ legibus subiiciuntur, id est, de quibus leges conduntur, partim in ipsis legibus, partim deniq; in Doctoribus & interpretibus, qui eas enarra͂t, haud dubiè consistit. In rebus tria sunt quæ difficultatem faciunt, rerum nouarum inuentio, rerum mutatio, & circumstantiæ. Ob reru͂ inuentione͂ fit, vt non omnes species legibus comprehendi possint, sed multæ necessariò prætermitta͂tur, vt Iurisconsulti docent sub titu. D. de legibus præsertim Iulianus in l. non possunt. 12. & sequentib. Exempli gratia, de machinis bellicis non ita pridem repertis & de iis quæ ad typographiam pertinent, Iustinianus aut veteres Romani nullas leges ferre potuerunt, cùm temporibus illis hæc no͂dum essent inuenta. De iis igitur maximè ambigi solet, & quæri quonam modo decidi debeant. Rerum autem mutatio incertam reddit legum sententiam & interpretationem, vt puta quia numorum mutatio sæpius facta est, meritò dubitare possis, quod in Pandectis de aureis dicitur, veluti ex edicto prætoris eum qui album prætoris corruperit, quingentos aureos dependere. l. 7. D. de iurisdiction. & eum qui parentem patronumue in ius sine permissu prętoris vocauerit, in quinquaginta aureos teneri. l. penultima & vltima. D. de in ius vocan. de iis ne aureis accipi debeat, quibus Romani eorum edictorum tempore vtebantur, an de

iis qui

iis qui Iustiniani ętate in vsu erāt, qui quidem erāt sescuplo leuiores, cùm ex illis, octo & quadraginta, ex his, septuaginta duo conficerent libram. an de nostratibus aureis, qui sunt adhuc leuiores, vt Budæus libro de Asse, & alij docent. Denique circumstātiarum varietas efficit vt lex quę in genere lata iustitia & æquitatem præ se ferebat, quibusdam casibus iniusta & iniqua reperiatur. Quid iustius quam depositum reddi ei qui deposuit repetenti? quid tamen si quis gladiū deposuerit, mox furore agitatus eum repetat? quid si is qui deposuit, bonis postea publicatis in exiliū missus fuerit? quid si fur aut latro vel apud aliū, vel apud ipsum dominum rem deposuerit? quæ posteriores species tractantur a Tryphonino in l. bona fides. 31. D. deposi. Hinc oritur quæstio, quam Rhetores vocant ex scripto & sententia: quam auctor ad Herennium lib. 1. declarat adhibito elegāti exemplo cùm ait, *Ex scripto & sententia nascitur cōtrouersia, cùm videtur scriptoris voluntas cum scripto ipso dissentire, hoc modo: Sit lex quæ iubeat, eos qui propter tempestatem nauem reliquerint, omnia perdere: eorum nauim cæteraque esse, si nauis conseruata sit, qui remāserint in naui magnitudine tempestatis omnes perterriti nauim reliquerunt, & in scapham conscenderunt, præter vnum ægrotum. is propter morbum exire & fugere non potuit. casu & fortuitu nauis in portum incolumis delata est, illam ægrotus possidet. nauim petit ille cuius fuerat. Hæc constitutio legitima est ex scripto & sententia.* Ex propositis exemplis apparet, quanta sit vis circumstantiarum, cùm lex generaliter iusta, specialiter autem iniusta videatur. Porrò inesse hoc vitium & culpam non in lege, nec in legislatore, sed in ipsis rebus. Aristoteles pulchrè docet 5. Ethicho. Nicomachio, cap. penultimo. his verbis, à quibus recitandis propter eorum elegantiam abstinere nō possum:

ὁ μὲν νόμος (inquit) καθόλου πᾶς, περὶ ἐνίων δ᾽ οὐχ οἷόν τε ὀρθῶς εἰπεῖν καθόλου. ἐν οἷς οὖν ἀνάγκη μὲν εἰπεῖν καθόλου, μὴ οἷόν τε δὲ ὀρθῶς, τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλέον λαμβάνει ὁ νόμος, οὐκ ἀγνοῶν τὸ ἁμαρτανόμενον. καὶ ἔστιν οὐδὲν ἧττον ὀρθῶς· τὸ γὰρ ἁμάρτημα οὐκ ἐν τῷ νόμῳ, οὐδ᾽ ἐν τῷ νομοθέτῃ, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει τοῦ πράγματός ἐστιν· εὐθὺς γὰρ ἡ τῶν πρακτῶν ὕλη τοιαύτη ἐστίν.

Hæ igitur difficultatis causæ in rebus consistunt.

In legibus autem nostris plures insunt: quæ tamen mihi videtur ad duo capita reduci posse ac debere. Cũ enim leges Romanæ quibus vtimur, à veteribus Romanis maxima ex parte conditæ, promulgatæ, & conscriptæ: a Triboniano autem aliisque Impe. Iustiniani iussu compositæ & in certos libros redactæ fuerint: ad prius caput eas difficultates refero, quarum causa veteribus auctoribus & legumlatoribus tribui debet: ad posterius eas, quas Tribonianus & cæteri compositores nobis pepererunt. Veteres in legibus condendis aut explicandis vsi sunt mira breuitate, subtilitate, elegantia, sæpè etiam crypsi: quibus rebus multi hoc tempore in praxi & foro versantes, adeo turbãtur & offenduntur, vt omissis legum fontibus, ad riuulos, id est, ad summulas à Bartolo & aliis conscriptas confugiant. Compositores autem, quorum opera Iustinianus vsus est, multis modis difficile & obscurum effecerunt. Primùm leges sine vllo ordine congesserunt potiùs quam digesserunt. quamuis enim titulorum sit aliqua cõnexio & ordinis qualis qualis ratio, tamen in capitibus sub quoq; titulo collocandis nullum ab eis seruatum ordinem fuisse, manifestum est. Deinde contrarias leges & contraria auctorum responsa contra expressum Iustiniani mandatum, in libris quibus nunc vtimur, per imprudentiam inferuerunt.

runt. Præterea responsa & constitutiones mutilatas ediderunt, vt sæpe diuinandū sit, quid legislator significare voluerit: cum interpretatio peti deberet ex præcedentibus vel sequentibus verbis: quę aut non extat, aut in alium locum a compositoribus reiecta fuerit. Quam vtilis autem & necessaria sit præcedentium & sequentiu verborum collatio cum iis quæ explicātur, ex eo licet intelligere, quod ait Celsus in l. inciuile. 24 D. de legib. *Inciuile esse, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere.* necnon ex eo quòd post editas ex Pandectis Florentinis inscriptiones legum Pandectarum, per quas inscriptiones licet capita coniungere a Triboniano seiuncta, iā multa facilè ac feliciter enarrantur, quorum veram sententiam veteres interpretes ea conferendi leges commoditate destituti assequi non potuerunt. Vnde rectè M. Cicero lib. 2. de Inuētione monet, cùm scriptum ambiguum proponitur, *ex superiore & inferiore scriptura docendū, id quod quæritur fieri perspicuum.* Postremò compositores verba veterum auctorum Iustiniano permittente l. 1. §. sed in hoc studium. C. de vete. iur. enucle. sæpè immutarunt reformaruntque, vt interdū Iurisconsulti sibi constare non videantur, vt in hac specie, Do tibi Stichum vt Pamphilum manumittas, manumisisti Stichum, deinde euictus tibi fuit Pamphilus, Iulianus dedit actionem in factum prætoriam, quasi omnis actio ciuilis deficeret, si credimus Vlpiano in l. iurisgentium. 7. §. sed etsi in alium. D. de pact. idem tamen Iulianus dicitur dedisse actionem ciuilem. l. 5. § at cùm do. D. de pręscrip. verb. vbi Paulus ait (si tamen sunt verba Pauli) in proposita specie Iulianum sic distinxisse, vt si dolus subsit, competat actio de dolo: si dolus absit, detur actio in factum ciuilis. Quæ distinctio neque cōuenit iis quæ traduntur ab Vlpiano in d. l. iurisgentium. §. at cùm do. neque naturæ & ordini actionū. etenim si cessante

dolo datur actio ciuilis, eadem dolo interueniẽte locum habet, non actio de dolo quæ est subsidiaria, & ita demum datur, si aliæ actiones ex iure scripto descendentes cessant. l. 1. §. 1. & passim. D. de dolo. Quare nemini dubium esse debet, quin Iulianus de actione in factum prætoria decretali, extremo scilicet subsidio, locutus sit. Tribonianus autem verbum Civilem affinxerit, propterea quòd Iuliani sententia de actione decretali reprobata esset. d. §. sed etsi in aliũ.

Vltimam legum difficultatis causam Doctoribus adscripsi: qui cùm ius ciuile illustrare debuerint, tenebras offuderunt. non solùm quia multitudine quæstionum, quas in singulis speciebus tractarunt, nec ad generalia capita reuocarunt, ius infinitum effecerunt contra Iustiniani voluntatem, qui gloriatur se finem optimum scientiæ legitimæ imposuisse. §. sed quia. in proœ. Digest. & ne ita ius in immẽsum excresceret, lege lata cauit ne vlli commentarij in ius ciuile ederentur. l. 1. §. nostram. & l. 2 §. hoc autẽ. C. de vet. iur. enucl. sed etiam quia nullam ordinis & methodi rationem habuerunt, sed quæuis quouis loco tractarũt, vt quæstiones de testamentis sub titulis de contractibus, & contra de contractibus sub titulis de testametis & vltimis voluntatibus quo nihil potest esse incõcinnius, nihil properantibus incommodius, nihil pragmaticis laboriosius, qui hac de causa doctorum decisiones & sententias, cùm opus habent, vix possunt in tanto librorum sine ordine scriptorum cumulo inuenire.

Exposui causas difficultatis iuris ciuilis: quas frustra intelligetis, nisi id quoque explicetur, quo modo quaq; ratione eas superare & ad solidam iuris cognitionem peruenire possimus. Quæ res quoniam maximi est momẽti, nihil temere affirmabo: sed quid mihi videatur faciundum, & qua ratione ipse hactenus vsus sim, & adhuc vtar, modestè ac saluo aliorum iudicio proponam. Dixi ex rebus & materia legibus subiecta

iecta oriri tria incommoda: vnum, quòd non omnes species legibus comprehendi possunt: alterum, quod propter rerum mutationem incerta est legum interpretatio: tertium, quòd lex quæ generaliter iusta videtur, quibusdam specialibus casibus iniusta propter aliquam circumstantiam apparet. Primo incommodo ita occurrendum censeo, vt diligenter rationes legum inquirantur. sunt enim, qui historica legum cognitione & auctoritate contenti, rationes negligunt, & abuti nos otio putant dum rationes legum inuestigamus, quos ego homines haudquaquam præclaro Iurisconsultorũ nomine dignos puto: cùm quia scire, vt ait Philosophus, est causam cognoscere, & rectè Poeta,

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas:

tum etiam quia non possunt species infinitas à legum latoribus omissas determinare: de quibus non aliter responderi potest, quàm ad eas producendo leges scriptas propter vim rationis quæ eadem in huiuscemodi casibus reperitur. quod quidem facere iubemur. l. nõ possunt. 12. & seq. D. de legib. Et hoc modo Caius edictum prætoris de furto à familia facto producit ad dãnum a familia datum. l. illud. 32. D. ad l. Aquil. & Vlpianus consuetudinẽ de pecunia per debitorem iussu creditoris ei qui mutuabatur, numeratam, producit ad pecuniam quam qui ex causa mandati debebat, volũtate creditoris retinuit hoc pacto, vt ex mutui causa debeatur. l. singularia. 15. D. de reb. cred. & Cicero in Topicis legẽ de vsucapione fundi, producit ad vsucapionem ædium his verbis: *Quod in re pari valet, valeat in hac quæ par est, vt quoniam vsus auctoritas fundi, biennium est, sit etiam ædium. at in l. ædes non appellantur, & sunt cæterarum omnium quarum annuus est vsus, valeat æquitas, quæ paribus in causis paria iura desiderat.*

Hac ratione seruata puto nos eam quoque difficul-

tatē ſuperaturos, quam rerum mutatio patit. Exempli gratia, mutata religione, hoc eſt, ſublata veterum ſuperſtitione, & recepta Chriſtiana pietate, neceſſe fuit ſacerdotes quoq; mutari. an igitur in noſtris ſacerdotibus obtinebunt, quæ de veteribus ſancita ſunt? vtique, ſi eadem ſit ratio, veluti ne in ius vocentur, dum ſacra faciunt. l. 2. D. de in ius vocand. At leges illæ, *Sacerdotes vinctavirgetaque & ſalutem populi augurãto, cœliq; fulgura regionibus ratis temperãto*, quę ſunt apud Ciceronem lib. 2 de legib. noſtris ſacerdotibus & noſtræ religioni non conueniunt: proinde à nobis ſeruari non debent.

Tertium incommodum ita vitare poterimus, ſi & exceptiones à legũlatoribus vel à Doctoribus traditas diligẽter notabimus, & ab aliis omiſſas, ex bono & æquo adiungemus, Inepta enim eſſet reſponſio ex regula generali, quæ in caſu propoſito pateretur exceptionem: quoniam *regula* (vt ait Paulus in l. 1. D. de regul. iur. *ſimul cùm in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.* Quapropter ex iure ſpeciali reſpõdere oportet, quemadmodum docemur peruulgata illa iuris regula, *Generi per ſpeciem derogatur*: quam Papinianus tradit in l. in toto iure. 80. D de regu. iur. & Paulus in L ſeruis vrbanis. 99. §. vlt. de lega. iij. Quocirca rectè auctor ad Herennium, lib. 2. ait, *illam defenſionem tenuẽ eſſe, cùm oſtenditur id factum eſſe, quod ea lex ſanciat, cui legi obrogatum, vel derogatum ſit.* Et M. T. lib. 2. de Inuentione, cùm ex contrariis legibus controuerſia naſcitur, videndum eſſe ait, *vtra lex de genere omni, vtra de parte quadam: vtra communiter in plures, vtra in aliquam certam rem ſcripta videatur. nã quæ in partem aliquam, & quæ in certã quandam rem ſcripta eſt, propiùs ad cauſam accedere videtur, & ad iudiciũ magis pertinere.* Porrò quia ſunt exceptiones ex bono & ęquo adhibendæ, ſemper æquitatem ob oculos habere debemus, quo nomine Cicero C. Aquilium in oratione

tione pro Cæcinna meritò laudat, quòd iuris ciuilis rationem ab æquitate nunquã seiunxerit. quod etiam sæpe fecisse Claudium Imperatorem Suetonius Tranquillus testatur in eius vita, cap. 14. his verbis: *Nec semper præscripta legum secutus, duritiam lenitatemque multarum ex bono & æquo, perinde vt afficeretur, moderatus est.* Constantinus autem etiam lege lata sanxit, vt id ab omnibus iudicibus, & in omnibus causis obseruetur. *Placuit* (inquit) *in omnibus rebus præcipuã esse iustitiæ æquitatisque quàm stricti iuris rationem.* l. 8. C. de iudic. Sed & Paulus in l. in omnibus. 90. D. de regul. iur. in eandem sententiam ita scribit: *In omnibus quidem, maximè tamen in iure æquitas seruanda est.* Hæc de vitiis in re legibus subiecta consistentibus dicta sint.

Quod verò attinet ad veterum auctorum subtilitatem, elegantiam, breuitatem, crypsin: nulla alia ratione potest huic difficultati occurri, quàm perspicua, dilucida, methodicaque interpretatione, de qua paulò pòst disquiram.

Nunc ad ea transgrediamur, quæ compositoribus Iustinianicis tribuimus, hoc est, ordinẽ neglectum, antinomias relictas, mutilationem legum, & interpolationem verborum ac sentẽtiarum. Quod ad primum: multi docti viri tentarunt ius in artem redigere, & methodice ea tradere, quæ Tribonianus perperã collegit: vt Placentinus, Azo, Connanus, Duarenus, Vvesembecius, & alij: inter quos non infimum locum obtinet FR. HOTOMANNVS Iurisconsultus clarissimus & doctissimus olimque collega meus & gloriosi laboris socius. Horum igitur opera vtendum cẽseo. Quòd si tamen studiosi malint suo Marte, post lectionem alicuius tituli, sibi certos locos proponere, quò velut per indicem singulas leges referãt, vt ego ante XIIII. annos meæ priuatæ vtilitatis causa feci: vt opinor, operam non ludent.

Iam verò leges quæ videntur contrariæ, si fieri potest, conciliandæ sunt. Sin manifesta est antinomia: (quamquam nullas esse in suis libris antinomias Iustinianus affirmat l. 2. §. cōtrarium. C. de vet. iur. enucl.) non debemus nostra ingenia more Accursij frustra & inaniter angere, vt inueniamus aliquam ineptam cōciliationem: sed veritati cedendum est, & potiori legi standum. Potior autem lex iudicanda est vel ex tēpore, vel ex æquitate, vel ex vsu, vel ex forma, vel ex auctorum multitudine, vel ex auctorum præstantia & dignitate, quæ singula exemplis illustrare, non erit inutile. Lex igitur posterior priori præferri debet, l. vltima. D. de constitut. princip Cicero 2. de Inuent. vt lex Codicis legi Digestorū: & Nouella constitutio legi Codicis. Rursus potior lex est, quæ est æquior, secundum ea quæ de æquitate supra diximus. qua ratione magis assentior Vlpiano in l. singularia. 15. D. de rebus credit. quam Africano in l. qui negotia. 34 D. mandat. hic enim stricto iure nitens negat mutuum cōtrahi, si tecum paciscar, vt quod mihi debes ex causa mandati, debeas ex causa mutui: ille ex bono & æquo mutuum esse defendit. Item potior est lex, quam vsus confirmat: quādoquidem etiam leges abrogare cōsuetudo potest. l. de quibus. 32. in fi. D. de legibus. vt in caussis matrimonialibus potiores habentur constitutiones Pontificiæ, quam ciuiles, quoniam in nostro foro magis receptæ sunt. Præterea potior est lex propter formam: vt iubenti potiùs legi parendum est, quam permittenti, auctore M. Tullio libro secundo de Inuentione. Cuius rei exemplum hoc esto, Æschines contra Ctesiphōtem proferebat legem diserte iubentem, si quem corona donaret senatus, vt præco in curia de eo prædicaret. sin populus, vt in concione: nequaquam autem alibi. Demosthenes verò aliam proferebat, quæ permittebet id in Senatu fieri. verba Æschinis hæc sunt:

Λέξουσιν ὡς εἰσὶ τῇ πόλει δύο. ὅμως καὶ δύο νόμοι περὶ τῶν κηρυγμάτων· εἷς μὲν, ὃν νῦν ἐγὼ παρέχομαι, διαῤῥήδην ἀπαγορεύων τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον μὴ κηρύττεσθαι ἔξω τῆς ἐκκλησίας· ἕτερον δὲ εἶναι νόμον φήσουσιν ἐναντίον τούτῳ τὸν δεδωκότα ἐξουσίαν ποιεῖσθαι τὴν ἀνάῤῥησιν τοῦ στεφάνου τραγῳδοῖς ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐὰν ψηφίσηται ὁ δῆμος: κατὰ δὴ τοῦτον τὸν νόμον φήσουσι γεγραφέναι τὸν Κτησιφῶντα. Potuit igitur Æſchines hoc argumẽto vti, quòd legi iubenti aut vetanti magis obtemperare oportet, quàm permittenti. *Nam* (vt inquit Cic. 2. de Inuent.) *id quod imperatur: necessarium illud quod permittitur, voluntarium est.* Auctorum quoque numerus facit, vt aliquam ſentẽtiam alij pręferamus. Sic rectè dicitur iudicandum eſſe ſecundum communes opiniones. Hoſtien. Ioan. Andr. & alij in c j. extra, de conſtitutionib. adeo vt Bart. in l. 2. nu 5. C. de pœn. iudi. qui malè iudi. affirmet iudicem, qui contra communem ſententiam iudicat, litem ſuam facere. Sic Theodoſius conſtituit, vt *vbi diuerſæ ſententiæ* veterũ Iuriſconſultorum *proferuntur, potiùs numerus vincat auctorum*. l. vn. C. Th. de reſponſis prudẽtum. Et licet Iuſtinianus, qui auctoritatem habuit legum condendarum, eam conſtitutionem neglexerit. l. 1 §. ſed neq;. C. de vet. iur. enucl. tamen doctores & iudices in eam ſententiam faciliùs inclinare debent quæ plurium calculo approbatur. Ac vt alteram exemplum ex Pandectis: prædia vrbana & ruſtica diſtinguenda ſunt ex vſu, non ex loco: quoniam hoc modo Neratius diſtinxit. l. 2. D. de ſeruit. prædio. ruſtic. illo autẽ modo reliqui, vt Vlpianus in l. 1. & in l. vrbana 198. de verb. ſigni. Iuſtinianus in §. 1. l. de ſerui. Diocletianus & Maximianus in l. ſi prædium. 16. C. de præ. minor. Ea quoq; videtur eſſe potior ſententia, quæ pręſtantiorem aucto-

tem habet, vt iudicandum potiùs erit secundum Bartoli sententiam, quam obscuri alicuius interpretis. Sic olim responsum Papiniani præferebatur sententiæ Vlpiani, vel Pauli, vel alius Iurisconsulti. d. l. vn. C. Th. de respon. prud. Sed omnium antiquorum Iurisconsultorum scripta in Pandectas relata æqualem auctoritatem habere Iustinianus voluit, propterea quòd Imperiali auctoritate illud opus muniuit. l. 1 § cumq; hæc materia. l. 2. §. ne autem incognitum C. de vet. iu. enucl. His itaque modis inter leges contrarias iudicabimus.

Legum mutilationi remedium adhibere interdum possumus ex capitũ inscriptionibus, ex quibus apparet, quæ nam, cùm olim coniuncta essent, a Triboniano separata fuerint, ad quam capitum cõiunctionem maximè conferunt indices à Iacob. Labitto, Anton. Augustino, Vvolfio, Freymonio conscripti atq; editi.

Cùm autem loca quædam Pandectarum & Codicis à Compositoribus interpolata fuerint: iudices de ea re laborare non debent, cùm iudicare oporteat secundum eam sententiam quæ nunc extat, nulla habita ratione antiquæ scripturæ, quæcunque fuerit ante Iustinianeam iuris compositionẽ. l 2. §. hæc igitur, C. de vete. iur. enucl. Sed si interpretes liberius in scholis quærant, quid reuera antiqui legislatores senserint aut non senserint: id vel ex aliorum locorum collatione, vel ex stylo dignoscere possunt. Nam supra ex l. 7. §. sed & si in alium. D. de pactis. ostendi aliud scripsisse Iulianum quam ei tribuatur in l. 5. §. at cùm do. D. de præscrip verb. stylus autem liquidò ostendit, legis, cũ de indebito. 15. D. de probation. & l. si cùm dotem. 22. §. si maritus. & §. seq. verum auctorem esse Tribonianum. Satisfecisse mihi videor difficultatibus, quas Iustinianei Compositores effecerunt.

Supersunt hæ: quarum causam nostris Doctoribus tribui. hæ mihi videnter vitari posse adhibita meliori

llori docendi methodo. de qua iam tempus est dicere.

Sciendum igitur est, multas & varias esse iuris Iustinianici docendi rationes hactenus vsitatas. Antiquissimi interpretes, vt Placentinus & Azo leuiter ius percurrebant, id ferè agentes solùm, vt leges sine ordine positas. in certum ordinē digererent, & ad certa capita referrent, cuiusmodi opus a Iustiniano Paratitlorū nomine significari multi falsò putant. mihi enim cùm ex notatione vocabuli, tum ex Græcorum Paratitlis quæ habeo manuscripta, liquidò constat maximam esse differentiam inter paratitla & methodicam iuris traditionem, vel titulorū expositionem. Post eos quos dixi interpretes. Accursius in id maximè incumbit, vt leges inuicem cōferat contrarias similésve: sed & verborum breuem interpretationem adiungit. Posteriores, vt Bartolus. Baldus, & permulti alij subtiliùs & diligentiùs ius ciuile tractare cœperunt, accommodantes ad praxim suorum temporum, & examinantes varias quæstiones, quæ (vt Iustiniani verbis vtar) non sunt legum laqueis innodatæ. Quo autem quisque tempore est posterior, eò solet esse prolixior nam & aliorum dicta retractat, & nouas quæstiones attexit. Bartolus quidem hoc ordine vti solet, vt primo loco summam siue epitomen legis ponat, postea diuisionē subiiciat, tum facti speciem subiungat, deinde notet, postea opponat, postremò varias quæstiones discutiat: sępè tamen horum quædam omittit. nonnulli verò inprimis contextum explicāt, mox glossemata declarant: tertio loco ea, quæ Bartolus aut etiam alius Doctor Bartolo posterior proposuit, excutiūt, vltimò aliquid noui aduciunt, ne omninò ex aliis interpretibus pendere videantur. Porrò hi omnes intra iuris ciuilis quasi cancellos conclusi, ab aliis disciplinis abstinuerūt. Nisi quis Baldum & Hieronymum Cagnolum philosophiæ peritos esse dixerit: quod mihi non facile persuaderi patiar. Exorti tandem sunt patrum

nostrorum memoria viri πολυμαθεῖς, qui reliquas disciplinas cũ iuris studio coniunxerunt, & alios classicos auctores ad ius ciuile illustrandum adhibuerũt, hi verò quæstionibus practicis ferè abstinent, simplici legum interpretatione contenti: exceptis Alciato & Zasio, qui horum quasi duces sunt & principes, nec tamẽ ausi sunt à recepta docendi ratione omnino recedere. Alciatũ & Zasium secuti sunt, Duarenus, Baro, Goueanus, Oldendorpius, & permulti alij viri celebres. Atque hæ sunt Latinorum Doctorum methodi & rationes docendi iuris. Græcorum autem interpretatio quantum ex eorum scriptis intelligere licet, persimilis est Accursianæ. Quinque igitur sunt iuris docendi rationes hactenus vsitatę: prima, Placentini, & Azonis: altera, Accursij, & Græcorum: tertia, Bartoli, & aliorũ qui partim pręcesserunt, partim Bartolũ secuti sunt: quarta, Alciati & Zasij: quinta recẽtiorum quorundam interpretum. Ex his tres postremæ adhuc vigent: nempe tertia in Italia, in qua partim excelluerũt, partim nunc excellũt Ioan. Cephalus. Tib. Decianus, Guido Pãcirolius, Iac. Menochius, Clarissimi & doctissimi pręceptores mei: quarta, vt audio, seruatur in Germania: quinta in plerisq; Academiis Gallicis. Singulas igitur expẽdamus: vt singularum vitia, si quę sunt, fugiamus, & quod rectũ est, amplectamur. Primi illi interpretes ꝓbandi sunt, quatenus ordine vtũtur: nihil enim rectè sine ordine doceri potest. secũdi non malè similes aut contrarias leges conferunt, & verba interpretantur. tertij & quarti rectè quęstiones necessarias adiungunt: quartos & quintos ꝓbo, quod bonos auctores non negligunt. Verumtamen in singulis ferè rationibus, quas exposui, non deest quod desiderem. Prima enim docendi ratio, cùm verba legum nõ enarret, sententias tantũ breuiter perstringat, & quasi per indicem demonstret, solidam & perfectam iuris interpretationem continere nequit. Secunda quoque

cùm

cùm necessarias quæstiones plerumque prætermittat, imperfecta est. Tertia nec satis ius ciuile illustrat, cùm alios auctores omittat, qui sæpè magnũ lumen & adiumentum afferunt libris nostris intelligendis, (vt testis est l. lecta. D. de reb. credi. quã Accursius & cæteri interpretes nõ intellexerunt, donec Hermolaus Barbarus & Guil. Budæus ex bonis linguæ Latinæ auctoribus docuerunt quid sit vsura centesima) & ius confundit, perturbat, immensum reddit multis propositis ad rem non pertinentibus quæstionibus. Quarta videtur esse optima, si modò exoticis quæstionibus vacet. Quinta, quæ necessarias quæstiones nõ dissoluit, Grammatico potiùs quam Iurisconsulto conuenire videtur. His notatis, facilius erit, eam methodum, quam nos maximè probamus, explicare, & bonũ nostro iudicio Doctorem informare. Quod priùs quam faciam, peto à vobis, vt memores sitis eorum quæ suprà dixi, me non quasi Sibyllina oracula, hæc enunciare, sed meam sententiam & docendi methodũ modestè proponere, quã quidem probabit & sequetur, qui volet. si cui verò non placebit, ei per me licebit hanc omittere, & alia quacumque vti.

In iure igitur docendo, quædã mihi seruanda præscripsi: quorum alia generalia sunt, & communiter ad omnes leges pertinent, alia sunt specialia, & quarundam legum propria. vt autem methodicè & recto ordine de methodo atq; ordine dicamus, à generalibus præceptis incipiemus. Hæc adhibitis duabus diuisionibus inquirã. Prior diuisio hæc est: In omni sermone spectandum est, quid dicatur, & quomodo dicatur. in modo autem dicendi duo considerãtur, stylus qui ad verba, & ordo qui ad res ipsas refertur. tria igitur sunt notanda, res, stylus & ordo: quæ videtur Horatius in arte significasse, cùm ait,

---Cui lecta potenter erit res
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Quod ad rem ipsam attinet, do operam vt ea dicam quæ sunt dicenda, & prætermittam quæ sunt prætermittenda dicenda autem sunt ea quæ & vtilitatem aliquam in se continent, & ad propositum pertinent, Omitti verò debent quę vel sunt inutilia, vel ab instituto aliena. Nã qui exotica tractat, artem tollit: qui inutilia docet, frustra laborat, cùm ea non sint ἔξω ζητήσεως, vt ait Aphrodisiensis in primũ librũ Top.

Stylus autem placet in legibus interpretandis non difficilis, aut agrestis, non sublimis & exquisitus, non obscurus, sed facilis, planus, familiaris, dilucidus. hic enim videtur interpretem decere. *Quo enim interpres* (vt Cuiaci verbis vtar) *nisi vt ad facilitatẽ redigat quæ difficilia sunt, aut esse videntur?* Qui verò propter difficultatem & obscuritatem vel se admirationi esse putant, vel alios admirantur, stolidi sunt, si Lucretio credimus

Omnia enim (inquit) *stolidi magis admirantur amantque,*
Diuersis quæ sub verbis latitantia cernunt.

Ordinis ratio cùm in omni tractatione, tum pręcipuè in iure ciuili haberi debet, siquidem præcipuè in iurisconsultis requiritur memoria, auctore Cicerone libr. 1 de Oratore: memoria autem nulla re magis adiuuatur quam ordine: quod & nos quotidie experimur, & idem Cicero lib 2. de Oratore docet eleganti historia, quam præstat ipsius quam meis verbis referre. *Dicunt* (inquit) *cùm cænaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, cecinissetque id carmẽ quod in eum scripsisset, in quo multa, ordinandi causa, poetarum more, in Castorem scripta & Pollucem fuissent, nimis illum sordidè Simonidi dixisse, se ei dimidiũ eius quod pactus esset, pro illo carmine daturum: reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret, si ei videretur. Paulo pòst esse ferunt nunciatum Simonidi, vt prodiret: iuuenes stare*

adia-

ad ianuam, duos quosdam, qui eum magnopere reuocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, Vidisse neminem. hoc interim spacio conclaue illud, Vbi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse quos cum humare Vellent sui, neque possent obtritos internoscere Vllo modo: Simonides dicitur ex eo quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator Vniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitum, inuenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriæ lumen afferret.

Sequitur altera interpretationis diuisio. nã alia est interpretatio verborum, alia sententiarum. atque hæc vel absoluta, vel relata. Absolutam voco, cùm sententia legis per se explicatur, non facta collatione cum aliis legibus. si vero cum aliis similibus aut contrariis legibus conferatur, relatam interpretationem appello. In verbis explicandis facilitate & breuitate vtendũ censeo. In absoluta interpretatione vtor methodo διαιρετικῇ καὶ ἀναλυτικῇ. diuisio est facilior, & magis in promptu: analysis verò, subtilior & vtilior. vtriusque exemplum suppeditat. l. tale pactum. 40. D. de pact. quam proximè studiosorum quorundam rogatu interpretaturus sum. In principio huius legis Papinianus ait: *Tale pactum* PROFITEOR TE NON TENERI, *non in personam dirigitur: sed cum generale sit, locum inter heredes quoque litigantes habebit.* Hic duplex diuisio afferri potest. Primùm quia Papinianus quærit, vtrũ hoc pactũ, PROFITEOR TE NON TENERI, ab heredibus paciscẽtium seruari debeat, necne: tria præcipue consideranda & explicãda sunt, species, id est, pactum propositum, & quæstio cum rationibus dubitandi, ac decisio ratioq; decidendi. Præterea quia Papinianus enthymemate vtitur, atque ita arguit, Hoc pactum est generale, ergo pertinet ad heredes: diuidere possumus nostram interpretationem in has tres partes, id est, in antecedentis, consequentis,

& consecutionis enarrationem. In analysi autem nõ solùm specto, quid Iurisconsultus concludat, sed etiã quid dicat, & quid supponat. vt in lege proposita Papinianus hoc vnum concludit, pactum inter heredes locum habere: sed prǽterea dicit hoc pactum esse personale, & supponit his verbis, Profiteor te non teneri, pactum fieri posse. In summa analysis plura complectitur, & inquirit. dictum Papiniani responsum resoluam in septem quæstiones: id est, an hæc verba, Profiteor te non teneri, pactum efficere possint, quomodo hoc pactum fieri possit, an valeat, quando valeat, in quantum, inter quos, & in quibus causis. In relata interpretatione obseruãdum puto, vt ex locis similibus addamus quæ in propositis legibus desiderantur, ex contrariis potiorem sententiam eligamus, ac τὰ ἐναντιοφανῆ, vt Græci Iurisconsulti appellãt, cõciliemus. Atque hæc de generalibus præceptis dicta sufficiant. Nunc ad specialia pergamus.

Omnis lex aut est absoluta, aut relata. Absoluta est, quę per se spectatur, nec ad aliam refertur: vt lex Papiniani, quam modo proposui, & pleræque aliæ, relata est, quæ ad aliam legem refertur, atque eius causa lata est, veluti vt eam interpretetur aut emendet. Absoluta subdiuiditur in theoricam & practicã. Theorica est, quæ ad iudicia nõ pertinet, sed ideo scripta est, vt aliæ leges meliùs intelligãtur: veluti definitio iurisprudentię, & diuisio personarum. Practica est, secundum quã iudicari debet, vt dicta lex Papiniani, & alię pœnæ innumerabiles. Theorica aut est definitio, vt, *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi: Iurisprudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia* l. 10. D. de iusti. & iure. Aut diuisio, *Omne ius quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones* l. 1. D. de statu homin. *Omnes homines aut liberi sunt aut serui.* l. 5. cod. titu. Practica lex aut est regula, vt, *Fœmina ab omnibus*

nibus officiis ciuilibus vel publicis remotæ sint l. 2. D. de regul. iur. Aut exceptio, vt, *Matri & auiæ tutelam etiã ante agnatos subire permittimus.* authentic'. matri. C. quando mul. tut. offic. Aut decisio, vt, *Lege venditionis illa facta*, SI QVID SACRI AVT RELIGIOSI AVT PVBLICI EST EIVS NIHIL VENIT: *si res non in vsu publico, sed in patrimonio fisci erit, venditio eius valebit, nec venditori proderit exceptio, quæ non habuit locum.* l. pacta conuenta. 72 §. 1. D. de contrahen. emp. *Si faciam vt des, &, posteaquam feci, cessas dare: nulla erit ciuilis actio, & ideo de dolo dabitur. l 5. § quòd si faciam. D de præscrip. verb.* Lex relata, aut est confirmatio: vt Iustinianus. l 2. C. de vet. in. enucl. confirmat Digesta, vt l. vlti. p. C. de legi. hered. confirmat legem penulti eiusdem tituli. Aut interpretatio? vt Iurisconsulti in l 2 & sequentib. D. de his qui notã. infam. interpretãter edictum prætoris: & Vlpianus in l. item veniunt. 20. de petit. heredi interpretatur senatusconsultum: & Iustinianus in l. pen C. qui testamen. face pos. interpretatur l. vlti. §. filiis. C. de bon. qua liberis. Aut productio, vt Iustinianus in l. 2 C. de quadr. præscript. producit constitutionem Anastasii, l. 2. eo. de rebus a fisco distractis, ad res vẽditas a Principe, vel Augusta & Senatusconsultum Pegasianum produxit legem Falcidiam de legatis loquentem, ad fideicommissa. §. sed quia. Instit de fideicom. heredit. Aut subrogatio, quæ prioribus legibus aliquid addit, veluti aliis solennitatibus testamentariis hanc Iustinianus adiecit, vt nomẽ heredis scribatur manu testatoris vel testium. l. iubemus 29. C. de testam. § sed his omnibus, Instit. eod. titul quam tamen solennitatem postea sustulit, Nou. 119 c. 9. Aut abrogatio: vt Nouellæ 2. cap. 3. abrogat legem fœminæ. C. de secun. nupt. & legem mater. C. ad Senatuscons. Tertullia & Nouella. 118 p. abrogat præcedẽtes leges de ciuili successione ab intestato, aut derogatio, quæ partẽ anterioris legis tol

lit: vt Nouel. 94. cap. 2. derogat legi 2. C. quan. mulier tuto. offic. dum vetat à matre tutelam fisci suscipiente præstari iusiurandum, quod ex d. l. 2. præstandum erat. aut obrogatio, id est, partem alterius legis mutat. veluti cùm alij fratrum ex Nou. 118. cap. 3. succedat vna fratribus, non item cum parentibus defuncti, id mutatur per Nou. 127. cap. 1.

Cùm igitur tot & tam varia sint legum genera, aptanda est singulis conueniens interpretatio. In definitionibus explicandis tria quærere soleo. Primùm an constent genere & differentiis nam hæc interdum dubitationem faciunt, vt in definitione obligationis nõ malè dubitatur, an vinculum sit eius genus: quia videtur obligatio non esse vinculum, sed deuictio illa quæ per vinculum, veluti contractum aut delictum fit. in definitione quoque iustitiæ videtur non verum genus poni, cùm iustitia sit virtus, proinde habitus, non voluntas. Deinde quæro, an definitio reciprocetur cum definito, ita vt soli, & omni conueniat. nam definitio vsusfructus videtur competere etiã ei iuri quod habet colonus, aut creditor qui accepit antichresin: cùm vterq; videatur habere ius aliena re vtendi fruendi salua eius substantia, contra definitio actionis, ius persequendi in iudicio quod sibi debetur, videtur soli condictioni conuenire: quia res nostræ, non res nobis debitæ veniunt in vindicationem. Postremò quæro, an definitio sit essentialis, & contineat causas rei definitæ: vt in definitione testamenti, voluntatis nostra iusta sentẽtia de eo quod quis post mortem suam fieri velit, efficiens, id est testator, significatur illis verbis, Volvntatis Nostrae: finis illis verbis, Post Mortem fieri Velit: materia verò, De Eo: forma verbis illis, Ivsta Sententia.

In diuisionibus explicandis videndum est, an aliquod membrum desit, vel superfluat. vt cùm Modestinus enumerat virtutes legis, & ait, *Legis virtus hæc est, imperare,*

vetare, permittere, punire. l. 7. D. de legibus. Videtur desiderari quintum membrum, *premio afficere*, ex l. 1. §. 1. D de iustitia & iure. In diuisione quoque procuratoris, quòd sit aut omnium rerum, aut vnius rei. l. 1. §. 1. D. de procuratorib. videtur deesse tertium membrũ, quia & quarũdam rerum potest esse procurator. Item in diuisione mandati, quod fiat vel mandantis tãtùm causa, vel aliena tantùm, vel mandantis & aliena, vel mandantis & mandatarij, vel mandatarij & aliena. l. 2. p. D. manda. videtur a idendum aliud membrum, vt interdum dicatur mandatum contrahi mandantis & mandatarij, & aliena quoque causa: veluti si tutor mãdauerit contutori suo mancipium emendum pupillo, quę species tractatur in l. si procuratorem. 8 §. si tutores. D. manda. In diuisione autem iuriiurandi videtur tertium membrum superuacuum: cùm omne iusiurandum aut sponte præstetur, aut ex necessitate: ideoque aut sit voluntarium, aut necessarium, & ad alterum horum duorum membrorũ videtur tertium referri debere, id est iusiurandũ iudiciale. In regulis tria sunt obseruãda: ratio, cõprehensio, & exceptio: id est, cur sit introducta, & quib⁹ casibus locũ habeat, vel nõ habeat. Ratio inquirẽda est, non in omnibus regulis, sed in iis, quę ratione cõfirmari possunt, veluti fœmina non potest esse iudex, quia nõ potest virilibus officiis fungi. l. cùm prætor. 12. §. nõ autem. D. de iudic. l. 2. D. de diuer. reg. iur. Si quis autem quærat, cur sit honestè viuendum, vel ius suũ cuique tribuendum: imbecillitate intellectus se laborare ostendit, auctore: Aristotele: quoniam hæc sunt prima principia & ἀπόδεικτα. Regulæ autem comprehensio aut est simplex, aut per productionem. verbi gratia, hæc regula, Mulier non potest iudicis officio fungi, si simpliciter accipiatur, ad iudicis tantùm officium pertinet: sed quia, vt supra diximus, vbi est eadem ratio, debet etiã esse idem ius. l. illud. 32. D. ad legem Aquil. ratio autẽ

huius regulæ est, quia iudicis officiũ est virile, mulier verò ab officiis virilibus repellitur: idcirco d. reg. producitur ad alia officia virilia, veluti ne magistratum gerat, ne pro alio postulet, ne procuratorio nomine interueniat. d. l. 2. D. de diuer. regu. iur. Exceptiones quoque notandas esse, supra ostendimus, veluti confessus pro condemnato habetur. l. 1. D. de confessis. l. vnic. C. eod. sed excipitur nisi incertum confessus sit. l. 6. D. eod.

In exceptionibus quatuor sunt exponenda. Primùm debet suæ regulæ accommodari, veluti si explicetur lex permittens matri vt filiorũ tutelam gerat. l. 2. C. quando mul. tut. officio. notandum est, hanc esse exceptionem illius regulæ, Mulier non potest tutelæ officio fungi. l. 1. C. eod. Deinde afferenda est exceptionis ratio, vt φυσικὴ στοργὴ quia nemini res pupilli possunt æquè esse curæ ac matri postea declaranda est exceptionis quoq; cõprehensio simplex, & per productionem, vt de regula diximus. Simplex propositæ exceptionis comprehensio est: quia mater potest esse tutrix filiorum, etiamsi eorum sit creditrix, aut debitrix: item siue filij sint legitimi siue naturales. Nou. 94. ca. 2. comprehensio per productionem est, quoniam & auiæ committitur tutela nepotũ. Nou. 118. c. 5. Postremò notanda est replicatio: veluti, mater nõ potest esse filiorum tutrix, siue minor sit 25. annis, siue secundò nupserit. d. l. 2 C. quãdo mul. tut. offi. Similiter si quæ sint duplicationes, ac triplicationes: omitti non debent. Atque hæc in regulis, & exceptionibus expédendis explicare soleo.

Decisionum autem hæc mihi videtur facillima & commodissima interpretatio: vt primo loco ponatur species, tum quæstio, postea responsio, & responsionis confirmatio, deinde obiectionum solutio, postremò exceptiones, si quæ sint, adiungantur. vt in d. Papinian l. tale pactum. species talis est, Creditor cum debi-

tore suo sic pepigit, PROFITEOR TE NON TENERI. Quæritur an hoc pactū ab heredibus paciscentium seruari debeat. Papinianus respondet, seruandum esse. Ratio est, quia si tu non debes, nec heres tuus ex tua persona debere potest: vnde apparet creditorem voluisse omninò perimere obligationem, non habere heredem debitoris obligatum. Opponitur, quod verbum TE, videtur facere pactum personale, quod non prodest heredi debitoris paciscentis. l. qui in futurum 57. §. 1. D de pact. Respōdetur, personā sæpè nominari in pacto, non vt pactū fiat personale, sed vt appareat, cum quo pactum factum sit. l. iuris gentium. 7. § pactorum. eod. tit. Concludendum est, pactum propositum, vtpote generale pertinere ad heredes Sed addenda est exceptio, nisi probetur aliā fuisse paciscentium voluntatē, cui procul dubio stare oportet. d. §. pactorum. His modis leges, quas absolutas vocaui, enarrandas esse puto.

Nec aliter declarandæ sunt leges relatæ, sed hæ id proprium habent, quòd omnino accommodari debent ad eam legem, quam confirmant, vel abrogant, vel ad quam alia quauis ratione referuntur.

Exposui, vt potui, & quatenus tempus permisit, methodum iuris docendi, quam maximè probo, & quam secuturus sum Hac seruata, spero nos cum fructu in iure ciuili versaturos, si Deo placuerit nostris laboribus benedicere. Quod vt faciat in nominis sui gloriam, Ecclesiæque ac Reip. Christianæ vtilitatem, toto pectore precatus initio sum, & iterum precor per Iesum Christum Filium eius vnigenitum, dominum & sotera nostrum. DIXI.

auct. damn.

FRANCISCI HOTOMANI IVRISCONS. SIVE DE OPTIMO GENERE IVris interpretandi, Liber.

MIrifica profectò & singularis quædam vis atque altitudo ingenij populo Romano, Dei concessu ac munere tributa est, qui & ad eas solas artes, cõtemptis cæteris, animum adiecit, quę solę ad rem omnium maximã ac præclarissimam, Reipublicæ scilicet administrandæ scientiam pertinerent: & in iis ipsis quantum studium semel amplexus est, cæteras omnes gentes longo interuallo superauit. Artes porrò huiusce generis tres video fuisse: quarũ prima in iure constituẽdo, altera in bene dicendi facultate, tertia in rei militaris administratione posita est. Neque enim aut societas inter ciues sine iure coiri, aut pacis ornamenta sine eloquentia retineri, aut belli pericula finitimorumque inimicæ sine rei militaris disciplina repelli possunt. Præter illas tres, totidem alias, in quibus aliæ gentes suum studiũ magnopere posuerunt, reperio fuisse, Philosophiam, Fabrilem (quam μηχανικὴν &, quæ vtriusque particeps quodammodo videtur esse, Medicinam, quippe quæ tum in naturæ obseruatione, tum in agendo, vt miscendo, secando, & vrendo ferè posita est. At Philosophia quidem duplex est: naturalis, quæ in naturæ obseruatione: & moralis, quæ in vita (vt ait Cicero) & mori-

& moribus versatur. Naturalem porrò, quoniam ea neque ad Reipublicæ gubernationem, neque (vt Socrates docuit) ad bene viuendum quicquam conducebat, & in reconditis ac tenebricosis quibusdam disputationibus, quæ magna ex parte vanissimæ comprehendantur, posita erat, populus Romanus quasi ad ociosos homines pertinentem, ferè reliquit: eu ipsum quem diximus Socratem, sapientissimum Apollinis oraculo iudicatum, imitatus, qui rerum naturalium inquisitionem obscuram, (vt Cicero testatur) & ad bene viuendum non necessariam, omisit: philosophiamque deuocauit e cœlo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit. Moralem autem, quæ reuera non erat digna nomine, hoc est, non ad vanas quasdam & inanes verborum concertationes: sed ad mores & actionem vsumque vitæ pertinebat: singulari quodam studio a Romanis excultam fuisse, vel hinc licet intelligatur, quòd in iure ciuili præclare & sapiēter instituendo tātopere elaborarint. Præclare namq; Vlpianus, Iurisconsultos ait veram, ac non fucatam Philosophiam amplexos esse. Siquidem (vt verissimè Cicero in Crassi persona scripsit) Moralis philosophia eosdem habet fontes omnium disputationū suarum, qui iure ciuili & legibus continentur. Vnde illud eiusdem in libro de oratore primo: Fremant, inquit, omnes licet: Bibliothecas mehercule omnium Philosophorum, vnus mihi videtur xij. Tabularum libellus, siquis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & vtilitatis vbertate superare. Eodemque illa Ciceronis disputatio præclara pertinet, in libro de legibus primo, vbi disciplinam iuris scribit penitus ex intima philosophia hauriendam esse. Fabriles verò & operosas, credibile est populum Romanum, propter excelsam atque exaggeratam quandam animi magnitudinem, maiestate sua indignas iudicasse: easque (vt bonus auctor scribit Dionysius) fere ad seruos,

infamamq́ue plebem relegasse. Quod eodem modo de Medicina factum constat: quippe quum aut seruis ea disciplina institutis, aut hominibus a Græcia adductis, eam ad rem vterentur, nimirum qui ea tractarent & agerent: a quibus his etiam temporibus nõ modò qui nobili sunt genere, verumetiam qui paulò illustriore ingenio præditi sunt, abhorrent. Iam verò populum Romanum in iis artibus, quarum studia digna esse statuit in quibus elaboraret, cæteris omnibus gentibus longè antecelluisse quis ignorabat? Nã, vt à postrema primùm ordiar, in re militari quis nescit illum tantopere præstitisse, vt sibi gentium terrarumq; omnium imperium, nominiq́ue suo æternam gloriam, multis suis fortiter & præclarè gestis rebus pepererit? De eloquentia verò quid attinet dicere? in qua nemo, mediocriter quidem eruditus, ignorat populum Romanum a Cicerone, meliore paulo quam poëta Virgilius fuerit, harum rerum æstimatore, tam sæpè & tã valde Græcis hominibus qui soli potuisse aliquid hoc in genere existimantur, anteponi? Quod autem ad ciuile ius, remq́ue publicam bonis & institutis & legibus temperandam attinet, ecquam aliarum gentium commemorare possumus, non dico quæ hoc in genere certare cum populo Romano possit: sed in qua studium illud aliquo in pretio habitum, & vel negligenter excultum fuisse videatur? vbi tãdem aut institutas de iure disputationes, aut scriptos libros fuisse legimus? vbi denique nomen ipsum vel Iuriscõsultorum, vel Iurisperitorum, nisi apud populum Romanum auditum est? facile vt appareat verissimum esse quod Cicero non vno loco prædicat: Romanos omnia consequi potuisse, simul vt velle cœperant. Præclarè igitur sapientissimus poëta, qui quum suas cuique genti laudes attribuisset, pingendi, sculpendi, obseruandi cœli: Romanis Reipublicæ constituendæ scientiam adiudicauit.

Tu regere, inquit, imperio populos Romane memẽto:
Hæ tibi erunt artes, pacisq; imponere morem.

Cuius rei causa quæ tandem esse potuerit: quum apud me considero, hanc ferè reperio præcipuã fuisse, quòd quum nulla vnquam in ciuitate satis multæ leges omnibus de rebus scribi possint, magnaque pars litium ac negociorum prudentiæ consilioque peritorum hominum necessariò permittenda sit: Romani non (vt cæteræ gẽtes omnes) cuiuis iudici, arbitróue sumpto, maximarum quarumq; rerum arbitrium potestatemque permiserunt: sed amplissimos quosque & clarissimos viros, magnoq; rerum vsu præditos, quasi ciuilis iuris custodes in hoc munere tanquam in præsidio aliquo locauerũt, à quibus reliqui ciues quid æquum bonumq; esset, quum vsus veniret, exquireret: quique ciuilibus ac priuatis negociis pro sua prudentia præessent. Eorum nanque positam quatuor in rebus facultatem fuisse reperio: primùm vt legũ, si quæ fortè obscuriores viderentur, itemque pactionum & testamentorum sententiam interpretarentur: Deinde vt qua de re neque a legibus, neque a priuatis cautum esset, ipsi quid æquũ bonumque videretur, responderent: tum præterea vt in priuatorum negotiis, veluti pactionibus & testamentis, iis a quibus consulerẽtur, cauerent: postremò, vt litium actiones, id est, litigandi formulas & ordinem constituerent: vt non omnino male (meo iudicio) definiri Iurisconsultus hac ratione posse videatur. Qui tũ iuris ciuilis, tũ æqui bonique peritus, populo se ad respondendum, interpretandum, cauendum atque agendum dedit. Quibus omnibus de rebus operæpretium esse arbitror, descriptè atq; ordine disserere, vt primùm quibus in rebus Iurisconsultorum munus positum, deinde quorum illud proprium fuerit, tum quæ auctoritas illorum extiterit, postremò quæ nobis hodie ratio iuris interpretandi optima esse videatur, breuiter quantum facul-

tas feret, exponamus. Quod igitur primo loco posuimus, respondendi muneri Iurisconsultos præfuisse, sic accipiendu est: primùm, vt de iure certo, id est, de scriptis legibus & consuetudine ciuili consulti statim responderent. Qua de causa Iurisconsultorum memoriam in primis commendari videmus: quippe quos de iure certo interrogatos, ex tempore respondere oporteret: deinde vbi scripta nulla lex esset, tum quid æqui bonique ratio postularet, exponerent: quã quidem longè primam ac præstantissimam esse muneris istius partem, Cicero multis verbis in libro de legib. primo demonstrat: vbi ius scribit in mente sapientis rationeq; esse positum, eamque verissimam esse iuris atque iniuriæ regulam. Itaque cõstituendi iuris ab illa regula capiendum esse exordium, quæ seculis omnibus antè nata sit quàm scripta lex vlla, aut quàm omninò constituta ciuitas fuisset. Hinc Iurisconsultos iustitiæ sacerdotes appellari videmus: quippe qui iustitiæ deæ oracula & responsa consulentibus enunciẽt sic enim sensisse Vlpianum, mihi quidem aliud videri non potest: tametsi longè aliter verba ipsius ab eruditissimis quibusque vulgò intelligãtur: sic autem & legendum & interpungendum eum esse locum existimo: Ius est a iustitia appellatum (nam vt eleganter Celsus definit, Ius est ars æqui & boni) cuius meritò nos quis Sacerdotes appellet. Vt vox CVIVS, non ad IVS, sed ad iustitiæ deæ nomen referatur: quum satis constet, non artis alicuius, sed deorum sacerdotes dici consueuisse. Vtcunque sit, Iurisconsultos Romæ huic muneri præcipuè præfuisse. Cicero quoque libro de arte Rhetorica secundo, his docet verbis. Status negotialis est, inquit, in quo quid iuris ex ciuili more & æquitate sit, consideratur: cui diligentiæ præesse apud nos Iurisconsulti existimantur. Multo verò planius Pomponius noster in l.2. de orig. iuris, vbi sic scribit, His legibus latis cœpit (vt naturaliter euenire solet)

vt interpretatio desideraret prudentium auctoritatem necessariam esse disputationem fori. Hæc disputatio & hoc ius, quod sine scripto venit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus cæteris partibus: sed cōmuni nomine appellatur ius ciuile. Quibus ex verbis intelligimus, quod singulari animaduersione dignum est, tantam huiusce iuris dignitatem præstantiamque fuisse, vt commune iuris ciuilis nomen suum ac propriū esse fecerit. cuius rei documenta sunt in oratione Ciceronis pro Cæcina propè innumera: sed vnum exempli causa ex lib. de Offi. III. proferre satis erit, vbi Cicero dilucidè ius ciuile legi xij Tabularum opposuit: ac de iure quidem prædiorum sancitum est apud nos iure ciuili, vt in his vendendis vitia etiam dicerentur quæ nota essent venditori. nam quum xij. tabulis satis esset cautum, ea præstari quæ essent lingua nūcupata: quæ qui infitiatus esset, dupli pœnam subiret. a Iurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quòd si iura constituere, Iurisconsultorum Romanorum potestas fuit, quemadmodum plenius aliquāto pòst intelligetur: quanta illorum dignitas, auctoritas, amplitudoq; fuerit, non difficile intellectu est. At verò apud Græcos, cæterasque gentes, huiusce præclari muneris (vt ante dixi) mentio nulla est prorsus. Quapropter qui apud illos sese priuatorum negotiis rebusq; agendis interponebant, ij non iurisconsulti, sed Pragmatici, quasi dicas negotiosi & formularij, nominabātur: homines (vt ait apud Ciceronem Crassus) infimi, & mercenarij: qui se ministros in iudiciis oratoribus præbebant. Itaque Fabius libr. III. cap. III. testatur Græcos, πραγματικοὺς, iuris interpretes vocasse. Ex lib. xij. cap. 3. Neque ego sum (inquit) nostri moris ignarus, oblitúsve eorum qui velut ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant: neque idem Græcos [illegible]

nescio factitasse, vnde nomen his Pragmaticorum factum est. Quod idem Antonius libro de Oratore 1. his confirmat verbis, Itaque Græci, disertissimi homines, ministros habent in causis Iurisperitos, quum ipsi sint imperitissimi: (sic enim legédum arbitror) & qui (vt abs te paulò antè dictum est) pragmatici vocantur, in quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum auctoritate leges & iura tecta esse voluerunt. Rectè Antonius, non enim Romani (item vt Græci) Iurisconsultorũ suorũ munus in tam exili ac tenui opera consumi voluerunt, vt actionibus tãtùm ac formulis, cautionibusque præessent: sed in æquo bonoque ciuibus omnibus iudendo. Quocirca præclarè mihi Celsus artẽ iuris definisse videtur, artẽ æqui & boni: meritoq; Iurisconsultos olim maximo semp in honore ac pretio habitos fuisse. cuius rei etiã illa Ciceronis quæ ex lib. de Offi. 11. subiiciã, documento sunt. Quæ aute opera, inquit non largitione beneficia dãtur, hæc tum in vniuersam Rempublicã, tum in singulos ciues conferuntur. nam in iure cauere, consilio iuuare, atque hoc scientiæ genere prodesse quamplurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaque quum multa præclara maiorum, tum quam optime constituti iuris ciuilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua Principes retinuerunt: nunc, vt honores, vt omnis dignitatis gradus, sic huius scientiæ splendor deletus est: idque eo indignius, quòd eo tempore hoc contigit, quum is esset qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facilè vicisset, hæc autem opera grata multis, & ad beneficiis adstringendos homines accommodata. Hæc Cicero. Crassus autem apud eundem libro de Oratore 1. in eandem sententiam, quum dixisset Romæ amplissimum quemque & clarissimum virum iuris scientiæ præesse, multosq; quum ingenio

ingenio sibi auctore dignitatem peperissent, perfecisse vt in respondendo iure, auctoritate plus etiã quam ipso ingenio valerent: sic infert. Senectuti verò celebrandæ & ornandæ quod honestius potest esse refugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparaui, non solùm ad causarum vsum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis: vt quum me vires, quod ferè iam tempus aduentat, deficere cœpissent, ista ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim præclarius quam honoribus perfunctum senem, posse suo iure dicere idem quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo: Se esse eum, vnde sibi, si non populi & reges, at omnes sui ciues consilium expetãt?

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos, compotesque consilij
Dimitto, vt ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus Iurisconsulti, totius Oraculum ciuitatis. Quinetiam eodem libro Antonius aliquanto pòst, etsi Iurisconsultorum gloriæ subinuidens, tamen ita loquitur. Etenim sine controuersia & magna est ars illa, & latè patet, & ad multos pertinet, & summo in honore semper fuit, & clarissimi ciues ei studio etiam hodie præsunt.

Hactenus primam Iurisconsultorum muneris partem, quæ scilicet in legibus & æquitate respondenda posita est, satis explicasse arbitramur. Consequens est vt ad interpretationem accedamus: quam partem secundam superius esse diximus. quanquam ita cum illa cõiuncta est, vt difficilè discerni possit. qua de causa Cicero Philip. 1x. de Ser. Sulpitio disserens. Nec verò, inquit, silebitur admirabilis quædam & incredibilis & penè diuina eius in legibus interpretandis, & æquitate explicãda, scientia. neque enim ille magis iurisconsultus, quàm iustitiæ fuit. itaque quæ proficiscebantur a legibus, & a iure ciuili, semper ad facili-

tatem æquitatemque referebant.

Quibus ex verbis patet, legum interpretationem ex æqui & boni ratione sumendam esse. Qua de caussa laudari C. Aquilium a Cicerone videmus, in Oratione pro Cæcina, quòd iuris ciuilis rationem nũquam ab æquitate seiunxerit, quòdque ita peritus ac prudens esset, vt ex iure ciuili, non scientia solùm quædam, verumetiam bonitas nata videretur. Ergo si quando vel ius cum æquitate, vel scriptũ cum non scripto sententiáue contenderet, si quid scriptum esset ambiguè, si qua contrariè scripta, si quod verbum obscurum, vel in legibus, vel in priuatorum negociis videretur; ad Iurisconsultorum interpretationem decurrebant. Atque hoc nimirum illud est quod Seneca lib. de benefic. v. scribit, Iurisconsulti officium esse mentem spectare, hoc est, non tãtùm quæ legislatorum, sed etiam quę testatorum, aut paciscentium mens & consilium fuerit, perspicere. Tertiam huius muneris partem in cautionibus positam fuisse diximus. Cautiones autẽ intelligo, in iis rebus gerendis quibus vitæ societas continetur: vt rerum contrahendarum, stipulandi, emendi, vendendi, locandi, conducendi, societatis coeundę, & si quę sunt in eodem genere: vnde etiam vsu venit, vt cauendi verbum quasi Iurisc͠osultorum proprium ac peculiare factum sit. Ex quo illud Plauti in Epidico: Hic poterit cauere rectè, iura qui & leges tenet. Et illud Ciceronis ad Trebatium Iurisconsl. libro Episto. 7. Tu qui cęteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedario capiaris, caueto. Et in Topic. ad eundem: Etenim quum tu mihi meisque multa sæpè cauisses. Et illud Ouid. lib. de arte amand. 1.

Illo sæpe loco capitur consultus amore:
Quique alys cauit, non cauet ipse sibi.

Superest vt de actionibus, quam in postremam huius muneris partem esse diximus, nunc disseramus. Quod igitur agedis reb us Iurisconsultos præfuisse diximus

sic ac

sic accipiendum est, primùm vt litigādi, deinde etiam vt aliarum priuatarum rerum & extraiudicialium actionum formulas ab iis concipi præscribique solitas, intelligamus: veluti emancipationis, adoptionis, in iure cessionis, in manum conuentionis, testamentorum, cretionum, mancipationum. & quæ sunt generis eiusdem. nam de iudiciorum quidem formulis, vel ex Ciceronis oratione pro Murena, iudicis existimare facile est. vbi illa vetera proferuntur: Fundus Sabinus meus est. eum ex iure Quiritium meum esse aio. Item, Quando te in iure conspicio, &c. Item ex Philip. IX. vbi de Ser. Sulpicio loquitur: Neque constituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere. De priuatis autem & extraiudicialibus actionibus, vel hic vnus locus ex libro Ciceronis de legib. documēto esse poterit. Sūmos fuisse in ciuitate nostra viros, qui id interpretari populo, & respōntare soliti sint: sed eos magna professos, in paruis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum ius ciuitatis? Quid autem tam exiguum quam est munus hoc eorum qui consuluntur? Quod tamen est populo necessariū. Nec verò eos qui muneri præfuerunt, vniuersi iuris expertes fuisse existimo. Sed hoc ciuile quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo præstare voluerunt. Id autem incognitum est, minusque in vsu necessarium. Quam obrem quò me vocas, aut quid hortaris vt libellos cōficiam de stillicidiorum ac parietum iure? aut vt stipulationum & iudiciorum formulas componam? quæ & conscripta sunt a multis diligenter, & sunt humiliora quam illa quæ a nobis expectari puto. Similis præterea locus est de testamentis in libro de Orat. II. vbi Crassus verba hæc ex quadam oratione sua cōmemorat. Nam si, Scæuola, nullum erit testamentum recte factū, nisi quod tu scripseris, omnes ad te ciues cū tabulis veniemus, omnium tastamenta tu scribes vnus. Cuius cōsuetudinis etiam vestigium extat apud Cer-

uidium in l. Lucius Titius. 88. §. vlti. D. de legat. ij. Denique vsqueeo scribendi verbum in Iurisconsultis vsitatum erat, vt iam penè illorum proprium esset: vnde ille Ciceronis ad Trebatium iocus lib. Epist. 7. Valde, inquit, iam lautus es: qui graueris ad nos literas dare, homini præsertim prope domestico. quod si scribere oblitus es, minus multi iam te aduocato causa cadét. Eoque etiam illud in Mureniana pertinet: Iurisconsultorum vrbanam militiam respondendi, cauendi, scribendi. Atque hoc nimirum illud est quod Antonius libro de Oratore 1. Iurisconsultos exagitãs, ait, eos per se nihil nisi leguleios quosdam cautos & acutos esse, prӕcones actionum, cantores formularum, aucupes syllabarum. Neque verò prӕtereundum illud silentio est, quod & ad vtrunque hoc postremum, de quo iam diximus pertinet, & ex multis Ciceronis locis, itemq; Pomponio Iurisconsulto, & Liuio, aliisque nonnullis didicimus, veteres illos qui huic scientiæ præfuerunt obtinẽdæ atque augendæ suæ potentiæ causa peruulgare artem suam noluisse: sed in põtificum penetralibus ciuile ius recõditum habuisse: donec Cn. Flauius, Cn. F. scriba illud euulgarit, fastosque circa forum in albo proposuerit: vt & quando & quomodo lege egi posset: sciretur: cuius exẽplum posteriores imitati, certatim quisque formularum libellos composuerunt, qui Actiones appellabantur: quarum præcipua laus fuit Manilianarum, & Hostilianarum, quas Varro in libris De re rustica, demonstrat in omnium etiam rusticorum manibus versari consueuisse. Animaduertẽdum etiam illud est, quod in Mureniana Cicero de illis ipsis formulis atque actionibus scribit, Iurisconsultos a Cn. Flauio sua illa gloria atque arte spoliatos, veritos ne sine sua opera lege posset agi notas quasdam composuisse, vt omnibus in rebus ipsi interessent. quẽ locum olim mihi sanè intellectu difficilem, postea Manilij in lib. Astronom. locus hic perspicuũ facileq; reddidit.

reddidit,vbi de notis & compendiis scripturæ loqués ita scribit,

Hic etiam legum tabulas, & condita iura
Nouerit, atque notis leuibus prudentia verba,
Et licitum sciet & vetitum qua pœna sequatur,
Perpetuus populi priuato in limine prætor.

Verùm hæc quidem hactenus:ex quibus,cuiusmodi Iurisconsultorum munus,quibusque in rebus positum fuerit,satis explicatum esse arbitramur:intelligique simul ex iis putamus quamobrem traditam à Cicerone in lib. de Orat.1. Iurisconsulti definitionem secutus non sum,vbi scribit, Iurisconsultum esse qui legum,& consuetudinis eius qua priuati in ciuitate vtũtur,& ad respondendum,& ad agendum, & ad cauendum peritus esset. Nam hac definitione is solus continetur qui de iure iam certo,& vel scripto,vel moribus constituto respondet. id quod Pragmaticorum munus fuisse superiùs dicebamus: qui quantum a Iurisconsultis differant,ex his Quintiliani verbis in lib.12. cap.5. facilè intellectu: vbi quę iurisconsultorum responsis explicantur,aut in verborum interpretatione posita esse scribit,aut in recti prauiq; discrimine: quũ aliįse ad album ac rubricas transferant,& formularij, vel (vt Cicero ait) leguleі quidam efficiantur. Verùm illud intelligendum est, definitionem illam ei personæ accommodatam à Cicerone de industria fuisse, quam in ea disputatione temporis causa. M. Antonio affinxerat,vt de iurisconsultorum dignitate & gloria, quoad posset,detraheret Deinceps igitur, quorum ea tanta potestas auctoritasque fuerit videamus. Ac primis quidem temporibus Iurisconsulti à semetipsis eã auctoritatem sumebant,cùm scilicet eos se esse profiterentur quos vulgò ab omnibus consuli liceret . qua de re Pomponij testimonium subscribam ex l.2 D.de Origin.iur. Ante tempora Augusti,inquit,publicè respondendi ius nõ a Principibus dabatur : sed qui fidu-

ciam studiorum suorum habebat, consulentibus respondebāt: neque respōsa vtique signata dabant, sed plerumque iudicibus ipsi scribebant, aut testabātur qui illos consulebant. Erat autem duplex huius scientiæ ac profitendæ ratio: quam a me diurna veterum lectione notatam atque obseruatam operæpretium est hoc loco exponere. Nam qui legum & iuris doctrina prædit, vsúque magnarum rerum instructi, lumen ingenii cōsiliique sui liberaliter suis ciuibus impartiri volebāt, ij aut transuerso foro ambulantes, aut domi in solio, hoc est, honorabili sella considentes, omnibus consulendi sui potestatem se facere demonstrabant. Cuius rei testimonio est hic ex libr. de Orat. 3. Ciceronis locus: Marcum verò Manilium nos etiam vidimus trāsuerse ambulantem foro: quod erat insigne, eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus consilii sui copiā: ad quos olim & ita ambulantes, & in solio sedētes domi, sic adibatur, non solùm vt de iure ciuili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. Item ille in primo: Erectum & celsum, alacri & prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterua toto foro, præsidium clientibus atque opem amicis, & propè cunctis ciuibus lucem ingenij & consilij sui porrigentem atque tendentem. Eodem etiam ille, ex oratione Crassi in M. Brutum, Bruti Iurisconsulti filium, iocus pertinet, qui est in libro secundo: Brute quid sedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid tu facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti studere? an iuri ciuili? est paternum. Sed dicet te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem cæsis solium tibi paternum recepisse: id est sellam, in qua tuus sedens patri ius respōdebat. Locum autem Atrium domus fuisse, Seneca libro 14. Epist. significare videtur, cum ita scribit: Hi (de Solone, Lycurgo, & Zaleuco loquitur) non in foro, nec in cōsultorum atrio,

attrio, sed in Pythagoræ tacito illo sanctóque secessu iura didicerunt. Quod sanè præclarum, & plenum dignitatis fuisse constat: cùm in ea domus parte, vbi maiorum imagines asseruabantur, quasi augusto aliquo in loco sella posita, iustitiæ sacerdos oracula fundebat. Vnde illud Valerij Maxi. lib. v. qui cùm Manlij Torquati iurisconsulti, sapientissimum de accusato filio iudicium & sententiam exposuisset, sic infert: Cum filij funus duceretur, consulere se volentibus vacuas aures accommodauit. Videbat enim se in attrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati seueritate cõspicua imago posita erat: prudentissimoque viro succurrebat effigies maiorum suorum, cum titulis suis, idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteri non solùm legerent, sed etiam imitarentur. Nunquam autem illud de solio planius a Cicerone demonstratur, quam in libro de legibus I. his verbis: Ego verò ætatis potius vacationi confidebam, præsertim non recusarem, quominus more patrio, sedens in solio consulentibus responderem, senectutísque non inertis grato atque honesto fungerer munere. Quibus omnibus ex locis illud intelligitur, quod antea dicebamus, iurisprudentiæ profitendæ rationẽ duplicem olim fuisse, cùm aut in transuerso foro ambularetur, aut domi in solio consideretur. Memorabile autem est, quod ex Ciceronis oratione pro Muræna obseruauimus, moris fuisse: vt qui Iurisconsultos adirent, hac formula vterentur, LICET CONSVLERE? sic enim scribit: Itaque non modò beneficij collocandi spem, sed etiam illud quod aliquando fuit, LICET CONSVLERE, iam perdidistis. Cuius instituti mihi tum in mentem venit, cùm in doctoratus (vt nũc loquimur) honore capiendo iussus sum in solio considere, pileo mihi imposito, quasi libertate accepta, annulo aureo insignitus, potestatem aperiendi claudendique libri accepi. Illud sanè absurdum est, quod nõ-

nulli hac mea obseruatione non contenti, tradiderūt, verba hæc, LICET CONSVLERE, pro foribus Iurisconsultorū scripta fuisse. de quo sine vllo argumento affirmari non oportuit, præsertim cùm similis illa formula, Licet attestari, omnibus nota sit. Quod aute de professione paulo antè dicebamus, idem alio eiusdem Orationis loco perspicuè confirmatur, vbi sua in potestate positum esse prædicat, sese Iurisconsultum profiteri. ius enim (vt idem in Oratore scribit) profitentur etiam qui nesciunt. Itaque, inquit, si mihi homini vehementer occupato stomachum moueritis, triduo me Iurisconsultum esse profitebor. Eodemque illa perfaceta pertinet eiusdem epistola, in libro earū quæ Familiares appellantur primo. M. Tullius Cicero S.D.L. Valerio Iurisconsulto: Cur enim tibi nō gratificer, nescio: præsertim quum his temporibus audacia pro sapientia liceat vti. Et paulo pòst, Quanquam qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas: partim contumeliosum, quòd malè respondeas. Item de eodem ad Appium libro earundem Epistol. III. L. Valerium Iurisconsultum valde tibi commendo: sed ita, etiamsi non est Iurisconsultus, melius enim ei cauere volo, quam ipse aliis soleat. Eodem etiam locus ille pertinet ex oratione pro Plautio, vnde hoc amplius intelligitur, non sine reprehensione eos fuisse qui quum hāc artem professi fuissent, suscepto tamen muneri satisfacere non possent. Quæris, inquit, nū Iurisconsultus, quasi quisquam sit qui sibi hunc falsum de iure respondisse dicat. omnes enim istiusmodi artes in iis reprehenduntur, qui quum professi fuerint, satisfacere non possunt: non in iis qui abfuisse ab istis studiis confitētur. Perspicuum igitur esse arbitror, quod superius dicebamus, iurisprudentiam profiteri olim in cuiusuis, qui modò ingenio ac doctrinæ suæ cōfideret, arbitrio potestateque fuisse. At verò posterioribus tēporibus Au-

gustus Cæsar totam hanc profitendæ iurisprudentiæ rationem immutauit. non enim arbitrio cuiusq; potestatem illam permisit, sed quũ (vt credi par est) propter multorum indignitatem, eam sibi temere scientiam arrogantium, flos ille veteris dignitatis exaruisset, cõstituit vt nemo, nisi qui a se auctoritatem illam accepisset, respondendi ius haberet. quo suo instituto non Iurisconsultorum dignitatem ac splendorem imminuit: imò verò potiùs auxit, atque amplificauit: sed numerum duntaxat eorum qui consulentibus responderent circumscripsit, vt certis tantùm ac delectis viris ea potestas tribueretur. qua de re Pomponius l. 2. de origin. iur. ita scribit, Primus Diuus Augustus, vt maior iuris auctoritas haberetur, cõstituit, vt eius auctoritate respõderent. Et ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Et ideo optimus Princeps Adrianus, quum ab eo viri prætorij peterent vt sibi liceret respõdere: rescripsit eis, hoc non peti, sed præstari solere. Et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se pararet.

Adhuc quorum hominum potestas iuris respondẽdi propria fuerit exposuimus: nunc consequens est vt quanta illorum auctoritas fuerit, quantámque illorũ responsa vim ac momentum habuerint, ostendamus. Nam Iustinianus quidem libr. Institutionum 1. tãtam Iurisconsultorum auctoritatem fuisse scribit, vt iudicibus recedere ab eorum responsis non liceret. Cuius rei testimonium præclarum extat in oratione pro Cæcina, vbi Cicero C. Aquilij, & aliorum quorũdam Iurisconsultorum, qui secundum Cæcinam responderant, auctoritatem profert. itemque apud Paulum in l. Titius. 43. D. de actio. empt. vbi Domitij Vlpiani responsum in iudicio lectum, profertur. Quapropter Cicero in Topicis, priuata iudicia maximarum quidem rerũ, in Iurisconsultorum prudentia posita esse scribit: Nam & adsunt multum, inquit, & adhibentur in consilio, &

patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant. In omnibus igitur iis iudiciis, in quibus EX FIDE BONA est additum, plurimus eorum vsus est. (Sic enim legendum arbitror, non EARVM.) vbi verò etiam VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET, in primisque in arbitrio rei vxoriæ, in quo est QVID AEQVIVS MELIVS, parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum bonum, illi quid socium socio, quid eum qui negocia aliena curasset, ei cuius ea negocia fuissent, quid eum qui mandasset, eumve cui mandatum esset, alterum alteri præstare oporteret, quid virum vxori, quid vxorem viro, tradiderunt. Quibus ex verbis intelligimus, veteris consuetudinis fuisse, vt rerum priuatarum iudicia ferè ex Iurisconsultorum responsis disceptarentur: alioqui si per imperitiam, & inconsultis Iurisperitis, iudex male pronunciasset, litem suam faciebat: vt scribit Caius in l. 5. §. si iudex. D. de oblig. & actio. & l. iudex. famil. 15. & l. seq. D. de iudi. id est, cogebatur eius causam, secum litem quam pronunciarat, ita defendere, quasi sua res esset, vt si male pronunciasse iudicaretur, litis æstimationem persolueret. Responsa autẽ duobus edebãtur modis, quos non alienũ hoc loco breuiter exponere. Video enim hanc Iurisconsultorum operam duobus potissimum continuari solitam fuisse: quum aut consultores eorum responsa perscripta ad iudices afferrent, aut ipsi in consilio iudicũ assiderent. Prioris, Cicero lib. de Orat. 1 testis est, his verbis: Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile credo sit cum hoc Scæuola communicare. quanquam ipsi omnia quorum negotium est, consulta ad nos & exquisita deferũt. Alterius verò exemplum habemus in causa Quintiana. Quam Cicero defendit: vbi non modò C. Aquilius Gallus iudex sedebat, verùm etiam L. Lucullum, L. Quintilium, & M. Marcellum, tres Iurisconsultos, in consilium adhibuerat.

rat. Spartianus etiam auctor est, Adrianum Imperatorem, quoties iudicio alicui præesset, semper Iurisconsultos aliquot in consilio habuisse. Lampridius autem scribit, Papiniani præfecti præt. assessores fuisse Iulium Paulum, & Domitium Vlpianum Iurisconsultos. cuius rei exemplum extat in l. lecta. 40. D. de reb. cred. & item in l. Clodius 97. de acquirenda hæreditate. Responsorum autem tantam videmus auctoritatē fuisse, vt non modò in iuris ciuilis parte, velut in eo definiendo, numerentur, verùm etiam auctores ipsi iuris conditores appellentur. Itaque Iustinianus in l. si furiosi. 25. C. de nupt. sic loquitur. Et qui dem filiam furioso marito posse copulari, omnes penè Iuris antiqui conditores admiserunt. Item Imperator Iulianus in l. nulla. 23. C. de procuratore. Procuratorem, inquit, posse eum instituere veteris iuris voluerunt conditores. Frequenter etiam Iuris auctores in Pandectis appellantur: vt apud Vlpianum ex Diuorum fratrum rescripto in l. 17. D. de iure patron. Et Proculum sane, nō leuem iuris auctorem, in hac opinione fuisse. Itē paulo post: Plurium etiam iuris auctorum, sed & Saluij Iuliani, amici nostri, clarissimi viri, hanc sententiā fuisse. Martianus itē ex rescripto Diui Pij, an mora facta intelligatur, neque cōstitutione vlla, neque iuris auctorum quæstionem decidi posse. Sic Aggenus Vrbicus. At Cassius Longinus, vir prudentissimus, iuris auctor hoc statuit, vt quicquid aqua lambendo abstulerit, id possessor amittat. Et Pomponius l. verbis legis 120. De verborū significatio. Sed id interpretatione coangustatū est, vel legum, vel auctoritate iura constituentium. Quibus ex locis facile intellectum est. Quamobrem Manilius poeta in primis eruditus, eo quem superius protulimus loco, de iureconsulto loquēs, sic scribat, Perpetuus populi priuato in limine prætor. Vt enim prætor ius ciuibus reddebat, sic etiam Iurisconsultus: at ille annuam illam dignitatem obtinebat:

hic perpetuam: ille pro tribunali, qui locus erat publicus: hic in atrio domus priuato ius reddebat. Intelligimus preterea quamobrem iurisconsulti propriè dicerentur præesse: quum scilicet litigatoribus auctores essent, vt iure agerent. Itaque P. Mutius Scæuola Iurisconsultus in libro de Orat. 1. sic loquitur: Id nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque præessem qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manu consertum vocarent. Hic illud Ciceronis de Chelidone, amica Verris: Statuũt petere auxilium à Chelidone, quæ isto prætore non modò in iure ciuili, priuatorumque hominum controuersiis populo Rom. præfuit, verumetiam in his tartis tectisque dominata est. Superius enim sic dixerat: Redite in memoriam, quam inanes domus eorum qui consulebãtur, quam plena atque referta Chelidonis. Sic Pomponius in l. 2. de orig. iur. Augescente ciuitate, ij qui præerant, agendi genera composuerunt. Atque hæc quidem hactenus. Nunc quod optimum iuris interpretandi genus esse arbitramur, qua de re nos postremo loco dicturos pollicebamur, breuiter disserendum videtur si prius quæ de veterum Iurisconsultorum consuetudine in iure docendo nobis obseruata sunt, breuiter exposuerimus. Nam Cicero in libro quẽ Oratorem inscripsit, semper pulchrum fuisse ait, ius docere, hominumque clarissimorum discipulis floruisse domos: idque & factitatum & gloriosum fuisse. Animaduerti autem mane id facere solitos, primis temporibus, instituto Romuli eos qui patroni appellabantur: summos scilicet ciuitatis viros: qui tenuium hominum, quos clientes vocabant patrocinium susceperant, eosque ne litium calumniis vexarentur, defendebant. Horatius enim libro Epistol. 11. ita scribit,

Romæ dulce fuit, diu & solenne reclusa
Mane domo vigilare, & clienti promere iura.

Quod quidem Dionysius Halicar. libro 11. his tradit verbis

verbis, τοὺς μὲν πατρικίους ἔδει τοῖς ἑαυτῶν πελάταις ἐξηγεῖσθαι τὰ δίκαια, ὧν οὐκ εἶχον ἐκεῖνοι τὴν ἐπιστήμην. Id est, officium patriciorũ erat, iura quæ sui cliẽtes ignorarent, iis exponere. Morem autem illum consultoribus ante lucem adeũtibus respondendi, posterioribus quoque temporibus retentum atque obseruatum fuisse argumento esse duo loci possunt, quorum alter apud eandem Horat. est, lib. sermonum I. Agricolam laudat iuris legumque peritus, Sub galli cantum consultor vbi hostia pulsat. Alter apud Ciceronem in ea pro Murena: Vigilas de nocte (Ser. Sulpitium alloquitur.) vt tuis consultoribus respondeas: ille vt quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cãtus excitat. Erat autem hæc docendi iuris instituendorúmque studiosorum ac discipulorũ ratio: non vt in scholis, sicuti philosophi, vel domi data opera sepositóque tempore leges interpretarentur: sed vt eadem opera, qua consultoribus responderent, simul audiẽtes adolescentes instituerent. Cuius rei testis est Cicero in Oratore his. Alteros enim (de iurisconsultis loquitur) respondentes audire, sat erat: vt ij qui docerent, nullũ sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent, sed codẽ tempore & discentibus satisfacerent & cõsulentibus. Sed iam tempus est ad institutum nostrum accedere. Triplicem omninò iuris interpretãdi rationem inuenio: quarum prima Grammaticorum, altera Dialecticorum, tertia iurisconsultorum propria est. Ius autem cũ dico vulgarem loquendi consuetudinem retineo, qua iuris nomen veterum iurisconsultorum & Imperatorum scriptis in libros nostros relatis attribuimus. Grãmatica ratio tripartita est: aut enim obscura dicendi genera, vt antiqua (cuiusmodi in xij. tabulis reperiũtur) & noua quibus posteriores iurisconsulti, Paulus, Africanus, Modestinus, Triphoninus, aliique Græci

homines vsi sunt, interpretamur: aut locos corruptos ac deprauatos, cuiusmodi in libris nostris innumerabiles sunt, emendare conamur, aut Reipubl Romanæ memoriam, in qua ius nostrum natum, formatumq; est, eruimus, hanc enim Grammaticæ quoque disciplinæ partem esse, neque quisquam ignorat, & Cicero libro de Orat. perspicuè testatur. atque hanc quidem triplicem rationem in librorum nostrorum interpretatione adhibere necesse est. Quòd vt rectè atq; idoneè possimus, primùm in Latinis auctoribus eiúsque linguæ exercitatione adolescentiā consumpsisse omnem oportet. sine cuius linguæ prope dicam perfecta cognitione, difficile dictu est, vel posteriorum Iurisconsultorum, qui ferè Græci fuerunt, inconditam orationem, vel Imperatorum cōstitutiones in Codice Iustinianæo agresti quodam genere dicendi conscriptas, satis commodè posse intelligi. Deinde operæpretium est Codicum tum manuscriptorum, tum etia impressorum, copia mediocriter instructum esse. quo in genere laudis video nostra hac ætate complures antecellere. Dialectica autem ratio, si iuris disciplinam vniuersè spectemus, triplex est: sin partem hanc de qua modò commemorauimus, nimirum capita Pandectarum aut Codicis, quæ vulgo Leges appellantur, simplex. Commodissimam autem fore arbitror, si de singulis eius partibus breuiter quid cuiusque proprium esse videatur explicemus. Natura tria quidem docendi genera videntur esse: quorum primum Galenus in libro qui Ars parua inscribitur, σύνθεσιν: alterum ἀνάλυσιν, tertium διαίρεσιν appellat. nos constructionem, dissolutionem, & partitionem dicere nō incommodè possumus. Dialecticam autem rationem hanc idcirco appellamus, quoniam ea rei cuiusq. partes omnes explicat: quod esse propriū Dialectici munus officiumq; nemo ignorat. Synthesin appellamus, quum

quum ex tenuissimis quibusque partibus idoneo loco dispositis, atque coagmentatis, totum conficitur, veluti si quis, cum ædificandæ domus rationem cómonstrare vellet, lapides, arenam, cęmenta, calcem, tigna, tegulas, aliáque omnia vnum in locum conferat, & quid quoquo loco aptandum sit demonstret: vel ad nauim ædificãdam, carinam, puppim, proram, malú, antennas, vela, remos, anchoras, gubernaculum, cęterásque partes omnes comparet: & quæ cuique pars loco accommodãda sit, designet, vel vt exemplum propius nostris ex fontibus hauriamus, si velit quis Iuris ciuilis priuati summam exponere, is personarum primùm omnes tanquam ordines ac differentias exponat oportet: liberos seruos, ingenuos libertinos, patresfamilias filiosfam. viros mulieres, puberes impuberes, furiosos constantes: secundo loco rerum species ac formas omnes, diuinas, humanas, sacras, sanctas, religiosas, publicas, priuatas, liberas, seruas, vectigales, immunes: tertiò rerum alienandarum & acquirendarú modos omnes, inuctionem, occupationem, abalienationem, vsucapionẽ, stipulationem, in iure cessionem, emptionem, conductionem, cæteráque rerú contrahendarum genera: quartò iudicia tum publica, tum priuata, quæ ex cõtractu, maleficio, lege, aliísque modis conflata & nata sunt. Quibus ita dispositis, ordinéque demonstratis, sensum ad summam iuris cognitionem, tanquam ad fastigium peruenitur. & si quæratur exempli causa, an pupillus qui sine tutoris auctoritate centum stipulanti spopõdit, in iudicium vocari possit: facile personæ & iudicij ratione perspecta, responderetur non posse. Eiusdem modi graduum cognationis disciplina est: nec fortasse aliud illius exẽplum facilè aliquis afferre possit. nam si primò Titiú, id est eum de cuius cognatione quæritur, constituamus, dein filium infra, supra verò patrẽ appingamus, gradum vnum efficiemus: tum si nepotẽ infra, auum

suprà, fratrem verò a latere adiungamus, duos gradus habebimus: atque ita deinceps sensim & paulatim singulis gradibus adiungendis, integram cognationis imaginem ac figuram efficiemus. Exemplum ex emptionis & venditionis præceptis pingui quadam Minerua sumere licebit: si primùm quæ in eo contractu necessaria sint, ordine proponamus. Sunt autem sex. Sit enim venditor primùm, sit & emptor necesse est, vterque rei commercium habens, vterque obligationis capax: ac proinde nec prodigus, nec furiosus. tertiò rē interuenire oportet, cuius sit commercium: quo in loco de re futura, de alea, de spe, disputari licebit. quartò pretium exquiritur, quod in pecunia numerata & definita, certáque summa consistat, quintò, voluntas vtriusque contrahentis certa & præsens, de dominio tam rei quàm pretij, tum tradendo, tum accipiendo. postremò, bona fides, in præstationibus vltro citroq; ex æquo & bono faciendis. Quibus omnibus suo loco dispositis, ordinéque collocatis, emptionis & venditionis definitio, quasi fastigium præclaro operi imponetur, & si dicatur esse contractus bonæ fidei inter quos iure ciuili licet, factus de certa re, certo pretio, in perpetuũ domini iure obtinenda. Atque hæc quidē de constructione dicta sunt. Diæresis autem siue diuisio est, cùm genus in formas primùm, de informarum formas ita diuiditur, vt tādem ad indiuidua perueniatur, quam quidem rationem Iustinianus, aliique ante eum complures, in iuris ciuilis institutionibus tradendis tenuerunt. Ius enim primùm in publicū & priuatum diuiserunt: & cùm priuatum solū explicandum susciperent, tum id in naturale, gētium, & ciuile partiti sunt: singulásque deinceps partes ad extremum sunt persecuti. Eámque ipsam rationem sequi se in iure tractando velle Crassus in libro de Orat. primo his confirmat verbis. Sunt, inquit, notanda genera, & ad certum numerum paucitatémque reuocāda: omniáq;

quæ

quæ sunt vel generum, vel partiú nomina, definitionibus quam vim habeant, est exprimendum. Et paulo pòst: Si cui facere licuerit, vt primùm omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca sunt: deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat: tum propriam cuiusque vim definitione declaret: perfectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam atque vberem, quam difficilem & obscuram. Analysis autem siue partitio est, cùm res ad partes suas reuocatur atque dissoluitur: vel, vt planius loquamur, cùm totú in partes secatur, deinde in partium partes, sic vt ordine ad minutissimas quasque & indiuiduas perueniatur: veluti si quis minuti horologij conficiendi rationem docere velit, vnum aliquod discipulo inspectante sed dissoluet, vt non modò præcipua mébra, sed etiam tenuissimas quasque partes ostendat. Atq; hanc quidem Medici rationem in humano corpore cognoscendo sequuti sunt, ea disciplina quã ἀνατομικὴν, quasi dicas dissectricem, appellant. Crassus etiam in libro de Orat. 1. his illam eandem rationem demóstrat verbis: Nam si fortè quæreretur, quæ esset ars Imperatoris, cóstituendum putarem principiò, quis esset Imperator: qui cùm esset constitutus administrator quidem belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidijs faciendis atque vitandis, de reliquis rebus quę essent propriæ belli administrãdi, quarum qui essent animo & scientia compotes, eos esse Imperatores dicerem. Ex quibus perspicuum esse arbitror, quid inter Diæresin & Analysin intersit: quum illa genus in formas, hæc totum in partes distribuat, quam ego huius nostri in iure ciuili interpretando instituti propriam ac peculiarem esse animaduerto. Nam si interpretari nihil aliud est, quàm quot quoque sint cuiusque partes exponere (quia tum demú, vt Aristoteles in physi-

cis scribit, rem aliquam cognoscimus, quũ quot, quęque sint eius partes, cognoscimus) apparet neque synthesin, neque diæresin instituto huic nostro opportunam esse. illam, quia opus nullum efficere volumus, sed quod iam effectum est, explicare: hanc, quoniam quum caput aliquod ex Pãdectis vel Codice interpretamur, res singulares, id est eas quæ nõ generis sed totius vim obtinent, tractamus: hoc est, ea quæ partibus constant, non formis, quales sunt, domus, nauis, sphæra. Alio enim modo nauim vt genus consideramus: alio vt rem singularem: illo, cum alias longas, alias onerarias, alias actuarias, piscatorias, fluuiatiles, bellicas esse dicimus. hoc, quũ nauis partes enumeramus: carinam, proram, puppim, gubernaculum, malum, velum, transtra & remos. At verò si quis locum aliquem, & (vt vulgò loquimur) materiam iuris ciuilis, veluti tutelarum, donationum, vsurarum, tractare instituat, alterutra vti debebit. Sed tempus est nostræ huius, quam solam retinemus, analyticæ tractationis exemplum proponere Nos autẽ neque obscurũ, neque (vt speramus) infructuosum hoc initio exponemus. Iustinianus libro Institutionũ primo sic scribit: In nostra potestate sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus. Nuptiæ autem, siue matrimonium, est viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. nulli enim alij sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus. Huius legis tres sunt partes: quarum suo quãque loco atque ordine demonstrabimus.

Ex istis nuptiis.] His ex verbis prima elicitur enunciatio: Nati ex iniusto concubitu, parentum in potestate non sunt.

Indiuiduã vitæ consuetudinem.] Enũciatio II. Cõiugiũ ad tẽpus contractũ, non est iustum coniugium.

Proprium

Proprium est ciuium Rom. Sequitur III Patria ciuium Rom. potestas, iuris ciuilis est. His tribus pronuntiatis propterea locum illum idoneè explicatum esse opino quot quæ,& quot eius partes sint, hac partitione planissimè demonstratum est neque vel plures, vel pauciores demonstrari possunt. Quòd si qua enunciatio difficilis & obscura esse videatur, tú adhiberi breuis explanatio poterit, vel Grammaticaratione,& verbis illustrioribus, vel ea arte quam paulo ante Iuriscõsultorum propriam esse dicebamus, & aliquanto pòst exponemus. Sed nunc aliud exemplum rei dilucidandæ causa, eodem ex libro proferamus. iustas autem nuptias inter se ciues Rom. contrahũt qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, siue patresfam. sint, siue filiifamiliarum, dum tamẽ si filiifamiliarum sint, consensum habeãt parentum, quorũ sunt in potestate. Nam hoc fieri debere, & ciuilis & naturalis ratio suadet: in tantum vt iussus parentis præcedere debeat.

Inter se ciues Rom.] Enunciatio prima: Iustæ nuptiæ, nisi inter eos qui ciues Roma. sunt, non contrahuntur.

Masculi quidem puberes.] Sequitur II. Impuberes, iustas contrahere nuptias non possunt.

Consensum habeant parentum.] Sequitur III. Filij filiæque familiarum iustas sine parentum auctoritate nuptias non contrahunt.

Consensum habeant parentum.] Sequitur IIII Patris auctoritas in filiofam. nuptiis & ciuili & naturali iure requiritur. Quinetiam, vt intelligatur quam multa sub paucis interdum verbis lateant. Exemplum ex tutelæ definitione sumemus. Tutela, inquit Vlpianus, est vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum qui propter ætatem se defendere nequit.

Tutela est potestas.] Enunciatio I. Tutela nõ modò

procuratio est, sed etiam potestas: id est vis à populo accepta.

In capite libero.] Sequitur II. Tutela, nisi in liberis personis non datur.

Ad tuendum eum.] Sequitur III. Tutorum potestas, tuitione & custodia pupilli definita est.

Eum qui propter.] Sequitur IIII. Tutor non patrimonio, sed personæ pupilli datur.

Defendere se nequit.] Sequitur V. Tutela propter pupillaris ętatis infirmitatem instituta est. Aliud exẽplum ex §. Si Titius. de rerum diuis. tit. Institut. secundo: Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit. Ex diuerso, si Titius suam plantam in Mæuij solo posuerit, Mæui planta erit: si modò vtroq; casu radices egerit. antè enim q̃ radices egerit, eius permanet cuius fuerat. Adeò autẽ ex eo tempore quo radices egerit planta, proprietas eius commutatur, vt si vicini arbor ita terram Titij presserit, vt in eius fundũ radices egeit, Titij effici arborẽ dicamus. ratio enim nõ permittit vt alterius arbor esse intelligatur, quam cuius in fundum radices egerit. Et ideo prope cõfiniũ arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit.

Si modò vtroque casu.] Enunciatio I. Non imposita, sed ita infixa solo vt adhærescãt, solo cedunt. L. Titius. 60 D. de acquirendo rerum domin. l. si supra. 28. D. eod.

Vicini arborem ita terra Titij.] Sequitur II. Eius quæque arbor est cuius in solo magnam radicũ partem obtinet. l. si plures. 6 D. arb. furt. l. vlti. D. quod vi aut clam.

Prope confinium arbor posita.] Sequitur III. Arbor prope confinium posita, si in vicini fundum radices egerit, communis est. l. adeò. 7. in fi. D. eo. Hac partitione responsum hoc idcirco non incommode explicatum arbitror, quia neque plures (vt opinor) neq; paucio-

pauciores eius partes ostedi possunt. Hactenus quam Grammaticam, & quam Item Dialecticam tractandi iuris rationem appellaremus, abundè explicatum esse arbitramur. Reliquum est igitur vt quam Iurisconsultorum propriam esse putemus, breuiter aperiamus. quod tamen priusquam faciamus, operæpretium esse arbitror, quorundam obiectionibus obuiam ire, qui nostram hanc analysin propterea damnare possent, quòd interdum audiant nihil esse perniciosius quam ius ciuile ad theses & vniuersales quasdam regulas reuocare. Fuerunt enim adolescentes non pauci, qui meum hoc institutum in publicis scholis nostris non satis intelligentes, dimisso conuentu, humaniter me appellarint: cùmque pluribus verbis thesium propositiones damnassent, tum etiam auctoritaté præceptoris sui Franc. Duareni, Iurisconsulti hac ætate clari in primis, & eruditi, adiungebant. Accidit autem eo tempore, quum Duareni librum de verb. obligat. quidam de industria mihi attulisset, vt eum locum in quo thesium propositiones damnat, legerem, vt mihi optimum illum & doctissimum librum peruolutanti, notæ quædam numerorum sese obiicerent: I. II. III. IIII. V. quas vbi animaduerti, quorsumque pertinerent attendi, studiosum illum adolescétem pudore ac verecundia quadam affeci. Ostendi enim quod in me Duareni auctoritate arguebat, id ipsum esse accuratè ac studiosè ab ipso Duareno eodem in libro factitatu. Ita quod ratione ac disputatione non potueram, facilè auctoritate peruici. Exemplum autem hoc loco vnum pro multis subiiciam. Caius l. vlti. de verbo obli. sic scribit: Pupillus, licet ex quo fari cœpit, rectè stipulari potest: tamé si in parentis potestate est, ne auctore quidé patre obligatur. Pubes verò qui in potestate est perinde ac paterfamilias obligari solet. Quod aute in pupillo dicimus, idem & in filiafamilias impubere dicedum est. Sequitur Duareni interpretatio: Quatuor

(inquit) præcipuè hic obseruanda sunt. Primum est pupillum qui in potestate tutoris est, patre mortuo stipulari posse, etiam sine tutore, si infans nō sit: quãuis sine tutore non possit obligari. II. Pupillus qui in potestate parentis est, patre auctore non obligatur. III. Filiusfamilias pubes perinde obligatur, ac quiuis paterfamilias. IIII. Quod de filio dictum est, id in filia quoque locum habet. Hactenus igitur quã Grammaticam & quam item Dialecticam tractandi iuris rationem appellaremus, satis expositum est. Reliquum est vt quænam Iurisconsultorum propria sit, breuiter aperiamus. Hæc autem non tam in Iurisconsultorum scriptis, quàm in ipsis causis atque controuersiis explicandis tota consumitur. Quare quò facilius intelligi perspicique possit, quot quæque controuersiarum omnium summa genera & capita putemus esse, breuiter exponendum est. Ac mihi quidem in eam cogitationem totum hoc decennium incumbenti, fontesq; controuersiarum omnim diligenter exquirenti, tria tãtùm vsque adhuc animaduertere licuit. Nasci enim controuersias animaduerti vel ex iure vel ex scripto, vel ex verbo. Ex iure, quum aut æquitas cum iure, aut ius scriptum cum non scripto contendit. Ex scripto, quum aut scriptum, id est, locutionis genus, ambiguũ est: aut sententia cum scripto comparatur: aut contrariè scripta reperiuntur. quod Anton lib. de Orat. I. his verbis est complexus Existere autem controuersias etiã ex scriti interpretatione, in quo aut ambiguè quid sit scriptum, aut contrariè, aut ita vt a sententia scriptum dissideat. Ex verbo, quum id propter ipsius ambiguum ancipitemque significationem definitione aperiendum est. Aliam enim esse controuersiam quæ ex verbo, aliam quæ ex scripto nascitur. Cicero in partitionibus his demonstra verbis. Hoc genus, inquit, quod ex scripto nascitur, ne in definitionem quidem venit, Nam etiamsi verbum aliquod de scripto definiendum

niendum est quam vim habeat: vt cùm ex testamentis quid sit genus, aut cùm ex lege prædij quæritur quæ sint ruta cæsa, non scripti genus, sed verbi interpretatio controuersiam parit. Hæc ille. quę tamē pinguius interdum obseruantur: vt paulo pòst intelligemus, si prius tripartitam illam descriptionem auctoritate Fabij confirmauerimus. Quum enim in Cornificij & Ciceronis de arte Rhethorica libris diligenter me superioribus annis exercuissem, animaduerti eos in cōtrouersiarum capitibus enumerandis, atque explicandis ita esse versatos, vt minimè vererer illud ipsum affirmare mea sponte, quod postea cognoui a Fabio disertè traditum confirmatúmque fuisse: totam illam disputationem puerilem esse, & a Cicerone in libris posterioribus abiectam contemptamque fuisse. quod vel cuiuis mediocri iudicio prudentiaque prædito facile intellectu est: quum præsertim tam sæpè partes pro genere numerentur. Quinetiam Fabium ipsum in libro tertio & quarto, vbi tractatum hunc omnem controuersiarū explicat, plerisque illorum erroribus implicatum esse, facilè cuiuis erit animaduertere. Quod eo magis mihi mirū videtur. quoniam superioribus diebus hoc libello non modò absoluto, sed etiam typographo commisso, mihi fortè caput eius secundum libri XII. legenti locus hic occurrit, qui nostram tripartitam diuisionem planissimè confirmat. Sic enim scribit: Quid? non quæstio iuris omnis, aut verborum proprietate, aut ęqui disputatione, aut voluntatis cōiectura continetur? Quo in loco, voluntatis coniectura controuersias ex scripto contineri, vel hinc licet intelligatur, quod Paulus in l. ille aut ille. 25. de legat. libr. tertio scribit, quum in verbis nulla ambiguitas est, voluntatis quæstionem admitti non debere. Quo ex loco perspicuè intelligimus, voluntatis quæstionem dici a Paulo ex verbis nasci: & tum demum existere, quum in verbis est ambiguitas. vbi tamē pin-

guius (vt paulo antè dixi) verba pro scripto posuit. In singulis igitur hisce capitib⁹ ac fontib⁹ generales quædam regulæ latent, nondum præscriptæ illæ quidem ac peruulgatæ, sed in hominum mentibus atque ingeniis quasi notiones quædam anticipatæ & insitæ, ad quas si reuocare vnamquamque controuersiam possimus, tum facilem & expeditam cuiusque explicationem habebimus. Danda igitur opera est in primis, vt viam ac rationem reliquam, qua id assequi liceat, peruestigemus. Eam autem animaduerto equidem ab Hermagora Rhetore & iurisconsulto antiquissimo traditam: pòst à Cicerone, Cornificio & Quintiliano diligenter ac studiosè obseruatam, vsurpatamque fuisse: a Cicerone autem non modò quũ adolescens Rhetoricæ artem conscripsit, sed etiam quum vsu forensi multorumque annorum assidua exercitatione instructus, & iam senex Partitiones oratorias edidit. Huius autem artificiosæ tractationis quæ vis ac facultas sit, non antè commodè perspiciemus, quàm quot, quæque sint eius partes, cognouerimus. Sunt autem sex, de quibus singulis Cicero in Paratit. ita scribit: In omnibus, inquit, causis tres sunt gradus: ex quibus vnus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendũ est, vt quod obiicitur, factum neges: aut illud quod factum fateare, neges eã vim habere, atq; id esse quod aduersarius criminetur. Aut si neq; de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat, & rectum esse quod feceris, concedendúmve defendas. Ita primus ille status & quasi conflictio cũ aduersario coniectura quadam: secundus autem, definitione, atq; descriptione, aut informatione verbi: tertius æqui, & veri & recti disputatione tractandus. Et quoniam semper is qui defendit non solùm resistat oportet aliquo statu aut inficiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda: sed etiam rationem obiiciat re-

cusationis suæ: primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem inficiationemque facti: secūdus, quòd non sit in re, quod ab aduersario ponitur in verbo: tertius, quòd id rectum factum esse defendit, quod sine vlla nominis controuersia factum fatetur. Deinde vnicuique rationi opponendum est ab accusatore, id quod nō esset in accusatione. causa omnino esse non posset. Itaq; ea quæ sic referuntur, cōtinentia causarum vocentur: quanquam non ea magis quę contra rationē defensionis afferuntur, quam ipsę defensionis rationes continent causas: sed distinguendi gratia, rationem appellamus eam, quæ adfertur à reo ad recusandum depellendi criminis causa: quę nisi esset, quid defenderet non haberet. Firmamentum autem, quòd contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem & firmamenti conflictione & quasi concursu, quæstio exoritur quædam, quam disceptationem voco: in qua quid deueniat in iudicium, & de quo disceptetur, quæri solet. Nam prima aduersariorum contentio diffusam habet quæstionem: vt in coniectura, ceperitne pecunias Decius: in definitione, minuetitne maiestatem Norbanus: in æquitate, iuréne occiderit Opimius Gracchum. Hęc quæ primam contentionem habent, ex arguendo & resistendo, lata, vt dixi, & confusa sunt. Rationum & firmamentorum contentio adducit in angustum disceptationem, ea in coniectura nulla est, nemo enim eius quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaq; in his causis eadem & prima quæstio, & disceptatio est extrema: in illis autem vbi ita dicitur, non minuit maiestatem quod egit de Cepione turbulentius: populo enim Roma. dolor iustus vim tum illam excitauit, non Tribuni actio. Maiestas autem, quoniam est magnitudo quædam populi Rom. in eius potestate ac iure retinēdo, aucta est potius quam diminuta. Et vbi

ita refertur, Maiestas est imperij atque in omni populi Rom. dignitate, quam minuit is qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocauit, existit illa disceptatio. Minueritne maiestatem, qui voluntate populi Rom. rem gratam & æquam per vim egerit. In his autem causis, vbi aliquid rectè factum, aut concedendú esse factum defenditur, quum est facti subiecta ratio, sicut ab Opimio, Iure feci salutis omnium & Reipub. conseruandæ causa: relatumque est à Decio, Ne sceleratissimum quidem ciuem sine iudicio iure vllo necare potuisti oritur illa disceptatio, potueritne rectè salutis Reipubli. causa ciuem euersorem ciuitatis, indẽnatum necare. Ita disceptationes eæ quæ in iis controuersiis oriuntur, quę sunt certis personis & temporibus notatæ, fiunt rursus infinitæ: detractisque temporibus & personis, rursum ad cõsultationis formam rationémque reuocantur Ex his Ciceronis verbis illud in primis debet intelligi, vim huius artificiosę tractationis quam Hermagoream appellamus, hanc esse, vt propositam controuersiam semper ab hypothesi ad thesin, hoc est a specie ad genus reuocet: quod exemplo familiari commonstrabimus ex eo Institutionum capite, quod paulo superius partitione explicatum est Titius suam arborem imprudens in Mæuij solo conseuit. antequam ea radices egisset, admonitus, id suum solum non esse, euellere illam instituit. Mæuius prohibet. Litem igitur Mæuio Titius intendit. Intentio, hæc arbor mea est. Depulsio Mæuij, imò mea. Quæstio, cuius sit? Ratio Mæuij speciem hãc ad genus reuocantis hæc est, Quia superficies solo cedit: hoc est, Quo quidque in solo impositum est, eius id efficitur, cuius est solum, tanquam pars totius. Aduersus hanc rationem, præsidium hoc suum Titius opponit, quo rationem illius infirmare conatur, & causam suam ab illo generali capite abducere. Firmamentum igitur est: at hęc arbor qua de agitur solo non adærescit.

ſcit. Vides vt Titius cauſam hanc ſuam ad generalem illam legem pertinere neget, & ab illo quoad poteſt eam abducat? Ex harum autem altercationum conflictione naſcitur quæſtio, quæ iam non ad Titium, aut Mæuium, nec ad arborem, oleam fortè, aut pinũ, ſed cùm ad perſonas omnes, tum ad res quaſuis ſolo adiectas pertinet: An ea demũ ſuperficies ſolo cedat, quæ illi adhæreſcit? Qua ex re vim iſtius artis eam quam diximus eſſe apparet, nimirum vt quæſtionem certis perſonis Titij & Mæuij, certaque re, oleæ ſcilicet, aut quercus, finitam ac terminatam, ad infinitam, nullis perſonis, nullaque re certa circumſcriptam reuocet. Quam vnam veram ac perfectam eſſe iuris tractandi rationem, Antonius libr. de Orat. II. his docet verbis: In quo etiam iſti nos Iuriſcõſulti impediunt, à diſcendóque deterrẽt: Video enim in Catonis & Bruti libris nominatim ferè referri, qđ alicui de iure viro aut mulieri reſpõderint. Credo, vt putaremus, in hominibus, non in re, conſultationis aut dubitationis cauſam aliquam fuiſſe: vt quòd homines eſſent innumerabiles, debilitati à iure cognoſcendo, voluntatem diſcẽdi ſimul cum ſpe perdiſcendi abiiceremus. Itẽ, Huius quidem loci quem modò ſum exorſus, hic eſt finis: Quoniam intelligitur non in hominum innumerabilibus perſonis, neq; infinita temporum varietate, ſed in generum cauſis atque naturis omnia ſita eſſe, quæ in dubium vocarentur: genera autem eſſe definita non ſolùm numero, ſed etiam paucitate, Itẽ alia multa quæ paulo antè in hanc ipſam ſententiam diſputantur. Sed antequam lõgius progrediamur, vniuſcuiuſque partium iſtarum definitionem non incommodum erit exponere. Cornificius autem libro ad Herennium primo, ſingulas his exponit verbis: Cõſtitutione, inquit, reperta: ſtatim quærenda eſt ratio. Ratio eſt, quæ cauſam facit, & continet defenſionem, hoc modo, vt docendi cauſa in hac potiſſimùm cauſa conſiſtamus:

Orestes, quum confiteatur se occidisse matrem, nisi attulerit facti rationem, peruertit defensionem. Ergo affert eam, quæ nisi intercederet, ne causa quidem esset: Illa enim, inquit, patrem meum occiderat. Ergo, vt ostendi, ratio ea est, quę continet defensionem, sine qua nec parua quidem dubitatio potest remorari dânationem. Inuenta ratione, firmamentum quærendum est: id est, quod accusationem continet, quodque affertur contra defensionis rationem, de qua antè dictum est. Id constituetur hoc modo. quum vsus fuerit Orestes ratione, hoc pacto: Iure occidi, illa enim patrem meum occiderat: vtetur accusator firmamento, hoc modo: Sed non abs te tamen occidi, neque indemnatam pœnas pendere oportuit. Ex ratione defensionis, & ex firmamento accusationis, iudicij quæstio nascatur oportet: quā nos iudicationem Græci κρινόμενον appellant. Ea constituitur ex coniunctione firmamenti, & rationis definitione, hoc modo: quum dicat Orestes se patris vlciscendi causa matrē occidisse, rectúmne fuerit, a filio sine iudicio Clytemnestrā occidi. Ergo hac ratione indicationem inuenire conuenit. Deinceps cōtrouersiarum aliquot exēpla subijciemus, si prius satis illorū obiectioni fecerimus, qui disputare poterunt, hanc rationem non Iurisconsultorum propriam esse, sed totam ex Rhetorū libris, in quibus tradi hæc præcepta consueuerunt, deprōptam esse: quod vel vno argumento falsum esse cōstabit. Nam si ex tribus constitutionibus, facti, definitionis, & qualitatis, vna illa tantùm quæ facti est, non modò Rhetorum propria, sed etiam a Iurisconsultis alienissima est: in eam autem vnam artificiosa hæc tractatio nō conuenit: in reliquas duas, in quibus solis ius ciuile versatur, conuenit: apparet, non æquo iure, sed vel vi, vel clam, vel certè precariò a Rhetoribus aliquā diu possessam, occupatámque fuisse. Controuersia quæ in iure posita est, aut propter iuris æquitatisque contentionem,

aut

aut propter scripti a nō scripto iure dissensionē nascitur. Nos vtriusque insignia quædam exempla proferemus: quorum similitudine studiosi postea, desumptas ex antiquis scriptoribus controuersias tractare poterunt. Primùm igitur de iuris æquitatisque contentione videamus. Lex est: In priuato iudicio præiudicium publico iudicio ne fiat. Quum ad vim quotidianā faciendam quidam armati venissent, armati cōtra præstò fuerunt, & cuidam æquiti Rom. quidam ex armatis resistenti gladio manum præcidit. Agit is, cui manus præcisa est, iniuriarum. Postulat is qui cum agitur, à prætore exceptionem, extra quam in reum capitis præiudicium fiat. Hic is qui agit, iudicium purum in hæc verba postulat: Si paret Titium iniuriam Sempronio fecisse, tum Titius damnetur.

Ille qui cum agitur, nimirum Titius, exceptionem addi ait oportere, extra quam in reum capitis præiudicium fiat. Intentio: Purum iudicium dādum est. Depulsio: Imò cum exceptione. Quæstio: Excipiendum sit, necne R. Non enim oportet in recuperatorio iudicio eius maleficij, de quo inter sicarios quæritur, præiudicium fieri. Fieret autem hoc iudicio, quia si reus dānaretur, simul eum fuisse sicariū iudicaretur. F At eiusmodi sunt iniuriæ, vt de his indignū sit, nō primo quoque tempore iudicari. D. Atrocitas iniuriarum satisne causæ sit, quare dum de ea iudicetur, de aliquo maiore maleficio, de quo iudicium comparatum sit, præiudicetur, controuersiam iuris & æquitatis contentio peperit. Aliud tamen postea fuisse, patet ex l. 4. D. de publ. iudic. vbi Paulus ait, interdum euenire, vt præiudicium iudicio publico fiat: sicut in actione vi bonorum raptorum, & interdicto vnde vi. atque hoc quidem exemplum ex libro Ciceronis de arte Rhetorica secundo sumptum est. Huius generis illa Sergij Oratæ, & Marij Gratidiani nobilis controuersia est, quam in lib. de Offic. III. & de Orat. I. idem exponit.

Marius Gratidianus, inquit, propinquus noster, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis antè annis emerat. hæ seruiebant (sic enim legendum Æm. Ranconcetus, vir clarissimus, iam pridem vt audio, animaduertit) sed hoc in mãcipio Marius non dixerat. adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Anton. Ius Crassus vrgebat: quod vitium venditor non dixisset, sciens id oportere præstari. æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vẽdidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptũ, qui id quod emerat, quo iure esset teneret. Intẽtio igitur Sergij hæc fuit, Debes mihi vitium, quod in vendendo non dixisti, prẽstare. D nõ debeo Q an debeat. R. Quia vitium illud ignotum tibi non fuit, qui prius ædes mihi vendideras. F. At lex vitium sine exceptione præstari iubet, siue scienti siue ignoranti emptori vendita res sit. quid enim si oblitus essem, aut extinctam eam seruitutẽ putassem? D An venditor vitium, quod in re vendenda non dixit, quamuis id emptor non ignoret, præstare tamen propter ius ita directo scriptũ debeat? Qua in controuersia ius apertè cum æquitate pugnat. Vlpianus autem in l 1. D. de actio. emp. respõdet venditorem si, cùm sciret deberi seruitutem, celauit, nõ euadere ex empto actionem: si modò eam rem emptor ignorauit, quia non videtur esse celatus, qui scit: neque certiorari debeat, qui nõ ignorauit. Sequitur aliud exemplum. Lex est: Quoties culpa debitoris interuenit, perpetuatur obligatio. Titius seruum Ebutio calendis Ianuariis debebat. moram aliquam, mẽsis fortè vnius interposuit post, eum seruum offert Ebutio. hic seruum accipere propter moram factam recusat. Seruus moritur. Intentio Ebutij: debes mihi serui æstimationem D. non debeo Q. an debeat. R. quia quum tibi eum nõ ita multo post suam diem obtulerim, iniquum esset me ob leuem culpã tam graui detrimento

trimento pœnaque affici. F. At lex sine exceptione scripta est, siue parui, siue magni temporis mora interposita sit. D. An quum æquum sit ob leuem culpam non grauem pœnā imponi, tamen quia lex indefinitè scripta est, directò sequenda sit. Hic cum æquitate ius cōtendit apertissime. Ius enim petitor, æquitatem reus vrget. Paulus hac de re consultus in l. si seruum. 91. §. 1. D. de verborum obligatio. Si verò moratus sit tātum, inquit, hæsitatur, an, si posteà in mora non fuerit, extinguatur superior mora. Et Celsus adolescēs scribit, eum qui moram fecit in soluendo Sticho quem promiserat, posse emendare eam moram postea offerrendo: esse enim hanc quæstionem de bono & æquo, in quo genere plerunque sub auctoritate Iuris scientiæ, perniciosè (inquit) erratur. Aliud exemplum Lex est: depositum ei qui deposuit reddatur. Latro spolia mea deposuit apud Mæuium. Vterque nostrûm ea simul repetit. Intentio mea: Hæc res mihi reddenda est. Depulsio prædonis, Imò mihi. Q. vtri reddēda sit. R. quia lex iubet depositum ei qui deposuit, reddi: & mihi qui tecum contraxi, iure obligatus es. F. At æquitas postulat, vt res quæque domino potius quam latroni restituatur. D. An cum lex depositum ei qui deposuit reddi iubeat, tamen quia qui deposuit, prædo est: qui repetit, dominus, melius sit domino quam latroni reddere. Tryphonius in l. bona fides. 31. D. depositi. Et probo, inquit, hanc esse iustitiam, quæ suum cuiq; ita tribuit, vt non distrahatur ab vllius personæ iustiore repetitione. Adhuc earum controuersiārum tractationem exposuimus, quæ ex iuris æquitatisque concertatione nascuntur. Deinceps earum exempla proferemus, quæ ex iuris scripti & non scripti comparatione promanant: quarum copia in libris nostris vel maxima reperitur. Quū enim ex argumentatione cōstet hęc tractatio, null' apud Dialecticos locus est argumētandi, cuius hoc in genere vsus non sit. Exempla

autem qui in promptu cuiuis esse possunt, ea tantum, quorum commemoratio nouitatis aliquid habebit, & iucũditatis, proferemus. Quoniam autem illud Ciceronis & Cornificij perobscurum videtur, neque sine aliqua attentione adhibita intelligitur, illud potissimum exponemus. Ex ratiocinatione nascitur controuersia, quum ex eo quod vspiam est, ad id quod nusquam scriptum est, peruenitur. hoc pacto: Lex, si furiosus est, agnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Et lex Paterfamilias vti super familia, pecuniaque sua legassit, ita ius esto Et lex: Si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque eius agnatûm gentiliumque esto. Quidam iudicatus est parentem occidisse, & statim quòd effugiendi potestas non fuit, ligneæ soleæ in pedes inductæ sunt: os autem obuolutum est folliculo, & præligatum. Deinde est in carcerem deductus, vt ibi esset tantisper dum culeus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam eius familiares in carceré tabulas afferunt, & testes adducunt. Hæredes, quos ipse, scribunt. Inter eos qui hæredes in tabulis scripti sunt, & inter agnatos, de hæreditate controuersia est. Hic certa lex, quæ testamenti faciendi iis qui in eo loco sint, adimat potestatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, & quæ hunc ipsum supplicio huiusmodi afficiunt, & quæ ad testamenti faciendi potestatem pertinent, per ratiocinationem veniẽdum est ad eiusmodi rationem, vt quæratur habueritne testamenti faciendi potestatem. Intentio agnatorum, nostra pecunia est, de qua is cuius agnati sumus, testatus non est. D. Imò mea. Q. Vtrius sit. R. Nõ enim intestatus Malleolus decessit, sed ritè legitiméque testamentũ adhibitis testibus dictauit F. At cũ damnato, & in carceré coniecto ligneæ soleæ in pedes inductæ sunt, is iã sicut furiosus, extra potestatem est. Vt igitur furiosi testamentum nullum est, sic nec huius quidem: in quo
ratio

ratio iuris par similisq; omnino est. D. An damnatus, & in vincula coniectus, quia extra potestatem suam est, sicut furiosus testamenti faciendi potestatem nihilominus magis quam furiosus habeat. Qua in cōtrouersia, vt apparet, a similibus ducta argumentatio est: quum tota argumentatio ex iuris scripti ac non scripti comparatione nascatur. quanquam ex pandectarum iure nihil iam propter bonorum publicationem ea res dubitationis habeat l. si quis. 9. & l. qui a latronibus. l. 3. D de testamē Eiusdem modi quæstio illa fuit nobilis, de qua Princeps ciuitatis Scęuolam, Maniliū & Brutum dissensisse, lib. de finib. 2. testatur: an partus ancillæ in fructu habendus sit. A similibus enim, aut paribus potius atque item differentibus, argumentatio sumebatur, hoc modo: Lex est, Fructum omnem qui percipi ex animalibus potest, fructuarius capito. Quum ex ancilla puer natus esset, fructuarius eum retinebat. Intentio proprietarij: Hic puer meus est. Depulsio fructuarij: Imò meus. Q. Vtrius sit. R. Quia sicut in cæteris omnibus animalibus fœtus in parte fructus numeratur: eodem modo ancillæ partus in fructu numerandus est. F. At non vt fœtus pecorū, sic partus ancillarum in fructu est alius enim est pecorum, alius ancillarum fructus. nam pecudum fructus vt suum, plurimùm in sobole & progenie est positus: mulierum autem, in ratione, hoc est, artificio, industria, solertia operis ac diligentia: nec mulierum exercendarum fructus vnquam in sobole procreanda constitutus est. hoc enim cum bestiis commune habent. ex ea igitur re illarum fructus æstimatur, ac censetur, qui ipsarum est proprius ac singularis: & quo cæteris animantibus antecellunt, nimirum ex industria & opera Disceptatio nascitur ex conflictione argumētationum: fructuarij qui a paribus, & proprietarij qui a differentibus disputabat: an quum fœtus pecorū in fructu sit, tamen quia dissimilis ratio est hominum & peco-

ipsum quum scriptura à sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui, quod tum explicatur, quũ verba quę desunt suggesta sunt: quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse. Eiusmodi controuersia illa est, an res empta & tradita, emptoris tamen non sit, antequam precium persoluerit: de qua Iurisconsulti in l. quod vendidi. 19. D. de contrahenda empt. & l. procuratoris. 5. §. sed si dedi. D. de trib. actio. Lex est: Res legitimè vendita & tradita, emptoris esto. Vendidi domum Sempronio, eidémque tradidi. Quũ pretium non soluisset, alius autem quispiam aliquanto maius offerret, repetere voluit. Intentio: Hæc domus mea est. D. Imò mea. Q. vtrius sit. R. Quia vendita mihi abs te, atque tradita est. F. At nec precium soluisti, nec eo nomine satisfecisti. D. An res védita, quamuis tradita, tamen ante pretium persolutum, emptoris non sit Respondetur, non esse. d. l. quod védidi. D. de contrahen. emp. Constitutio de rescripto nata est: propter regulam, Legitimè res vendita & tradita emptoris esto. Quæsitum est enim, legitimè ne védita res esset: quod negatur. Ex quo intelligi debet, non contractum venditionis, sed συνάλλαγμα, id est, permutationem & æquabilitatem rei cum precio dominium transferre. Item Sextianæ causæ status definitionis est. Lex est: Qui vim publicè fecerit, pœnas luito. P. Sextius, vt lex de Cicerone reuocando perferri posset, nec vi a Clodianis impediretur, præsidium armatorum hominum habuit: cúmque iis etiam pugnauit. Accusatur a M. Albinouano. Intentio: Vim fecisti. D. Non feci. Q. an fecerit? R. Quia vim facere, est manum alicuius oppugnandi causa parare. At ego nó necandi cuiusquam, sed salutis meæ tutandæ causa præsidium habui. F. Imò vim facere est, quacunq; de causa homines armatos habere. Vimne is fecerit qui suæ tantùm salutis tuendæ causa, præsidium armatorum hominum in foro habuerit. Aliud exemplũ ex Gellij lib. 1.

lib. v. cap 10. Euathlus adolescens diues eloquentiæ discendæ causarúmque orandi cupidus fuit. Is in disciplinam sese dedit Protagoræ, daturumque promisit mercedem grandem, pacuniam quantam Protagoras petiuerat. Dimidiumque eius dedit iam tunc, statim prius quum disceret. Pepigitque vt reliquum dimidiũ daret, quo primo die causam apud iudices orasset, & vicisset. Postea quum diutulò auditor assectatórque Protagoræ fuisset, & in studio quidem facundæ abundè promouisset. causas tamen non reciperet, tempúsque iam longum transcurreret, & facere id videretur, ne reliquum mercedis daret, cepit consilium Protagoras, vt tum existimabat, astutum. Petere instituit ex pacto mercedem. Litem cum Euathlo contestatur. Et quum ad iudices coniiciendæ consistendǽque causæ gratia venisset, tum Protagoras sic exorsus est. Disce, inquit, stultissime adolascens, vtroq; id modo fore vt reddas quod peto: siue contra te id pronũciatum erit, siue pro te. Nam si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero: sin verò secũdum te iudicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Euathlus, Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obuiam, si verba non ipse facerẽ, sed alio patrono vterer. sed magis mihi in ista victoria proludium est, quum te nõ in causa tantùm, sed in argumento quoque isto vinco, Disce igitur tu quoque magister sapientissime, vtroq; modo fieri, vt non reddam quod petis: siue contra me pronunciatum fuerit, siue pro me. Nam si iudices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero: sin contra me pronunciauerint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. Tum iudicet dubiosum hoc inexplicabiléque esse, quod vtrinque dicebat, rati, ne sententia sua vtramcúque in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem iniudicatam reliquerunt, causamque in diem longissimam distu-

lerunt. Sic ab adolescente discipulo, magister disciplina eloquentiæ inclytus, suo sibi argumento confutatus est, & captionis versutè excogitatæ frustratus est. Hæc Gellius. Nos autem, quid hac de re dici possit, videamus. Intentio rhetoris hæc esto: Debes mihi reliquam mercedem: quippe sic institutus, vt iampridem causam, si velles, obtinere potuisses. D. Non debeo. Q. An debeat? R. Quia solutio collata est in tempus primæ victoriæ. Nondum autem vllam causam obtinui. F. At iampridem tempus fuit, quum eam, si conari velles, obtinere potuisses. quoniá igitur per te stat quominus obtineas. D. An solutio quæ collata est in tempus eius facti, quod in promissoris potestate situm est, mora per eum commissa debeatur. Respondetur, deberi. ex l. si ita stipulatus. 14. l. si insulam. 84. l. si continuus. §. item qui insulam. D. de verbo. obliga. Constitutio est ex ambiguo scripto. quæritur enim, vtrũ hæc locutio, quum id feceris hoc significet, quum reuera ad factum reddideris: an potius, quum id facere potueris, nec feceris tamen. Aliud exemplum. Lex est: Qui maiestatem minuerit, pœnas luito. Q. Cæpionis procõsulis temeritate maxima clades accepta erat: Norbanus Trib. pleb. legem tulit. vt ei imperium abrogaretur, accersitur maiestatis. I. maiestatem minuisti. D. Non minui. Q. An minuerit. R. Quia populi Rom. dolor iustus, vim tum illam excitauit, nõ Tribuni actio. Maiestas autem, quoniam est magnitudo quędam populi Rom. in eius potestate ac iure retinẽdo, aucta est potius quàm diminuta. F. Imò maiestas est imperii, atque in omni populi Roma dignitate. quam minuit is qui ad vim multitudinis rem ea seditione vocauit. D. Minueritne maiestatem, qui voluntate populi Rom. rem gratam & æquam per vim egerit. Hoc autẽ exemplum ex Ciceronis partitionibus sumptum est. sed optimum exemplum profertur ab eodem libro de Inuentione. An pupillaris substitutio vulgarem tacitè.

ac vi ipsa contineat. Mæuius hæredem fecit, eíque pupillariter substituit, hoc modo: Filius meus heres esto: si filius meus autem antè moriatur quam in tutelam suam venerit, Titius hæres esto. Dum pupillus hæres est, bona quædam aduentitia, hoc est aliunde quam à patre, ei obueniant fortè: quia hæreditates ei ab amicis vel legata relinquuntur, donationésve quædam in eum conferuntur. His auctus opibus, ante pubertatis tempus, & dum adhuc pupillus est moritur. itaq. committitur, id est, locum habet substitutio: verum de aduentitiis illis bonis, veluti de hæreditate ea quæ pupillo venit, inter Titium, qui patris pupilli hæres secundus est, id est, substitutus, & inter agnatos pupilli controuersia est. Possessio secundum tabulas Titio a prætore data est. Intentio est agnatorum: Nostra pecunia est, de qua Mæuius, cuius agnati sumus, testatus non est. Depulsio est: Imò mea, qui hęres secundus testamēto patris sum factus. Quæstio est, vtrum sit? Ratio est: Pater enim & sibi & filio testamentum scripsit, dum is pupillus esset: quare quæ filij fuerunt, testamento patris mea fiant necesse est. Infirmatio est rationis: Imò pater sibi scripsit, & secundum hæredem non filio, sed sibi iussit esse. Quare præterquam quòd ipsius fuit in testamento, vllius vestrûm esse non potest. iudicatio: possítne quisquā de filij pupilli re testari: ad hæredes secundi ipsius patrisfamilias, nō filij quoque eius hæredes pupilli sint. Atque hoc non alienum est, quod ad multa pertineat, ne aut nusquam, aut vsquequaq; dicatur, hic admonere. sunt causæ quæ plures habent rationes in simplici constitutione: quod fit, quum id quod factū est, aut quod defenditur, pluribus de causis rectum aut probabile videri potest: vt in hac ipsa causa. supponatur enim ab hęredibus hęc ratio: Vnius enim pecuniæ plures dissimilibus de causis hæredes esse non possunt: nec vnquam factum est vt eiusdē pecuniæ alius testamēto, alius lege hæres esset. Infirma-

tio hæc erit: Non est vna pecunia, propterea quòd altera iã erat pupilli aduentitia: cuius hæres non illo in testamento quisquam scriptus erat, siquid pupillo accidisset: & de altera patris etiam nunc mortui volũtas plurimum valebat, quæ eam mortuo pupillo suis hæredibus concedebat. Iudicatio est, vnáne pecunia fuerit. Ac si hac vsi erunt infirmatione, posse plures esse vnius hæredes pecuniæ dissimilib^9 de causis: de eo ipso iudicatio nascitur, possíntne eiusdem pecuniæ plures dissimilibus generibus hæredes esse? Eiusmodi cõtrouersia illa est, de qua Iauolenus scribit in l. paterfamil. 28 D. de rebus aucto. iudi. possid. vbi pupillus, cui substitutum à patre fuerat, paterna quidem hæreditate se abstinebat aduentitiam autem amplectebatur. Et cũ eius impuberis mortui substitutus hæres esset, quærebatur an idcirco creditoribus paternis actio in istum danda esset, quòd vnum esset testamentum. Respondetur autem, eo non dari, quia duæ sunt hæreditates inter se dissimillimæ, diuersissimisque ex fontibus promanantes. Huius etiam generis controuersia fuit Luctatij consulis, prætoriisque Valerij, cui iudex Calatinus additus est. Luctatius consul & Q. Valerius pretor circa Ciciliã insignem pœnorum classem deleuerant, quo nomine Luctatio cõsuli triumphum Senatus decreuit. Quum autem Valerius sibi eum quoque decerni desideraret, negauit ie fieri oportere Luctatius, ne honore triumphi minor potestas maiori æquaretur. pertinaciusque propressa cõtentione, Valerius sponsione Luctatium prouocauit, nõ se petiturum triumphum, ni suo ductu Punica classis esset oppressa: nec dubitauit restipulari Luctatius. Itaque iudex inter eos conuenit Attilius Calatinus. apud quem Valerius in hunc modum egit: Consulẽ ea pugna in lectica claudum iacuisse, se autẽ omnibus imperatoriis partibus functum. Tunc Calatinus, prius quam Luctatius causam suã ordiretur. Quæro, inquit, Valeri a te, si dimicandum,

candum, néene esset, contrariis inter vos sententiis dissedissetis, vtrum quod consul, an quod prætor imperasset, maius habiturum fuit momentum? Respondit Valerius, non facere se controuersiam, quin priores partes consulis essent futuræ. Age deinde, inquit Calatinus, si diuersa auspicia accepissetis, cuius magis auspicio staretur? Item respondit Valerius, Consulis. Iam me herculè, inquit, quum de imperio & auspicio inter vos disceptationem susceperim, & tu vtroq; aduersarium tuum superiorem fuisse fatearis, nihil est quod vlterius dubitem. Itaq; Luctati quamuis adhuc tacueris, secūdum te litem do. Controuersia igitur ex Ductus verbo nata est. Sponsio est enim, Ni ductu suo, &c. Intẽtio, ductu meo Punica classis deuicta est. Ego enim solus, te claudo in lectica iacente, Imperatoris officio sum functus. D Imò mea. Q. Vtrius ductu gesta res sit. R. Quia meo imperio atque auspiciis, non autem tuis, gesta res est. Ductu autem eius geri res dicitur, cuius auspiciis, imperioq; geritur. F. Imò eius, qui, quum scilicet in Imperio sit, ducis partes, altero iacẽte, fortiter ac prosperè administrat. D. Eiúsne magistratus ductu geri res dicatur, qui dum maior magistratus, cuius imperio & auspiciis res gerebatur, iaceret, solus Imperatoris partibus est functus? Atque hoc quidem exemplum ex Maximo descripsimus. Sequitur alterum ex Cicerone. Lex: Qui in aduersa tempestate nauim reliquerint, omnia amittunto: eorum nauis & onera sunto, qui in naui remanserint. Duo quidam, quum iam in alto nauigarent, & eorum alterius nauis, alterius onus esset, naufragium quendam natantem, & manus ad se tendentem animaduerterunt: misericordia commoti nauim ad eum applicauerunt, hominem ad se sustulerunt. Posteà aliquanto ipsus quoque tempestas vehementius iactare cœpit, vsque adeò vt dominus nauis, cùm idem gubernator esset, in scapham confugeret, & inde funiculo, qui à

puppi religatus scapham annexa trahebat, naui quoad posset moderaretur: ille autem cuius merces erant in gladium in naui ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum accessit, & naui, quoad potuit, est stipulatus. Sedatis autem fluctibus, & tempestate iam commutata, nauis in portū prouehitur. Ille autem qui in gladium incubuerat, leuiter saucius, facile est ex vulnere recreatus. Nauim cum onere horū trium suam quisque esse dicit. Hic omnes scripto ad causam accedunt, & ex nominis vi nascitur controuersia. Nam & relinquere nauem, & remanere in naui, denique nauis ipsa quid sit, definitionibus quæritur. Hæc Cicero lib. de arte Rhetorica secundo. Lis autem hæc primùm inter naufragium & nauis dominū constituatur. Intentio naufragi: Hæc nauis mea est, qui eam oborta tempestate nunquam reliqui, sed ita gubernaui vt eam ad portum perducerem. D. Imò mea. Q. Vtrius sit. R. Quia non reliqui nauim, sed cùm in scapha essem, ei quoad potui sum moderatus. Relinquere autem nauim est, eius tutelam & gubernationē prorsus deserere, eiúsque adiuuandæ facultatem abiicere. F. Imò relinquere nauim dicitur, qui è naui fugit, ne eadem ruina simul cum ipsa naui opprimatur. Reliqueritne nauis is, qui cum ex ea in scaphā confugisset, ei quoad potuit moderatus est. Responderem, reliquisse: cùm finis legis sit, prouidere vt naui quam plurimum adiumenti præsto sit. Atque hæc quidem de naufragi, & domini controuersia. Sequitur altera de nuafrago & mercatore. Intentio naufragi est eadē quæ superior: Hæc nauis mea est. Depulsio mercatoris: Imò mea. Q. Vtrius sit. R. quia non reliqui nauim, sed in ea permāsi. nauim autem relinquere est, ab ipsa discedere. F. Imò nauim relinquere est, curam & tutelam eius penitus ex animo deponere. Quid enim interest, vtrū ex naui descendas, an eam susque deq; feras; tu verò non modò nouis, verùm etiam tuæ salutis conseruan

conseruandæ animum despondisti. D. Reliqueritne nauim is, qui quum in ea manserit, animum tamen non modò nauis, sed etiam suæ ipsius salutis tuendæ abiecerit? Responderem, reliquisse. finem enim legis fuisse, vt naui quam plurimum præsidij adiumentique conseruaretur. Atque hæc quidem de scripti ambiguitate dicta sint. Ex scripti autem sententiæque contentione tum oritur controuersia, quũ, vt Cicero ait, alter verbis ipsis quę scripta sunt nititur, alter ad id quo scriptorem sensisse dicet, omnem adiungit dictionem. qua in quæstione ea nobis diligenter tenenda regula est, quam Marcellus tradit in l. 69. D. de legat. lib. tertio. Non aliter a significatione verborum recedi oportere quam quum manifestum est aliud sensisse testatorem. Huius autẽ quæstionis exemplum è causa Curiana Cicero protulit: Paterfamilias quum liberorum nihil haberet, vxorem autem haberet, in testamẽto ita scripsit: Si mihi filius genitus fuerit, vnus, pluréive, is mihi hæres esto. Deinde quæ assolent. Postea, si filius antè moritur, quàm in tutelam suam venerit, tu mihi, dicebat, secundus hæres esto. Filius non est natus. Ambigunt agnati cum eo qui est secundus hęres, si filius antequã in tutelam veniat, mortuus sit. hęc ille. Nos rem omnem instituto nostro explicare conabimur Coponius testatur. Posthumũ hęredem instituit: eique, si ante tutelæ suæ annos decederet. M. Curium substituit. Posthumus nõ est natus. M. Coponis hæres legitimus ad se pertinere hæreditatem contendit Possessio substituti est. Intentio Coponi: Hæc hæreditas mea est, qui nõ aliter substitutus est, quam si pupillus moreretur. mortuus autem non est, quippe qui nunquam est natus D. Imò mea Q. Vtrius sit? R. Quia voluntas testatoris non ex verbis ac literis, sed ex mente ipsius æstimanda est. mẽs autem hæc fuit, si nõ nasceretur sibi filius, qui pubertatem attingeret. I. At verba testatoris mentem ostendunt: nimi-

rum, vt natus sibi filius pupillus, alienaque tutela positus, decederet. D. Atqui posthumo, si is impubes moriatur, substituit, eo etiã non nato substitutionem valere voluisse videatur? Controuersia ex scripti ac volũtatis contentione nata est. Itaque hac de caussa Crassus libr. de Orat. 1. commemorans, Scęuolam qui substitutum defendebat, scribit ex scripto testamẽtorum iura defendisse: negasseque, nisi posthumus & natus, & antequam in suam tutelam venerit, mortuus esset, hæredem eum esse posse, qui esset secundum posthumum & natum, & mortuum, hæres institutus. Ego verò, inquit, defendebam hac eum mente fuisse, qui testamentum fecisset, vt si filius non esset qui in tutelam veniret. M. Curius esset hæres, quod cẽtumviri defendente Crasso iudicarunt. Ornatè (inquit Cicero in ea pro Cæcina) & copiosè L. Crassus, homo longè eloquẽtissimus, paulò antequam nos in forum venimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit, & facilè, quum contra eum prudentissimus homo. Q. Mutius diceret, probauit, omnibus. M. Curtium, qui hæres constitutus esset ita, Mortuo posthumo filio, quũ filius non modò non mortuus, sed ne natus quidẽ esset, hæredem esse oportere. Atque hanc ipsam cõtrouersiam Cicero & in Bruto, & in 11. de Oratore eo quẽ exposui modo tractat. Potest autem etiam hoc tractari modi, & paulò (vt mihi videtur) ad Iuris ciuilis disciplinam accommodatius: vt quum possessio Coponij agnati sit, petitio M. Curij substituti, ratio a Coponio subiiciatur hæc: quia qui pupillariter substituitur, non testatori, sed pupillo hæres attribuitur: cum autem pupillus nullus fuerit, hæres esse ei qui potest. Firmamentum Curij: at qui substituit, quocunq; modo substituat, eo semper animo est, vt quicunq; euentus substitutionis futurus sit, tamẽ substitutum malit quam agnatum suum sibi hæredem esse. Itaque non formulæ verba, sed testatoris voluntas sequãda est. D.

An quam

An quũ pupillariter substituens verbo & formula pupillo substituit, re tamen malit hæreditatem suam ad substitutũ, quam ad agnatum, quo poterit modo, peruenire. Quæ controuersia Veri & Marci constitutione sublata est: qua cauetur, vt etiam pupillari substitutione vulgaris contineatur: id est, vt qui dicit, si hæres sit, & impubes moriatur, dicere etiam videatur, si hæres non sit. Sequitur alterũ exemplum. Lex est: Seruus, quem dominus pro libero habere voluerit, liber esto. Venalutij quum Brundusij gregem venalium è naui educerent, formoso ac precioso puero quod portitores verebantur, bullam & prętextam togam imposuere, facilè fallaciam celarunt. Romam venitur, res cognita est: petitur puer, quòd domini voluntate fuerit liber in libertate. Hæc Sueton. Tranq. in lib. de clar. Rhetoribus. Intentio assertoris, Hic puer liber est, qppe quem pro libero habuisti D. Imò seruus meus est. Q. Vtrum liber, an seruus sit? R. Quia temporis tantũ causa id feci, vt portitorum auaritiam vitarem. F. At quacunque ratione feceris, tamen eum pro libero habuisti, haberiq; voluisti. D. An seruus, quem dominus temporis tantùm causa pro libero haberi voluit, cuique idcirco libertatis tradidit, liber sit. quod quoniã ad disceptandum perquam difficile est, propterea Imperator Alexander rescripsit, voluntatis quæstionem in æstimatione iudicis esse. l. 7. C. de fideicomm. cuius rei exemplum extat in l. 2. non aliter. 69. de legatis iii. Alterum exemplum. Lex est. De reo septem iudices cognoscunt, eaque sententia sit rata quam plures ex eo numero dixerint. Quum septem iudices cognouissent, duo censuerunt reum exilio multandum: duo alij pecunia: tres reliqui capite puniẽdum. Petitur ad supplicium ex sententia trium iudicum, & contradicitur. Hæc Gellius lib. ix. cap. xv. Intẽtio: Duci te ad supplicium ex plurium iudicũ sententia oportet. D. Non oportet. Q. An oporteat? R. Quia lex de bipartita sẽ-

tùm sententia, duabusque iudicum partibus sensit. nā antiquitùs pœna lege constituta erat. Iudices vel videri, vel non videri fecisse iudicabunt. F. Imò scripta lex est de pluribus indefinitè. Itaque quotcunque sententiarum genera fuerint mihi interest. semper enim maiori parti standum est. D. Vtrum lex scripta de certo iudicum numero, si plurium sentētias ratas esse iubeat, de duabus tantùm, an etiam de pluribus partibus intelligenda sit. Alterum exemplum. Lex est: Vir fortis præmio, quod optauerit, donetur. Qui fortiter fecerat, petiit alterius vxorem in matrimonium, & accepit: Is deinde cuius ea vxor fuerat, fortiter fecit, repetit eandem, contradicitur. Petitoris intētio: Si placet lex, redde, si non placet, redde. Rei defensio: Si placet lex, non reddo: si non placet lex, non reddo. Hæc Gellius lib. ix. c. xvj. Intētio: Hæc mulier mihi pro præmio debetur. D. Non debetur. Q. An debeatur? R. Quia qđ prēmiū forti viro lex attribuit, id ei perpetuò relinqui voluit, ne incertū & breue præmium esset. F. Attamen indefinitè scripta est: vt quicquid optarim habeam: nec distinxit ab ignauo vel a forti. D. An præmium semel forti viro datum, pòst alteri forti postulanti concedi propter præmiorum incertam & instabilem rationem non oporteat. Exposui de scripti & voluntatis comparatione: nunc ad contrarie scripta disputationem traducimus, si modò Quintiliani locum insignum ad hoc caput pertinentem, ex libri VII. capite VI. subiecerimus: Scripti, inquit Fabius, & voluntatis frequentissima inter Cōsultos quæstio est, & pars magna controuersiæ iuris hinc pendet: quo minus id in scholis accidere mirum est, vbi etiam ex industria fingitur. Eius genus vnū est, in quo & de voluntate quæritur. Id tum accidit, quum est in lege aliqua obscuritas, & in ea aut vterque suam interpretationem confirmat, aut aduersarij subuertit, vt hic: Fur quadruplū soluat. Duo surripuerunt pariter decem millia petuntur ab

tuntur ab vtroque quadragena. illi postulant vt vicena conferant: nam & actor dicit hoc esse quadruplum quod petat, & rei hoc quod offerant. voluntas quoq; vtrinque defenditur. Aut cum de altero intellectu certum est, de altero dubium. Ex meretrice natus, ne concionetur. Quæ filium habebat, prostare cœpit. prohibetur adolescens concione. Nam de filio eius, quæ ante partum meretrix fuit, certum est: an de eadẽ huius causa sit, dubium est: quia ex hac natus, & hæc meretrix est. Solet & illud quæri: quò referatur quod scriptum est, Bis de eadem re ne sit actio: id est, hoc Bis ad actorem, aut ad actionem. Hæc ex iure obscuro. Alterum genus est ex manifesto, quod qui solum viderũt, hunc statum plani & voluntatis appellauerũt. In hoc altera pars scripto nititur, altera voluntate. Ex cõtrariè scriptis controuersia constat, quum (vt Cornificius ait) alia lex iubet, aut permittit, alia vetat quidpiã fieri: vel (vt Cicero scribit) quũ inter se duę videntur leges, aut plures discrepare, hoc modo: Lex, Qui tyrannum occiderit, quam volet sibi rem a magistratu deposcito, & magistratus ei cõcedito. Et altera lex, Tyranno occiso quinque eius proximos cognatione magistratus necanto, Tyrannum vxor sua nocte, quũ simul cubaret, occidit. hæc filium suum, quem ex tyranno habebat, sibi præmij loco deposcit. sunt qui ex lege puerum dicant occidi oportere. Res in iudicio est. Intentio matris: hic filius mihi pro præmio debetur. D. Non debetur. Q. An debeatur. R. Quia lex eum iubet interfici. F. At hęc lex ab altera modificatur: qua si exceptio adiecta sit, nisi aliquem eorum percussor pro pręmio popolcerit. D. An quum duæ leges cõtrariè scriptæ reperiuntur, altera si fieri possit, per alterã modificanda sit. Exemplum eiusdem generis extat etiam apud Paulum in l. Nesennius 34. D. de negot. gestis. Auia nepotis sui negocia gerens, quum alimenta ei decerni non postulasset, eum tamen aluit. In ratio-

nibus reddendis, imputari alimenta volebat. Intentio: Alimenta nepoti a me præstita, in rationes imputari oportet. D. Non oportet. Q. An oporteat? R. Quia quum neque postularit vt alimenta decernerentur, neque decreta sint, verisimile est eam de suo præstitisse. Mater autem quæ de suo præstitit, non imputat. F. At illa patrimonium nepotis administrabat: vnde verisimile est: ex eo potius alimenta illa præstita fuisse. Disceptatio ex contrariis verisimilitudinibus nasci, quarum alter est, quod nec postulauit vt alimenta decernerentur, nec decreta sunt: altera, quòd nepotis patrimonium administrans, ex eo quod nepoti necessaria erant, depromere videretur An auia sua sponte ac sine decreto alimenta nepoti pręstans, qui patrimonium ipsius administrabat, non de suo, sed de nepotis patrimonio ea pręstitisse videatur, Alterū exemplum. Lex est: Vt eius quęque species sit, qui eam effecit. altera, Quod nostrum est, fieri alterius sine facto nostro non potest. Septimius ex tabulis Octauij nauem ædificauit. Hanc Octauius suam dicit esse. Intentio: Hæc nauis mea est, quippe ex tabulis, quę meæ sint, confecta. D. Imò mea. Q. Vtrius sit? R. Quia lex eius esse speciem quanque vult, qui eam potest esse tabularum, alter nauis dominus. Quum autem tabulæ meæ sint, nec sine meo facto alterius fieri possint, lex superior ex posteriore intelligenda est quasi adiecta sit exceptio, nisi ex aliena materia species facta sit. D. An ea demum species effectoris sui sit, qui suam ex sua materia effecit. quòd ex aliena materia facta sit, eius sit qui materiæ est dominus. Respondetur, semper speciem effectoris esse, siue ipsius, siue aliena materia fuerit, nec legem alteram obstare, propterea quòd extincta materia intelligatur. L. Minutius. 6. D. de rei vindica. l. 7 §. 5. D de acquir. rer. domi. Atque hinc nobilis illa Sabinianorum & Proculianorū controuersia nascitur, de qua iisdem in locis disputatur.

Praxiteles

Praxiteles ex ære meo ſtatuam Mercurij fecerat. mea intẽtio hæc eſt: hæc ſtatua mea eſt, quippe ex mea materia confecta. D. Imò mea. Q. Vtrius ſit? Ratio Proculianorum, qui cauſam efficientem ſpectabat: quia lex ſpeciem eius eſſe vult, qui eam effecit. Firmamentum Sabinorum, qui cauſam ſine qua non, vrgebant. Et meum æs, ſine meo facto, fieri tuum non potuit. quære lex illa ſic accipienda eſt, an ex aliena materia ſit facta. D. An ſpecies ex aliena materia facta, eius ſit cuius eſt materia Caius eò tandem ventum affirmat, vt diſtingui res debuerint: aut enim res ad priſtinam materiam reduci poſſe, veluti ſi ex ære, aurove metallo facta ſit: aut non poſſe, veluti ſi ex marmore, vel ebore, vel ſaxo: ſi nõ poſſit, fore ſtatuarij: ſi poſſit, domini materiæ. Cuius opinionis hanc opinor eſſe rationẽ, quia ſi reduci poſſet, materia videretur quodãmodo a ſpecie ſeparari poſſe vel (quod planius eſt) prior ſpecies extincta eſſe non videretur, vt in tabulis, vel marmore, ſed ſopita tantùm. At Fran. Connanus Iuriſconſultus doctiſſimus, id quaſi ſine ratione cõſtitutum repudiat, mauultque rei præſtantiam ſpectari: vt ſi plus ſit in manus precio, materia. Quid igitur ſi par vtriuſque ratio? ſit nimirum Connani ratione, communis erit ſpecies. Sed in eo vir eruditiſſimus fallitur, quòd in hiſce rebus quantitatem ſpectandam putat, quum in ſpeciebus qualitas conſiderari ſola poſſit: quam ſolã ſpectari in hac re Paulus apertiſſimè tradit in l. ſed ſi meus. 26. de acquirend. rer. domi. Videamus tamen, ecquid iſta tota controuerſia verius hoc modo diſceptari poſſit, ſi dicamus, ſpecies ex his rebus factas quæ in ſuo genere functionem recipiunt, idcirco effectoris eſſe, quia quemadmodum aliæ res redduntur, eædem ipſæ reddi videntur factæ ex aliis, ideo eiuſdem eſſe, quia materia ſuo domino perit, abſque l. Mulieris 13. de verb. ſignif. l. quid tam. 10 § 3. D. quemadmodum vſufruct. amitta. eò iure vindicare eam non poteſt. Sed hæc in

L

Institutionibus vberius. Nunc exemplum è Ciceronis Partitionibus subiiciemus, vt mox ad verbi controuersias, quod è tribus propositis extremum est, peruenire possimus. C. Gracchus seditioso Tribunatu acto, quú Auentinum armata quoque multitudine occupasset, à Q. Opimio consule ex S.C. vocato ad arma populo pulsus, interemptus. L. Opimius accusatur maiestatis apud populum a Q Decio Tribuno pleb. quod indemnatum ciuem necarit. Oritur ex contrarie scriptis controuersia. Lex enim Porcia ciuem indemnatum necari vetat. Senatusconsultum autem factum erat, Viderent Coss. ne quid Respubli. detrimenti caperet. Intentio: Iniuria, & contra legem Porciam Gracchú occidisti. D. Iure occidi. Quæstio, Iuréne, an iniuria occiderit? R. Salutis enim omnium & Reipubli. conseruandæ causa feci. F. At ne sceleratissimum quidem ciuem sine iudicio, iure vllo necare potuisti. D. Potuerit ne rectè salutis Reipubli. causa ciuem euersorem ciuitatis indemnatum necare? Respondetur, propter Senatuscon. posse. legi enim Porciæ per senatusconsultum derogari.

Ex verbo nascitur controuersia, quum obscurum & ambiguum scriptum pronunciatúmve verbum est. Quod genus (vt ait Cicero) non argumentando tractatur, sed tanquam explicando excutiendoque verbo. Veluti quum quæritur quid sit penus, quid ruta cæsa, quid instrumentum, de quo ipso exemplum ex Seruio Iurisconsul. proferemus. Instrumentum quidam omne Titio legauit. eo mortuo, frumentum quod cultorum cibariis paratum erat, Titius petit. Intentio: Debes mihi hoc frumentum. D. Non debeo. R. An debeat? R. Quia instrumentum est, apparatus rerum diutius mansurarú, sine quibus exerceri possessio non potest: frumentum autem consumitur. F. Imò instrumentum est quodcunque ad colendum agrum pertinet. Cultorum autem sine cibariis nullus est vsus. D.

An instrumenti legato, cibaria cultoribus parata contineantur. Seruius & Vlpianus contineri respondent, in l. quæsitum. 12. de instit. vel insti. Ad verbi controuersiam, illa quoque militis causa pertinet, de qua Cicero lib. de Orat. primo. his scribit verbis: Quæ potuit igitur esse causa maior, quam illius militis. de cuius morte quum domum fallus ab exercitu nũcius venisset, & pater eius re credita testamentum mutasset, & quē ei visum esset, fecisset hæredem, essetque ipse mortuus, res delata est ad Centumuiros. quum miles domum reuenisset, egissetque in hæreditatem paternã? Nempe in ea causa quæsitum est de iure ciuili, possétne paternorum bonorum exhæres esse filius, quem pater testamento neque hæredem, neque exhæredem scripsisset nominatim. Hæc Cicero. verba autem hæc, quæ passim eo in loco adiiciuntur, Testamento exhęres filius, interpretis esse constat, & quidem imperiti. Intentio enim militis hæc fuit: Testamentum patris nullius momenti est quippe in quo ego filius sum præteritus D. Imò valet. Q. An valeat? R. Quia præteritus non dicitur is, quem pater exhæredem esse voluit, te verò exhæredatum voluisse constat ex eo, quia quum superius testamentum in quo exhęredem te fecerat immutauit, nullam tui in posteriore mẽtionem interposuit. F. At tamen exhæredem me nominatim etiam in posteriore fieri oportuit. Præteritus enim dicitur, qui nominatim institutus, vel exhæredatus non est. l. 1. 2. & 3. D. de libe. & posthum. D. Possétne paternorum bonorum, &c. vel hæc potius, præteritúsue dicatur is, qui nominatim exhæredatus non est, quum superius testamentum in quo exhæredatus erat, sit immutatum. Qua de re Paulus scribit in l. Titius. 25. D. de libe. & posthum. Vlpianus verò l, si instituta. 27. in fine. D. de inofficio. De testamento matris, inquit, quæ existimans periisse filium, alium hæredem instituit, de inofficioso quæri potest. Ex eodem genere cõ-

trouersia inter Demosthenem & Midiam nata est. Lex enim erat: Impietatis conuictus rei capitalis damnetur. Midias Demostheni curatori ludorum, qui in Bacchi honorem committebantur, palam in oculis conspectuque omnium colaphum impegit. accusatur rei capitalis Intentio Demosthenis: Rei capitalis damnandus es: quippe ἀσελγέας siue ἀσεβείας conuictus. D. Non sum, sed ὕβρεως, id est, contumeliæ duntaxat. Q. Vtrius sit damnandus? R. Quia impietas est, contumacia in Deum, iuncta cum contumelia. Ego verò non Deo, sed Demostheni contumeliam feci. F. imò impietas est, diis habitum honorem, & eius honoris ministrum, quasique sacerdotem violare. D. An impietatis nomine iniuria ministro curatorique diuinorum ludorum facta contineatur? Alterum exemplú Æstiuo tempore adolescentes vrbani, quum Ostium venissent, litus ingressi, piscatores trahentes rete adierunt, & pepigerunt, bolum quāti emerent, numos soluerunt, diu expectauerunt, dum retia extraherentur. aliquando extractis piscis nullus infuit, sed sporta auri obsuta: tum emptores bolum suum aiunt. Hæc Suetonius in libello de claris Rhetoribus. Intentio adolescentum: Hec præda nostra est, qui bolum futurum emimus. Depulsio piscatorum: Imò nostra. Q. Vtrorú sit R. Quia & vos, & nos, de piscium præda sensimus. Quum autem materia & qualitate ambo errant, velut quum ambo & emptor & venditor aurum esse putant, quum æs sit, venditio non constat. l. quid tamen. 14. D. de contrah. empt. l. At tamen de piscibus nihil dictum est: sed de præda tantùm, ac bolo, quamuis incerta esset. Valet autem incertæ rei emptio, vt alea. (Quod fit, inquit Pomponius) cum captus piscium, vel auium, vel missilium emitur. l. nec emptio. §. D. eodem. D. An qui de piscatore bolum futurú emit, quāuis de piscibus verumq; cogitabat, tamen q̄a nihil nominatim dictu est, de quouis bolo cōtraxisse itelligatur.

Quænam

Quænam igitur tractandarum controuersiarũ certissima ratio sit hactenus explicatum esse arbitror: eiusque disciplinæ summam hanc esse quæ iusta pro se quisque litigatorum affert, ea non separatim & distinctè considerentur, sed inter se committantur: vt ex illorum concursu & quasi conflictu ad quodnã ex summis illis sex disceptationũ generibus causa pertineat intelligatur. Tum enim quem ex duorum pugilũ congressu, vtrius aduersarij causa potẽtior sit, vter, inquã, aduersariorum stare aut cadere causa debeat, facile existimari poterit. Quòd si autem hanc meo quidẽ iudicio præclaram et ab Hermagora (vt sæpe iam dixi) primum inuentam, a nobis autem longo multorum seculorum interuallo reuocatam, adolescẽtes studiosi hodie aut a nullis, aut a perpaucis tractari animaduertant, ij velint sic existiment, fieri posse, vt nõnulli propter ingenij tarditatem tantam præstantiam assequi nequeant: quum (vere vt dicam) artificio isto nihil aut subtilius aut acutius, aut laboriosius cogitari possit: nonnulli vero quibus ingenij acies non deest, tamen propter inuidiam, & ne quid a nobis didicisse videantur, eam dissimulandam putent. Vtri autem nostrûm melius de iurisprudentia mereri voluerint verius

(vt spero) posteritas & incorruptius,

quam quisquam nostrum,

iudicabit.

MARTINI ANTONII DELRII IVRISCONS.

ELEMENTORVM SIVE PRINCIPIORUM *Iuris Epitoma, ex Commẽtarijs Ioachimi Hopperi compendiosè concinnata, veram legum intelligendarum interpretandarumq; rationem complectens.*

Liber I.

Studij iuris tria ſunt genera, inchoatum, vulgare, perfectum. Inchoatum, circa verba iuris, antiquitatem aliaque huiuſmodi verſatur: elegãs imprimis & fructuoſum, dummodo modus adhibeatur: & vt dici ſolet, verborum quidem priorem, ſed rerum potiorem curam eſſe debere, intelligatur. alioquin ſi cæteris omiſſis in id ſolùm quis incumbat: haud abſimilis illi erit, qui verba quidem Arithmetica nôrit ipſam verò arithmeticam ignoret. Vulgare eſt, quod ad cõmunem popularémque ſenſum accommodatum, ſine vera iuris & legum cognitione, in fori quæſtionibus, quæ à legibus manant, cumulandis conquirendisque conſiſtit: in quibus tractandis non certo animi iudicio, nec arte, ſed auctoritate aliorum, in qua deliteſcit, & multarum rerum memoria nititur. Vnde qui hoc genus ſequũtur, iis ferè ſunt ſimiles, qui multos quidẽ numeros, alios alijs

aliis additos,& in se multiplicatos, partim bene partim malè computatos,memoria tenet:ipsam verò addendi & multiplicandi artem prorsus nesciunt.

Perfectum est, quod certa via ac ratione constans, totumq́ue arte tinctum circa veram iuris ac legũ intelligentiam vsumque versatur: quam repetit a primis principiis, vnde reliqua omnia dependent. Ita,vt quã a primo genere, legulei:a secundo autem, pragmatici,ab hoc demum,veri Iurisconsulti existant: qui arte ipsa ciuili imbuti,non vaga & incerta opinione, vt illi,sed certa firmaque scientia,vt verè sapientem hominemq́ve politicum decet,procedunt.

Est autem iuris prudentia, vt inquit Imperator diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atq; iniusti sciẽtia. Cuius definitionis prior pars pro genere est,materiam complectens, circa quam iuris prudentia versatur,quæ in rebus diuinis & humanis consistit,& cum philosophia ei est communis:altera verò differentiam & proprium iurisprudentiæ munus continet, quod in iusti & iniusti sciẽtia spectatur,vt quid quaq; in re ęquum & iniquum,iustum & iniustum sit, discernatur.

Diuiditur iurisprudentia, iuxta res in definitione comprehensas, in materialem & formalem. Materialis circa res diuinas & humanas,vt circa materiam versatur.huius non scientia,sed notitia est. Formalis circa iustum & iniustum,vt circa formam suam versatur, huius scientia est.De formali tantùm hac epitome dicemus:cuius principia dupliciter spectantur : vel simpliciter & per se,quod cognitionis est, quæ Theorica vocatur:vel coniunctè, quatenus rebus diuinis & humanis tãquam materię immiscentur, eamque regunt ac dirigunt : quod actionis est, quæ practica dicitur. Circa hæc principia duo sunt, quæ traduntur: descriptio,de qua libro priore, quæ est cognitionis : & vsus de quo posteriore libro tradetur,qui actionis. Quod

ad principiorum deſcriptionem attinet, videndum, quid ſint principia, quomodo diuidantur, & quæ ſint illorum qualitates.

Principia voco, prima illa Dei & naturæ ſemina, quæ a nobis ſunt profluentia ex prima & inchoata intelligentia animis noſtris ſunt inſita: vnde omne ius naſcitur, & ad quæ tanquam ad fontes, certis capitibus leges referuntur: a quibus quum recedunt, non iuſtæ leges, ſed tyrannicæ, quales Scribarum & Phariſæorū, & hodierno tempore in pleriſque etiam Turcarum.

Diuiduntur iuris principia, in ordinaria, quæ certa iuris ratione conſtant: extraordinaria, quæ in certam iuris rationem non cadunt: & media, qui ratione conſtant ſingulari.

Ordinaria diuiduntur interna, quæ rebus ipſis inſunt: externa, quæ foris aſſumuntur, & non inſunt in rebus, & media, quæ partim foris aſſumuntur, partim rebus ipſis inhærent & conſiſtunt in rerum circumſtantiis.

Interna ſunt aut naturalia, quæ in natura ipſa, quæ per omnia patet, ſunt inſita, & omnium gentium ſunt communia, aut ciuilia, quæ propria ſunt cuiuſque ciuitatis: aut mixta, quæ ex ſuperioribus duobus conflantur, & cum iis multa habent communia, hæc vulgò iuris gentium ſecundarij dicuntur.

Naturalia interna, vel ſunt vniuerſalia, & manant à Reipub deſcriptione & natura, vel generalia: & a iuſtitiæ deſcriptione ac natura oriuntur, vel ſpecialia, & a legis deſcriptione ac natura profluunt. Quæ diuiſio inde naſcitur, quòd huius facultatis ſit finis in Republi. iuſtitiam per leges inducere. nam ab ipſis ſingulis membris certa quædam principia profluunt.

Vniuerſalia principia a natura ac deſcriptione Reipub. vt dixi, manant. Rempubli conſtituunt familiæ: familias, homo: homo mundi pars eſt: mūdus ſicut & homo,

homo, ad Dei imaginem factus est. Vnde consequens, à Deo principia principiorum reliquorum deduci debere, & sic deinceps ad mundum, hominem, familiā, & Rempubli. nos descendere. nam omnia vniuersalia principia vel a Deo descēdunt, & vocantur diuina: vel a mundo, & vocantur naturalia: vel ab homine, & nominantur humana: vel a familia, & appellantur Oeconomica. A Deo manant omnia omnino principia, & ad Deum cuncta referuntur, eaque per Deum fiunt omnia. Sed proximè ab eo manant tria principia: Potentia Dei, per constans: scientia veri, per perpetuum: & amor boni per pulcrum. Mundus est hæc vniuersitas rerum, quam Deus seipsum imitatus condidit: cuius principia ipsis partibus respōdent. Mundi partes sunt, suprema regio inaspectabilis, vbi beatarū mētium sedes: huic respōdent, Naturalia principia, quæ certa & vera ratione nituntur: media adspectabilis, quæ cælo & terra continetur, huic, quæ verisimili: & infima sub terra, vbi vmbrarum locus: huic, quæ apparenti. Mundi principia, vocantur naturalia. huc pertinēt motus, quies, generatio, corruptio causa materialis causa formalis, causa efficiens, causa finalis, & similia. Iam principia ab homine sunt, quæ ab hominis, in quo iustitia inest, natura petuntur: in quibus permagnum ad res iustas & iniustas diiudicandas momentum est. Vocamus autem hic hominem, qui animo, corpore, & rebus externis constat. Porrò hæc principia quæ ab homine manant, ex naturalibus & diuinis, de quibus diximus, manant. Quæcunque enim habet homo, vel ad Dei, vel ad mundi similitudinem habet. Ad Dei similitudinem, mētem, in qua sunt memoria, intelligentia, voluntas, & his contraria: animum, cuius sunt ratio, quę in capite locum habet: excandescentia, quæ in corde, & cupiditas, quę in hepate: ac spiritum, cuius sunt cogitata, dicta, facta. Ad mūdi verò similitudinem, habet animum & eius bona,

iustum, pulcrum, bonum: corpus & eius bona, sanitatem, robur, formam, & vmbram cum suis bonis externis, diuitiis, nobilitate, honore seu existimatione. Ex his existunt, passiones partim diuinæ, partim mundanæ, partim mixtæ siue cōmunes, quæ sunt voluptas, vnde spes boni futuri, & lætitia boni præsentis: dolor, vnde metus instātis mali, & tristitia præsentis: & mixtum quid ex dolore & voluptate, quod aliquādo plus voluptatis, aliquando plus doloris, aliquando æquas vtriusque partes habet: vt ira, superbia, inuidia (quæ partis sunt irascibilis, & ad animi elationē pertinent) luxuria, gula, acedia (quæ concupiscibilis) necnon auaritia, quæ vtriusque est, & res externas spectat. Ex istis tribus fit, quod quæcunque ab homine fiunt, dicuntur fieri, vel sponte, in quo est dolus, quum cōsultò quid fit, vel inuitè, in quo est casus fortuitus, quum quid fit vi maiore aut fato: vel medio quodam modo, quum per iram vel cupiditatem quid fit; vel quum per negligentiam vel inscitiam, vel aliā quampiam ex superioribus passionibus, in quo est culpa leuis, leuissima, lata. Dolo fieri dicitur, quod sciens prudens quis facit, nulla animi grauiore ægritudine impeditus, quod voluntariū dicitur: casu fortuito, quod contra vel præter voluntatem fit, vi maiore, fato, aut sortè fortuna, vnde inuoluntarium vocatur. Culpa autem quid medium est, per ignorantiam inculpatā inter voluntarium & inuoluntarium, & ex vtroque mistum: veluti, quum per imperitiam, negligentiam, subitum aliquem motum, indiligentiam, cupiditatem, aut simili modo peccatur. Ac est quidem culpa alia lata, quæ ad dolum proximè accedit, alia leuissima, quę casui fortuito propemodum est similis: alia leuis, media inter vtrāque interiecta est. Et verò quum ea, quæ dolo fiunt, puniri debeant: quæ autem casu fortuito, iure sint impunita: quæ culpa fiunt, alia veniam merentur, alia non merentur, prout quæque res est,

secũdum hos diuersos culpæ gradus. Hinc ducta principia vocantur humana: qualia sunt, Eius est nolle, cuius est velle. Quæ animi destinatione agenda sunt, nõ nisi vera & certa scientia perfici possunt. Cuius per errorẽ dati repetitio est, eius consulto dati donatio est. Non potest videri improbus, qui ignorat, quantum soluere debeat: cum similibus. In familia qui sunt, partim parent, vt filiifamilias & serui: partim imperãt, vt paterfamilias: partim parent, partim imperant, vt materfamilias. Ex familia ducuntur principia Oeconomica, quæ pertinent vel ad communem viri & mulieris coniunctum, vel ad liberorum procreationem & educationem, vel ad rem variis artibus quærendam & conseruandam, & ad frugaliter ea vtendum talia sunt: Domum suam cuique reficere licere. Melior conditio nostra per seruos fieri potest, deterior non potest. Et hæc de internis principiis vniuersalibus: quæ, quia à Reipubli. natura & descriptione manant, sciendum, Rempublicam nihil esse aliud, quam ordinatam hominum multitudinem iisdem legibus & cæteris rebus vtentium communiter, & iisdem imperiis parẽtium. Ea tribus ordinibus constat, summo, infimo, medio. Summus ordo est eorum qui præsunt, per quos geritur Respubli. vt principes, sacerdotes, prophetæ: quorum primi, imperio & auctoritate, secundi sanctimonia, tertij doctrina & scientia præstant. Infimus ordo est eorum, qui parent, vt agricolæ, opifices, mercatores. Medius eorum, qui partim præsunt, partim parẽt, vt magistratus, iudices, milites. A quib⁹ ordinibus tria principia publica, siue tres Reipublicæ fines manant. à summo, vt virtute prædita sit, sine quo reliquorum neque accessione melior sit vita, neque decessione peior: ab infimo, vt vitę commoda habeat: à medio, vt libera & tranquilla sit. Huc pertinent illa: Auctoritate propria neminem ius sibi dicere: Discordiarum occasiones remouendas: publicam vtilitatem priuatorum

commodis præferendam: Legibus, non exemplis iudicandum.

Generalia principia interna ducuntur à natura & descriptione iustitiæ: quam Iustinianus definit perpetuam & constantem voluntatem, ius suum vnicuique tribuendi. Sunt autem ea vel substantialia, quæ substantiam legis spectant, ad iustum & iniustum quaque in re diiudicandum: vel formalia, quæ formam legis spectant, ad iusti vel iniusti amorem & odium in animos hominum inducendum. Et substantialia quidem partim sunt iustitiæ, partim iniustitiæ, partim media inter vtramque. Substantialia iustitiæ principia vel a definitione ducuntur, vel a diuisione, vel a vi & effectu. A definitione iustitiæ ductæ, partim sunt Ethica, partim Physica, partim Logica, partim mathematica. Ethica principia ad bonam & constantem & perpetuam voluntatem inducendam pertinent: & à voluntate, quæ iustitiæ constant ratione morali: & sub iis etiam Oeconomica & Politica censeri possent. Sunt autem vniuersalia, aut generalia, aut specialia. Vniuersalia, vt iustitiam, quæ mater pacis est, colere: à malo recedere: bonum facere. Generalia, vt honeste viuere, quo ad nos, refrenando cupiditates corporis: alterum non lædere, coercẽdo iram animi, quoad alios, suum cuique tribuere, quantum ad nos & alios, cohibendo auaritiam circa res externas. Specialia, sunt insita, velati Deum supra omnia amare, eique parere: animantibus, quæ infra nos sunt, moderatè vti & præesse: proximum, sicut seipsum, amare: pari iure cum aliis vti. Physica principia ab eo, quod est, originem ducentia, ad potentiam (quæ secunda iustitiæ definitionis pars, ad formam eius spectans) pertinent, & constãt ratione naturali. Horum tres sunt ordines, nam pertinent vel ad Metaphysica, quæ supremæ partis sunt, & ad Dei vim ac naturam proximè accedunt: vel ad Physica, quæ ad vniuersum hoc quod tuemur spectant: vel ad in-

ad in-

ad inferiora, quæ infimæ partis mundi ſunt propria, non in caſu quidem (nam hic, quum incertus ſit, nullum principium conſiſtit) ſed in re ipſa, licet tenui, conſtituta. Quæ principia Phyſica conſiderantur vel ſecundum naturam vniuerſi, aut ſecundum naturam hominis, aut ſecundum naturam rei, de qua agitur. Huc pertinent, quæcunque de materia, forma, cauſis & effectu traduntur. De hoc genere ſunt: In toto pars continetur: plus ſemper continet id, quod eſt minus: Acceſſorium naturam ſequitur ſui principalis. Logica principia ſunt, quæ ratione conſtant. Logica, quæ a ſcientia (hæc tertia pars definitionis iuriſ eſt) veri ortus ſui principium ducunt: ea pertinet partim ad Grammaticos, quum animi ſenſa explicanda, & verborum ſignificatio enodanda eſt: partim ad Rhetores, quum fuſa latius oratione affectus mouendi: partim ad Dialecticos, quum ratio & intelligentia informanda. Quo poſſunt referri, quæ in iure ſe offerunt de natura cauſæ, quæ ad agendum impulit: de natura modi, qui finem oſtendit, ad quem tenditur, de natura conditionis, quæ in incertum aliquem euentum rem ſuſpendit, ſiue ea a caſu dependeat, ſiue in hominis ſit poteſtate. Huiuſmodi principia ſunt, quæ traduntur de verborũ ſignificatione, & multæ iuris regulæ: veluti, In toto iure generi per ſpeciem derogatur: in: In alternatiuis, ſufficit alterum adimpleri. Semper ſpecialia generalibus inſunt. Mathematica principia ad ſcientiam referuntur: & ex Arithmeticis, Geometricis, Aſtronomicis, & Muſicis præceptis deſcendunt. Ea pertinent ad ſubſtantiam rebus dandam, quod eſt monadis, ad confuſa diſtinguenda, quod eſt binarii: ad inordinata in ordinem cogenda, quod ternarij, & ad diſſona conſona reddenda, quod quaternarij. horum inſtrumenta ſunt, pondus, menſura, numerus tale: vbi lex duorum menſium fecerit mentionem, & qui ſexageſimo primo venit audiendum.

Iustitia omnis diuiditur modis quatuor: in genera, partes, gradus, formas: à quibus singulis diuisionibus diuersa manant principia. ideo de singulis diuisionibus videamus. In genere diuiditur iustitia, quum dicimus, omnem iustitiam esse vniuersalem, particularẽ, generalem. Vniuersalis est, quæ sola in se virtutes omnes continet: de qua accipiendum diuinum illud præceptum: Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Particularis, virtutis quarta pars est: &, quum prudentia sapiat, fortitudo dolores animi sustineat, temperantia corporis voluptates refrenet: ista à rerum externarum cupiditate hominem reprimit: ad hanc respicimus, quum eos, qui iudicãdo præsunt, ab auaritia & corruptela reuocamus. Est autem duplex, commutatiua, quæ circa rerum commercia & commutationes versatur, & secundum Arithmeticam proportionem æqualia æqualibus tribuit: & distributiua, quæ in honorum & pœnarum distributionibus spectatur, & secundnm Geometricam proportionem inæqualia inæqualibus distribuit. Postremò generalis siue media iustitia, altera pars est virtutis. Sicuti enim prudentiæ nomine comprehendũtur omnes virtutes, quæ in animi ratiocinatrice parte versantur: ita iustitiæ huius nomine veniunt, quę in appetitrice animi parte insunt. Potest & hęc, secundum genera, dari iustitię diuisio: quòd quædam iustitia est solida & oritur ex diuinis principiis: quędam effigies eius & simulacrum, quę fertur ex naturalibus: demum quædã vmbra eius & imago, quę ex humanis. Vnde fit, vt omnes virtutes sint partim ciuiles, quę sunt infimi ordinis: partim purgatorię, quę medij: partim purgati animi, quę supremi: partim exemplares, quæ in solo Deo extent.

Iam partes iustitię diuiduntur, in partes Heterogenias, & in partes Homogenias. Heterogenię per se à iustitia diuersę sunt: & diuidutur in virtutes theologicas

gicas,morales.& ciuiles Virtutes theologicę sunt, fides,quæ sedem habet in intelligentia: spes,quę in memoria:caritas,quę in volũtate. Virtutes morales sunt, prudentia, quę habitat in ratione: fortitudo, quę in parte irascibili:temperantia quæ in cõcupiscibili. Ciuiles virtutes sunt,legislatio, quæ est verbi: iudicium, quod facti:iustitia minor.quę animi,& secundum legem per iudicium exercetur. Ad has ciuiles virtutes respicimus.quum in magistratu prudentiam, in milite fortitudinem. in sacerdote temperantiam & castitatem exigimus. Homogenię partes sunt, quę natura cũ iustitię eędem, nũ nisi nomine ab ea distinguũtur, secundum diuersas eius functiones: vt sanctitas erga Deum,pietas erga parentes, liberalitas erga egenos, obediẽtia erga maiores,comitas erga minores:amicitia erga omnes: veritas in dictis, constantia in factis, fides in vtrisque.pœnitentia, vt a malo recedatur: beneficẽtia,vt bonum exerceatur:vindicta, vt malũ puniatur. Ab his omnibus multa iura legesque manant. veluti quod in donatario gratitudinẽ, in mandatario diligentiam,in depositario fidem.in liberis reuerentiam,in ętate grauiore grauitatem, in minore pudorem exigimus.

Porrò a gradibus iustitię ducta principia dependẽt vel à voluntate, vel a bono:illi à prima definitionis parte,hi a secunda. Voluntatis gradus sunt tres, infimus,medius,summus.infimus,quũ metu pœnæ quid fit,veluti quum pœnam minamur:metus est vel seruilis,qui in timore consistit: vel filialis,qui in reuerẽtia & amore:vel mixtus,qui in vtroque. Medius gradus est.quum spe prę mij quid fit:eaque spes est aut mercenaria,aut liberalis,aut mixta. Summus gradus voluntatis,quum desiderio seu amore boni quid fit:quò pertinent,quę pulcritudinem virtutis oculis subiiciunt. Hic gradus consistit partim in dilectione iusti,qui primus est motus:partim in amore pulcri.qui superior

concitatior: partim in caritate boni, quę plena est perfectio. Inter hęc porrò tria hoc interest, quòd intimi ordinis homines dicuntur viuere sub lege, quod imperfectorũ est: medij in lege, quod mediocrium: summi supra legem: quod perfectorũ. Boni quoque ipsius tres sunt gradus: primus iusti, veluti, quum vestis habilis, & ad corpus apta est, quod est necessitatis: secundus pulcri, quum eadem vestis ornata, quod honestatis: tertius boni, quum ea ad corpus tuendum idonea est, quod perfectionis. Hac pertinet, quum dicimus: Non omne quod licet, honestum esse, nec expedire.

Demum formæ iustitiæ sunt recta, restricta, moderata. Recta tunc est, quum voluntas nulla re incitata prona ad id fertur, quod recta ratio dictat, cui se totá accommodat: restricta verò, quum volũtas odio mali accensa, quam strictissima, quoad eius per rationem fieri potest, tractat: quod fit, quando laxitatem iustitiæ specialis, secundum præcepta iustitiæ vniuersalis, quantum ratio patitur, constringimus, & ad viuũ omnia resecamus. Moderata est, quum voluntas amore boni inflammata, quàm moderatissimè, quatenus ratio patitur, rem accipit, hoc fit, quum æquitate molli duritiem iustitiæ specialis, secundum dictata iustitiæ vniuersalis, quoad eius per rationem fieri potest, lenimus & temperamus. Hinc fit, vt ius aliud sit rectum: aliud durum, summum, strictum, scrupulosum, omnia ad viuum resecans: aliud demum benignum, humanum, æquum, bonum, simplex, gratia clemẽtia ac misericordia refertum, quum pinguiùs solutiúsque ac de plano res inspicitur. Quonam verò ex istis, dum concurrunt, sit vtendum: ex rationibus ordinariis & extraordinariis, singularibus, internis & externis, medijs, naturalibus, ciuilibus, mixtis secundum varias causarum figuras, est statuendum. Denique imitari oportet Deum, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam: &, iuxta sacram Scripturam, neq; zelum sine scientia,

ſcientiâ, neque iudicium ſine miſericordia, debemus amplecti. Equidem Marcianus Iuriſconſul. ait l. perſpiciendum. D. de pœn. Perſpiciendum iudicanti, ne quid aut duriùs, aut remiſſiùs conſtituatur, quam cauſa depoſcit. nec enim aut ſeueritatis aut clemētiæ gloria affectanda eſt: ſed perpēſo iudicio, prout quæque res poſtulat iudicandum. Planè in leuioribus cauſis, proniores ad lenitatem iudices eſſe debent: in grauioribus pœnis, ſeueritatē legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. Peruenimus ad principia, quæ à vi & effectu iuſtitiæ manant. Iuſtitiæ vis & effectus ſunt, concordia & pax: illa ob bonam voluntatem, quæ in ea ineſt: hæc, quia cuique ſuum tribuit. Vnde Dauid: Pax (inquit) & iuſtitia ſe oſculatæ ſunt. Ex pace & concordia, naſcuntur diuitiæ ſiue rerum omnium affluentia, & gloria. Vtrumque docet idem regius Propheta, de priori inquiens, Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis: De poſteriore verò canens, Gloriæ & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Ex pace & concordia, ſi iis bene vtamur, oritur magna fœlicitas, ſeu perfecta beatitudo. Nec aliud voluit innuere Dominus noſter his verbis: Beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Ad hūc effectum referūtur omnia, quæ iure ac legibus cauta ſunt. Omnia enim ſpectant eò, vt ſibi ſufficiēs ſit ciuitas, quod eſt diuitiarum: vt libera, quod gloriæ: vt ſibi amica, quod pacis & concordiæ. Vnde facilè patet, quomodo iuris & legum principia hinc deducantur. Sequuntur principia ducta ab iniuſtitia: quæ iuſtitiæ per omnia contraria eſt, idque vel priuatiuè, quū quis perpetua & conſtanti voluntate ſuū vnicuiq; tribuendi caret, vnde naſcuntur nō iuſta: vel poſitiuè, quum quis peruerſam cum potentia ac ſcientia voluntatem habet alteri nocendi: vnde naſcuntur vis, dolus, & culpa: vel ſimulatè, quum quis ſub vmbra iuſtitiæ iniuſtitiā

exercet, vnde hypocrisis. Ex primo genere nascitur principium, vt malum & iniustum, quoad fieri potest, fugiamus, proque nullis & perperam factis, quæ inde procedunt, ducamus: ex secundo autem, vt, si id propter naturæ imbecillitatem fieri nequit, toleremus, & de malis minimum eligamus: ex tertio, vt, ne noceat malum, cautionem adhibeamus, cuiusmodi principia possunt vocari cautionalia.

Media inter iustitiam & iniustitiam principia etiã externa vocantur, & vtroque modo se habent. Ea sunt fauor, qui a bono existit: odium, quod a malo: & mixtum, quod ex vtroque, cuius opera sunt, vrgens necessitas & econtra, euidens vtilitas & econtra, eaq; siue generalis siue specialis illius de quo agitur: publica honestas siue decentia, & quæ illi sunt contraria, indecentia, absurdum, ridiculum, inhumanum, contra bonos mores. Quorum mediorum tanta vis est, vt sæpè non attendamus ad iustitiæ siue iniustitiæ principia, sed ad hæc media. Nam licet illa ab his nunquam superentur: sæpè tamen illa ab his comiter ad se trahuntur & alliciuntur: quum non repugnante iustitia, in rationem necessitatis, vtilitatis, vel similium res cadit. Dicam clariùs. In his mediis tanta vis est, vt contra principiorum internorum rationem, sæpè rem totam ad se rapiant: & nõ, quod ratio interna, sed quod fauor, odium, necessitas, vtilitas, honestas, siue decentia suadeãt, iustum aut non iniustum, hoc est, licitum efficiant. Sic dicimus, necessitatem legem non habere: &, quod est licitum in lege, necessitatem facere illicitum: & cùm in multis propter vtilitatem quędam recipiantur, tum in non paucis, non solùm quod licitum est spectamus, verum etiam quod honestum, vt absurdum vitetur. Vtimur his tribus principiis partim affirmatiuè in fauorem: vt necessitati, vtilitati, & honestati pareatur. Nam quod pupillus contra rationẽ internam, quum intellectum non habeat, sibi stipulari

lari potest: ob vtilitatem ipsius receptum est. Partim iis vtimur, negatiuè in odium: vt necessitas, incommoditas, indecentia, vel absurditas vitetur: qua ratione Senatusconsul. Macedonianum in odium feneratorum inductum est, vt ne quid filiusfamilias detrimenti patiatur. Sub hac medio comprehendo indifferentia quædam, circa quæ nulla alia versantur principia: nisi quòd voluntas & affectio legislatoris in iis pro lege habeantur, dum penitus non refert, quid statuatur. Dictum de substantialibus principiis.

Sequitur de formalibus. Ea, sicuti diximus, formam legis, ad iusti vel iniusti amorem & odium in animos hominum inducendum, spectant. Hæc promanant vel a prima parte definitionis iustitiæ, vel a secunda, vel ab vtraque. Prima pars definitionis iustitiæ est cōstans & perpetua voluntas: ab ea manant disciplina, quæ circa appetitricem animi partem versans, voluntatem bonam, in hominem & Rempublic. præmia & pœnas, tam post mortem quam in vita auctoritate sua inducit: item doctrina, quæ vera asserendo & falsa refellendo, ratiocinatricem animi partem vera rectaque scientia, sua institutione, imbuit: atque vsus & exercitatio, quæ à malis arcendo & bonis assuefaciēdo, memoriam & omnes vitæ actiones informat. Secunda pars definitionis, in suum cuique tribuendo cōsistit. huius generis sunt, distinctio, ordo, & harmonia. Distinctio confusa segregando, vnum ab alio separat, suisque partibus, membris, ac limitibus describit. Ordo inordinata in ordinem cogēdo, certa serie omnia digerit, & suis gradibus disponit. Harmonia dissidentia in certam harmoniam redigendo omnia cōciliat. & quasi inter se colligat. Postremò ab vtraque definitionis parte, per quæ superiora mandantur executioni, principia oriuntur, maiora, vt magistratus, leges, iudicia: media, vt conuentus hominum: ritus, & ceremoniæ rerum, oratio scripturæque verborum solen-

nium: & in minima, pictura, cãtus, chorea siue ludus. Horum formalium principiorum vsus est, vt prout quæq; res est de qua agitur, hæ vel illæ formę, pro circumstantiarum differentia, illis ad iustitiam tantò faciliùs inducendam adhibeantur.

Tertium membrum naturalium principiorum internorum restat, scilicet principia specialia, quæ diximus ex descriptione & natura legis promanare. Lex est summa ratio, iubens quæ facieda sunt, prohibénsque contraria, ad iustitiam in hominem & in Rempublicam inducendam. A lege manantia principia sunt vel formalia vel substantialia: illa formam, hæc substantiam legis cõsiderant. Formalia eadem sunt, quæ suprà, quum de iustitiæ formalibus principiis ageretur, posuimus. Substantialia duobus modis diuiduntur. Primò quod omnia manant, partim ex lege primæ naturæ bonæ, partim ex lege secundæ naturę malæ, partim ex lege tertiæ naturæ mixtæ. Secũdò quod omnia sunt, vel legis corruptæ naturæ, vel legis Mosaicæ, vel legis gratiæ. In lege corruptæ naturæ plus imperfectionis, quàm perfectionis inest: In Mosaica lege, secundum literam & communem interpretationem (nam de spiritu & perfecta interpretatione alia res est) æquæ quodammodò vtriusque sunt partes: in lege gratiæ plus perfecti est, quam imperfecti: immo ipsa quidem, per se, tota perfecta est & absoluta, sed quoniam, qui sub ea viuunt homines aliquid semper mali in membris suis circumferunt, quandiu in hac vita degunt, fit, vt quum ipsum rectum perfectũ semper obtinere nequeat, mediocritate officiorũ in quibusdam cogamur esse contenti. Lex Primæ naturæ bonæ, est illa lex Dei princeps & vltima, sub qua homo ante peccatum in Paradiso agebat: cuius principia sunt tria principalia. Primùm vt Deum super omnia amemus. secundum, vt animantibus, quæ infra nos sunt, moderatè imperemus. Tertium, vt nosmet ipsos

&fi-

& familiam & reliquos mortales,vt oportet, complectamur, humanæque societati seruiamus. Huius tertij præcepti tria membra rursus diuiduntur, in ea quæ pertinent ad amorem proprium, ad amorem familię, ad amorem cæterorum mortalium. Ad amorem proprium quæ pertinent principia, sunt vel diuina, vel naturalia. Diuina sunt iurisgẽtium primarij, quod cum cœlestibus nobis est cõmune, scilicet, vt nos propter Deum amemus: vt proximum sicut nosipsos, diligamus. Naturalia verò, quæ cum belluis nobis sunt cõmunia, vt nos vitamque tueamur, vt genus propagemus. Ad familiæ amorem pertinentia principia sunt ab homine constituta, & manant partim ab igniculis diuinis, vt cum vxore perpetuam & indiuiduam vitæ societatem habeamus: partim ex igniculis naturalibus, veluti vt liberis procreandis, educandis, & in locum nostrum substituendis operam demus. Amor verò cæterorum mortalium vnicum principium habet, vt communem hominum societatem conuictumque, quo nos naturali quadam indulgentia & beneuolentia, iurisque societate continemur. Talia sunt: Beneficio affici hominem, interest hominis: Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Lex secunda naturæ malæ est lex diaboli contraria legi Dei, sub qua viuebamus a tempore lapsus Adami ad tempus gratiæ. Huius principia sunt superiorũ principiorum contraria, veluti, vt Dei amor omittatur: vt quis animantibus subditis malè vtatur: vt seipsum quis nimiùm amet, vt alios odio prosequatur. Ex quibus adhuc quædam adeò animis nostris insederunt, vt euelli nullo pacto queant, sed nunquam tolerari, & conniuentibus oculis dissimulari debeant. Lex naturæ corruptæ est, quæ post peccatum eiecto homine de Paradiso orta est, & per quam ex agresti immaniq; vita excultus quodammodo fuit. Huius principia manãt, vel à prima natura bona, vt erga Deum religio, vt patriæ

& parentibus parcamus: vel a secunda natura mala, vt vim vi repellere, frangenti fidem non seruare, nemini credere: vel ab vtraque mixtim, vt ea, quæ ad vitæ necessitatem commoditatemq; pertinent, distinctiones dominiorum, commercia, & similia. Quæ omnia homo, tanquam minor quidam Deus, ex igniculis diuinitus insitis à natura arripuit, & in Republica collocauit: sic, vt parua quædam natura in maiore constituta esse videatur. Est enim frequens, vt quibusdam ab homine constitutis natura, mox intret ad ea dirigenda. Legem Mosaicam post legem naturæ corruptæ Deus humano generi, præsertim Iudaicæ genti, dedit: ea constat lege ceremoniali circa res diuinas: iudiciali, circa res humanas: & morali, circa vtrasque: cuius principia, seu decem præcepta, pertinent partim ad verum Deum, reiectis falsis, cogitato, dicto, facto colendum, & eius vicarios, parentes honorandos, quæ sunt quatuor priora: partim ad proximum neque facto (siue ipsum spectes, siue vxorem, siue res eius) neque dicto, neque cogitato lædendum, quæ sunt sex sequentia. Lex gratiæ est, quam plenam & perfectá Dominus noster Iesus Christus in hunc mundum intulit, quæ reliquarum legum caput est. In ea traduntur regnum Dei, iustitia Dei, & Dei sacramenta. Regni Dei caput, est Christus Dominus noster, verus Rex & Propheta, cuius vicarius est Pōtifex Romanus, verus & legitimus D. Petri, cui Deus dixit, Pasce oues meas, successor: corpus, Ecclesia suis partibus ac membris descripta: nerui verò, sunt sacrosancti ritus & ceremoniæ, quibus corpus & caput inter se colliguntur, quæ continentur descriptione personarum, locorum, temporum, & rerum. Iustitia Dei constat fide, spe, caritate. Fidei articuli, symbolo Apostolico sunt comprehési: Spei sex capita, oratio Dominica complectitur. Caritatis nouem sunt mandata: tria præcepta necessaria ad salutem, amoris Dei, sui, proximi: tria laudabilia

ad

ad perfectionem, voluntariæ paupertatis, castitatis, obedientiæ: & tria opera pia vtrisque congruentia, oratio ad Deum, quæ est mentis, ieiuniũ, erga seipsum, quod corporis, eleemosyna erga proximum, quæ externorum. Sacramentis regnum Dei & iustitia eiusdẽ admirabili quadam, & cunctis mortalibus incognita ratione inter se continentur. ea sunt septem, & pertinent vel ad totam ecclesiam, nempe ordo ad eam regendam & moderandam, & matrimonium ad eã sanctã prole augendam, vel ad singulos homines, nempe Baptismus ad renascendum in Christo, confirmatio ad adolescendum, eucharistia ad viuendum, pœnitentia ad reficiendum, extrema vnctio ad piè moriendum. Ad hæc principia gratiæ pertinent, quæcunque Euangelicis, Apostolicis, & sanctorum pontificũ, cõciliorumque & patrum scriptis inde deductis, & piis ecclesiæ traditionibus, quasi per manus tradita, a maioribus accepimus.

Absoluto tractatu de internis principiis, oportet videre de externis & de mediis. Externa principia sunt, quæ foris assumuntur, & non insunt in rebus. ea diuiduntur in propria, impropria, & media. Propria re ipsa extrinsecus hauriũtur: eaque partim sunt diuina, veluti si Deus viuæ vocis oraculo quid præcipiat, cui omnino parendum est, vt de lege Euangelica & nostra traditur: partim naturali, si astrorum cursus, vel cœli marisve tempestas, hoc est, vis maior necessitasq; ipsa quid exigat, cui resisti nequit: partim humana, si legislatoris vel populi affectio aliquò incliuet. Nam etiam error communis ius facit. Impropria nõ tam per se externa sunt, quam quia à Iurisconsulto foris assumũtur. Idque fit, quum vtitur aut aliena opera, vt medicorum, mensorum, obstetricum, aut alienis sententiis, vt Homeri, Hippocratis, Demosthenis, Ciceronis, Virgilij, aut opera pariter & sententiis, vt veterum legislatorum, iuriscõsultorum, magistratuum, rerum

judicatarum, morum, consuetudinum, & similium, quæ ex antiquitatis aut aliis iuris monumentis sumũtur, vel philosophorum, quibus cum iurisconsultis tãta affinitas est, vt non nisi sono nominis differant. Media vtroque ferè modo se habent, talia sunt, probationes per testes, instrumenta & mixta: coniecturæ ex indiciis antecedentibus, sequentibus, cõiunctis: & præsumptiones, ex iis, quæ vt plurimum natura adesse, abesse, vel accidere solent, vel sine quibus res esse non potest. Ex quibus quum probationes atechnæ, coniecturæ entechnę sint: præsumptiones inter vtrunque medię solent esse. Porrò hęc media principia facti, cętera omnia sunt iuris. Inter interna & externa principia. Media sunt, quę partim foris assumuntur, partim rebus ipsis inhęrent, & in rerum circumstantiis consistunt. Rerum verò circumstantiæ sunt septem: locus, tempus, persona, quantitas, qualitas, causa, & euētus. harum vis & effectus est, vt propēsiorem vel leuiorem rem faciãt: veluti seruum verberare leuius est, patrem grauissimum: vt eandem de vno genere transferant in aliud, veluti rem profanam inuito domino contrectare, furtum est. Deo dedicatam, sacrilegium: postremò, vt rem de bona malam, & econtrà faciant: veluti eleemosyna per se bona est: mala, si glorię captandę causa fiat. Huc pertinet, quod Claudius Saturninus res septem modis considerandas ait, causa, persona, loco, tēpore, quantitate, qualitate, euentu: eosque modos copiosè & eleganter adductis exemplis admodum explicat.

Ordinaria principia, de quibus abundè disseruimus, sequuntur extraordinaria, quę circa res extraordinarias versantia, in certam & ordinariam iuris rationem non cadunt: quod fit vel propter magnitudinem, vel propter exiguitatem, vel ob qualitatem. Propter magnitudinem, si maior, vel nobilior, vel diuinior res sit, quàm vt ordinaria via cēseri debeat. Qua

ratione Vlpianus negat iuris professoribus ius dicendum esse: quia quum sanctissima res sit ciuilis sapientia, nō est pretio dehonestanda. Propter exiguitatem: si res minor, indignior, vilior, quàm vt sacrosancta iustitia ei debeat accommodari: vnde de minimis Prætorem non curare dicimus, de aleę lusu ius non reddi. Ob qualitate: si res indifferens sit, vt non referat, quid iudicatur: si obscura sit vel intricata, ita vt exitum nō habeat. si dubia & anceps sic vt iudex nesciat, quid sit amplexurus, maximè si fortè sit opus festinatione. Ad quas res explicandas triplici via est opus: diuina, humana, & mixta. Diuina, quum ad sacrum oraculum itur, quod apud Mosem pręcipitur. Humana, dum vel extraordinario iudicio succurritur, vel ad iudices arbitros transactoresque reiicitur, vel ex affectione latoris lex ponitur, vel medio quodammodo rei exitus inuenitur, siue totum reiiciendo, vel ad tempus dando, siue totum dando, vel per medium secando, siue quod minus, aptius, benignius, verisimilius est eligendo. Mixta, quum in re incerta ad iusiurandū, sortem, purgationem canonicam, certamen singulare, bellum, & alia huiusmodi deuenitur: cuius generis est, poculum zelotypiæ apud Mosem, & factū de puero in partes secando. Ad has vias extraordinarias pertinent iuris regulæ, quæ sequuntur, cum similibus. Quod factum est, quum in obscuro sit, ex affectatione vniuscuiusque capit interpretationem. Ea quæ in partes diuidi non possint, solida a singulis debentur. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, nō minùs iustius quàm vtilius est. Quoties æquitatem desiderium, naturalis ratio, aut iuris dubitatio moratur, iustis decretis res temperādo est. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. Singularia principia sunt, quę nō cōmuni & generali, ordinaria vel extraordinaria, sed singulari ratione (quæ ex ordinaria & extraordinaria deducitur) constat. ex his nascitur ius

ſingulare vel in præteritum, quum delicti venia datur: vel in futurum, quum per diſpenſationem legibus quis ſoluitur, ſiue quid indulgetur, vel quoquo modo parcitur: vel in præſens, quum quibuſdam de rebus vel perſonis iura ſingularia ſiue priuilegia feruntur: quod contra iuris communis tenorem, propter aliquam vtilitatem, auctoritate conſtituentium introducitur. Singularis iſtius iuris principia, partim ſunt diuina, veluti quum ob præſentiam numinis ſacerdotes in templo ſabbathum violarunt, & erant ſine culpa: partim naturalia a neceſſitate profecta, vt quum Dauid vrgente fame edit panes propoſitionis: partim humana, quæ in rerum, factorum ac perſonarum qualitatibus ac circumſtantiis proficiſcuntur: vt aliud eſt occidere dolo, quod capitale: aliud fortuito, quod impunitum, aliud calore iracundiæ ſiue repentino quodam animi æſtu, quod ſubinde veniam meretur. Propter has autem circumſtantias fit, vt nulla regula cóſtitui poſſit tam generalis, quin aliquam patiatur exceptionem: nec vllum conſtitui ius generale, à quo non aliqua ſubinde erogari debeant priuilegia: vnde quæ clericorum, militum, & aliorum extant priuilegia, originem trahunt. Huc pertinet, quod in Euangelio dicitur, Miſericordiam volo, non ſacrificium: nempe dum in maioribus rebus quis dat operá vt à minoribus tantiſper excuſetur, & interna externis præferantur. Porrò cuncta hæc priuilegiá conceduntur, vel ob præſtantiam, vt clericorum, profeſſorum & ſimiliú: vel ob imbecillitatem & imperitiá, vt militum, ruſticorum, mulierum, impuberum, & ſimilium.

Circa principiorum deſcriptionem duo initiò examinanda propoſueramus, quænam eſſent principia, quod præſtitimus: & qualia, quod nunc facimus. Principiorum omnium qualitates partim ſunt primariæ, partim ſecundariæ. Primariæ qualitates principiorum ſunt octo. Cuncta enim vel ſunt diuina, quæ à Deo

Deo eiusque diuino verbo proficiscuntur, quę cum superis nobis sunt communia, vt amor Dei & proximi: vel humana, quæ ratione constant naturali & diuinorum & naturalium principiorum seminibus, arte & humano ingenio deducta, humano generi propria, vt rerum diuisiones, commercia, & alia huius generis. Secundò, sunt vel naturalia quæ a Deo & natura sunt profecta, & in quibus cum belluis participamus, vt vitæ conseruatio, prolis procreatio, & educatio: vel ciuilia, quæ ingenio & arte humana continentur, ac propria sunt hominum ipsorum, siue illa omnium gentium sint communia (quæ & naturalia nonnunquam vocantur, quia in naturam quodammodò trāseunt) siue vnius propria ciuitatis, quæ ciuilia propriè nominantur. Tertiò sunt, vel bona, naturæ perfectæ & incorruptæ: vel mala, naturæ corruptæ & peruersæ, quibus ob imbecillitatem naturæ humanæ aliquādo est vtendum, maioris mali euitandi causa. Quartò, sunt vel pulcra, honestatis: vel necessaria, vtilitatis. Quintò, vel moralia, quod actionis: vel naturalia, quod substantiæ. Sextò vel facti, per quæ an aliquid sit indagatur: vel iuris, per quæ, quale id sit. Septimò vel principalia ad bonum addiscendum, naturæque seruiendū, quę ferè affirmatiuè rebus explicantur: vel cautionalia, ad malum & incommodum vitandum, quæ ferè negatiuè. Octauò vel sunt perfecta, in quibus nulla mali labes inest, vt sunt consilia Euangelica: vel imperfecta, quum aliqua non optima toleramus. quod accidit, quia sunt vel imperfecta per se, quibus sua natura aliquid imperfectionis inest, vt fornicatio, vsura: vel sunt imperfecta ratione vsus, quę per se bona vsum suum inter homines ex imperfectione sumserunt, vt iusiurandum. Secundariæ principiorum qualitates ter ternæ sunt. Nam primò diuiduntur in ordinaria & extraordinaria: secundò in communia & singularia tertiò in interna & externa: quartò in infinita & defi-

nita per circũſtantias: quintò in ſubſtãtiala & formalia: Sextò in entechna & atechna, quorũ entechna arte cõtinẽtur, & ex ſuperiorib⁹ deſumta, ipſaq; natura accepta, ſuis generibus notata ac diſtincta, & ad certũ numerũ paucitatẽq; reuocata ſunt, quæ iã recẽſuim⁹, atechna verò artis ſunt expertia, quæ teſtimoniis & literarum monumẽtis conſtant, neque ea ex arte iuriſconſulti, ſed forinſecus adueniunt, non tamen ſunt prorſus artis expertia, in his præcipuum locum obtinent ſacræ literæ. Septimò in vera, quę demonſtratione certa conſtant: & veriſimilia, quæ conſtant veriſimilitudine. Octauò in primaria, quæ nulla alia habent ante ſe, vt Deum colere, proximum amare: & ſecundaria, quæ ex primariis deducuntur vel per conſequentias, vel per exempla, vt non occidere, non furari, non adulterari, non falſum teſtimonium dicere, & ſimilia. Nonò & vltimò in generalia, quæ in genere ſuo perſtant, & variis rebus poſſunt accõmodari, vnde & dicuntur formalia: atque in ſpecialia, quæ ad certam ſpeciem diriguntur: quare rectè vocantur materialia, & huius generis ſunt iuris regulæ Sanè quum generalia ferè dicuntur ex principiis per conſequentias, quod ſecundariorum propriè principiorum eſt: ſpecialia ex pluribus ferè ſpecialibus conſtituantur, quod regularum. Nam quum principium ſit, quod præcedit, ita vt ex eo fiat: regula eſt, quæ ſequitur, dũ rem, quæ eſt breuiter enarrat: non vt ex regula ius ſumatur: ſed vt ex iure, quod eſt, regula fiat. Sic vt rectè dixeris, principia tanquam fontes, ante ius, quod ex iis profluit, eſſe: regulas verò, tanquam caſtella ſiue receptacula quædam aquarum, poſt ius, quod in iis conſeruatur, indeque quoquomodo deriuatur. Quanquam generaliter & minùs propriè loquendo omnia ferè principia & ſummæ rerum ſententiæ, meritò regulæ vocentur: quoniam per ea iura legeſque diriguntur.

LIBER

LIBER II.

QVoniam de iusti & iniusti principiis abundè dictum: nunc quo pacto ad vsum ea transferri debeant, videamus. Sunt autē tria præstanda: vt ex principiis omnia iura legésque tanquam ex fontibus deriuentur, vt ad principia, tanquam ad capita sua, iura legésque reuocentur: vt iura & leges per principia explicentur. Ad hæc verò tria, alia rursus tria sunt necessaria: Vt enim ex principiis iura legesque deriuentur, scire oportet, quo pacto se iura legesque ad principia habeant: vt verò ad principia leges reuocentur, prius quo pacto principia ipsa ad leges se habeant intelligi debet: postremò non aliter iura legesque per principia explicari poterunt, quam si ad ea leges, tanquam ad certam regulam & mensuram dimetiantur, certoq; iudicio ponderentur

Igitur principia se habeant ad leges, vt anima ad corpus. Nam quum ratio legis eius anima sit, ea ratio non nisi ex principiis dependet. Vnde fit, vt quoties vna est & sola legis ratio, eadem quoque sit iuris dispositio quod tum quoque locum habet, quando vnum solum est legis principium. Et quidem vel vnicum est legis principium, vel plura, & tunc ea sunt vel diuersorum generum, vt Ethica, Physica, Logica, quæ tendūt aut eodem, aut ad diuersa, aut ad contraria: vel sunt vnius generis, vt quum ex pluribus vtilibus quæritur, quod magis vtile: ex pluribus honestis, quod honestius: ex pluribus necessariis, quod magis necessarium, & similia. vnicum lex dicitur habere principiū, quum sola nititur ratione: tunc, prout hoc per se graue est vel leue, vel magis vel minus influit in rem subiectam & ab ea recipitur, ita & legem ipsam maiorem, minorem, restrictiorē aut remissiorem esse oportet: vt, cur duo in solidū vnā rē possidere nō possunt, vna nititur ratione physica: quia ego sto, tu simul stare non potes.

Plura dicuntur vnius legis diuersorum generum principia eodem tendentia, quando vna eademq; lex nititur pluribus principiis & rationibus diuersi generis ad vnum eundemque finem tendentibus, quod fit aut æqualiter aut subordinatè. Æqualiter, quum vtrumque principium per se subsistit, idemque vnum, quod alterum efficit: vt quod non liceat supra modum in seruum sæuire, ex ethica ratione constat: quia contra humanitatem & hominum inter ipsos cognationem est, & externa politica & priuata: quoniam Reipublicæ atque domini ipsius interest, ne res sua quis malè vtatur. Subordinatè verò, quum vnum principium adminiculatur & subseruit alteri. Nam quum publicum secundum Politica principia suadet, vt alter alteri ex re sua commodet: subseruiens ei rei ratio physica, seruitutes rusticorum & vrbanorum prædiorum induxit porrò hæc locum obtinent, siue duo siue plura sint hæc principia, quæ circa eandem rem concurrunt. Fit autem aliquando hoc casu, vt necesse non sit alterum ex principiis allegare, quandiu priori est locus: vt cur quis priuignã vxore ducere non possit, constante cum metre matrimonio, sufficit eam adducere rationem, quòd vna duobus nupta esse non potest: nec est necesse addere alteram, quia filię loco est. plura legum principia ad diuersa tendentia concurrunt: quum vna eademque lex respectu diuersorum diuersis constat principiis. Nam quod testamento condendo testes adhiberi debent, ex naturalibus principiis fertur, vt falsitas vitetur: quod autem septem debeant esse numero, ex ciuilibus secundum Reipublica Romanæ descriptionem. Nam quum prius quinque tribus Romæ forent, coram quibus testamenta nuncupabantur, quinq; testes adhibebantur: alij verò duo libripendem & familiæ emptorem referunt. Et sanè licet lex ipsa vno tantùm per se constet principio: fit tamen nònunquam, vt ad eius interpretationem pluribus

ribus sit opus: vt Grammaticis, ad verba enodanda, & aliis ad mentem explicandam. Sanè quando plura legum principia ad diuersa tendentia concurrunt: tunc ea omnia debent allegari, neque vnum alteri præiudicat. Plura diuersorum generum circa eādem legem principia ad contraria tendentia concurrunt, quum circa vnam rem vel legem plura principia contraria concurrunt: quod tribus modis contingit. Primus est, quum ex pluribus principiis vnum manifestè præualet. Nam si quæratur, vtrum pupillus sibi stipulari possit? ratio physica dictat, non posse: quia actum rei non intelligit: externa posse, propter vtilitatem, quæ præualuit. Sic quum traditur, in fraudem creditorum non licere manumittere: externam, quæ versatur in fauore libertatis, vincit interna a iustitiæ præceptis ducta. Quomodo sæpè fit, vt principia extraordinaria ordinariis, definita indefinitis, externa internis, ciuilia naturalibus, & sic alia aliis præferantur: quum tamen in omnium principiorum comparatione regula sit, singularia generalibus, ordinaria extraordinariis, interna externis, naturalia ciuilibus, diuina humanis, sacra prophanis, superiora inferioribus, iusta iniustis, perfecta imperfectis, bona malis, plena minus plenis præferri, nisi personarum, rerum, temporis, & aliæ circumstantiæ contrarium suadeant, quod ipsum vsu, non certis præceptis traditur potest. Secundus modus est, quum plurium principiorum tam æqualia sunt pondera, vt dubitetur, quod eorum præualeat, quo casu notandum, quod aliquando quum ambo sunt ordinaria, debeat transiri ad extraordinaria, tamen semper prudens vir pro circumstantiarum qualitate iudicabit. Docet hoc Iustinianus: qui quum non satis conueniret, vtrum pubes statim possit manumittere, an verò ætas viginti quinque annorum esset expectanda: mediam viam elegit, vt octodecim ingressus posset manumittere. Et verò in hac principiorum pugnantium

æqualitata, non multum ferè interest, quantum ad iustum & iniustum attinet, quodnam de pluribus eligatur, quod quia imperiti nõ intelligunt, magnas sæpè controuersias paucis de rebus excitant, tragœdiasq; in nugis, quod dicitur, agunt: vt testãtur immensa eorum volumina. Tertius postremò modus, quum neq; omnino contraria sint contrariorum principiorum momenta, neque vnum alij omnino pręponderat, sed medio quodam modo minus sic obstat maiori, vt illud nonnihil inflectat: quod fit, vel quando vim eius nonnihil imminuit & infringit: vel quãdo ad circuitionem, aut aliam formam indirectam venire cogit, vt quod velit efficiat: vel quando eius accidentia nõnihil immutat. Vnius generis principia sunt plura, vt quũ quærimus, quid ex pluribus honestis, honestius: vtilibus, vtilius: necessariis, magis necessarium, & sic de cęteris. & quidem ea principia tendunt vel eodem, vel ad diuersa, vel ad contraria: de quibus singulis dicendum, vt superius de diuersorum generum principiis dictum fuit. Illud notandum, non solùm se principia ad leges habere, quemadmodum anima ad corpus: sed etiam aliquando fieri, vt non tam quid legi tribuant, quam vt obstaculum, quod vim rei impedit, auferant: sic, vt eo sublato, ad vim suam & naturá redeat. Ad tradendum, quomodo iura & leges se habeant ad principia: animaduertere oportet, circa eas considerari earum substantiam, quid sint: naturam qualia sint: & accidentia, quomodo se habeant ad principia.

Quæ ad legis substãtiam considerãtur, vel substantiam ipsam continent, vel substantiæ inhærent. vel circa substantiam versantur. Substantiam cõtinent, subiectum & prædicatum, Veluti in illa lege: Semper in obscuris (ecce subiectum) quod minimum est sequimur (en prædicatum.) Subiectum consistit partim in rebus, partim in personis, partim in earum circumstantiis:

stantiis: prædicatum verò aut in statu coniecturali, an sit: aut in de initiuo, quid sit: aut in iudiciali, quale sit. Substantiæ inhærent virtutes & gradus legis. Circa substantiam versantur legis formæ. Personæ, de quibus iura constituuntur, spectantur vel coniunctæ, vel separatè, vel media ratione. Cõiunctè, vt quum de toto aliquid populo, vel alia aliqua vniuersitate, corpore aut collegio agitur. Nam secundum politica principia, aliter multitudo, aliter singuli homines tractantur: vnde, multitudini parcendum, vulgo dicitur: &, quum singuli ætate maiores sint, respublica semper pro pupilla habetur. Vnde dicuntur, quæ de corporibus illicitis, iure reipubli syndicis, seruis & libertinis priuilegiis ciuitatum, & aliis rebus vrbium tractãtur. Separatè considerantur personæ, quatenus singuli hó mines alij ab aliis valde differunt: idque tribus modis, secundum triplicia hominis bona: animi, corporis: externa. Differentię hominis secundum animi bona, ducuntur è potẽtiis, habitibus & passionibus animi: vnde alij boni, alij mali, alij perfecti, imperfecti alij, quorum diuersa ratio in iure ac legibus habetur. Nam quum a perfectis plena perfectaque exigantur: in imperfectis, media officia sufficiunt. Deinde docti alij & ingeniosi, alij cõtra indocti & tardi: inter quos & ipsos iura & leges frequenter distinguũt, quum imperitię & rusticitati indulgent. Tum alij gnaui, acres, celeres, animosi, elati, duri, generosi: alij socordes, leues parui animi, humilesque & abiecti: quorum sæpè diuersissima est ratio, quum de prę miis & pœnis, aliisque huiusmodi rebus agitur. Circa corporis bona multæ etiam personarum sunt differentiæ. Nam differũt sexu, quòd alij mares sint, alij fœminæ: inter quos multæ iuris sunt differentiæ. nam fœminæ ab omnibus officiis ciuilibus remotæ sunt, læsæque restituuntur in integrum propter fragilitatem sexus. Differunt ætate: nã alij iuniores sunt, in qua re sæpè fit, vt ætati

pareatur. Differunt etiam valetudine & firmitate corporis: nam alij sani sunt, alij ægri, qui sontico morbo laborant, quorum a valentibus diuersa in iure constituendo ratio habetur. Circa externa bona, hominum differentiam pariũt diuitiæ & dignitates. nam alij diuites, alij pauperes, beati ac miserabiles, vt egeni, pupilli, viduæ aduenæ, quorum magnam vbique leges habent rationem: alij nobiles, potentes, honorati, liberi: alij ignobiles, impotentes, viles, serui: quos aliter atque aliter in eodem facto habendo esse constat. item alij cum imperio vel sine eo, alij magistratus vel priuati: inter quos magna in iure putanda est differẽtia. Iam media ratione, quæ inter coniunctam & separatam fit, spectantur personæ, facta relatione personarum inter se, vt mariti ad vxorem, fratris ad sororem, patris ad filium, cognati ad cognatum, ciuis ad ciuẽ, alieni ad alienum, amici ad amicum, hostis ad hostẽ, domini ad seruum, liberti ad patronum, discipuli ad magistrum, & similia. in qua quidem re magna vis sæpè inest. Nam aliter ab alieno mulier dotem repetit, aliter a marito: qui non nisi in quantum facere potest illi tenetur, aliter extranei hominis testamentum expugnatur, aliter patris, quod inofficiosum duntaxat dicitur Rerum iuri subiectarũ differentiæ tribus modis spectantur, secundum earum genera, substantiam, & formam. Si secũdum genera spectes: eadem, quæ principiorum, erit diuisio: siue facta, quę personarum, siue res, quæ dominiorum sunt, spectemus. Quo quidem modo res omnes aliæ ordinariæ sunt, vt claræ & apertæ: aliæ extraordinariæ, & obscuræ & perplexæ: aliæ mixtæ, vt singulares. Ex quibus ordinariæ, rursus partim definitæ sunt circumstantiis, partim infinitæ sine circumstantiis quæ porrò tum quidem externæ sunt, in quibus fauor & odium, vtile, necessarium, & decens versatur: tum quidem internæ. Ex quibus denuo nonnullæ ciuiles sunt, quę cuiusque proprię sunt

ciuitatis:

ciuitatis: quædam naturales, quæ omnium gentium sunt communes, quæ denique aliæ rursus pertinẽt ad iustitiam, secundum eius definitionem, diuisionem, & effectum: aliæ ad ius, Logicæ, Physicæ, Ethicæ: aliæ ad hominis potentias, passiones & habitus. adeò quot principiorum, totidem & rerum sunt genera. In his regula seruatur, prout quæq; res est, ita per eiusdem generis principia diiudicandam. Secundum substãtiam verò, nouem rerum sunt differẽtiæ. Primò, quòd omnes res sunt principales vel accessoria, vt signa & alię: secundò, partim ipsæ veræ, partim quasi huiusmodi, siue in causam effectumque earum cadentium: tertiò, vel totæ & integræ, vel in partes diuisæ: quartò, perfectæ & plenæ, vel imperfectæ & inchoatę: quintò, conceptæ spe, vel natæ re: sextò, substantiales & internæ, vel formales & externæ: septimò, integræ cœptæ, vel non integræ nõ cœptæ: octauo, vniuersitatis, vel singulæ: nonò, corporales facti, vel incorporales iuris. Quorum omnium magna in iure ratio habetur. Nã hinc dicimus, Accessorium sequi naturam sui principalis: Emptionem & venditionem perfici simulatque de precio conuenit: Obligationem vel ex contractu consistere, vel ex quasi contractu: Si dominus rem furto sibi ablatam a depositario repetit, totum negociũ spectandum esse: Nihil temerè de externis solennibus esse mutandum. Postremò secũdum formam quoque nouem sunt rerũ diuisiones. quod scilicet res omnes sunt magnæ vel paruæ, faciles vel difficiles, frequentes vel raræ, restrictæ vel laxæ, fauorabiles vel odiosæ, claræ vel obscuræ, expressæ vel tacitæ, diuinæ vel humanæ, publicæ vel priuatę. Porro differẽtię rerum secundum formam, ex ethicis: secundum substantiam, ex physicis principiis sunt decidendæ. Circumstantiæ quænam sint, & quam vim habeant, supra expositum est. quum de principiis ageretur: & verò hic etiam eorum meminisse oportuit. Quoniam diuersorũ respe-

ctu, modo pro materia sunt iuri subiecta, quia personis & rebus inhærent: modò pro principiis, quia res & personas dirigunt. Sic vt inter principia iusti & iniusti materiam iuri subiectam, quasi mediæ interiectæ nūc his nunc illis seruiant, subinde autem vtrisque applicentur, & vim illis prębeant. Nam in toto iure (inquit Papinianus) id principium habetur, quod per circūstantias ad speciem est directum. Quoniam de subiectis iuris ac legum diximus: tractemus nunc de eorum prædicatis. Ac primò quidem de prędicato status coniecturalis. Hoc autem est, quando circa quæstionem, qua quæritur, dictum, factum, cogitatum quid sit, lex certi aliquid statuit. veluti legato vini, & acetum in ea regione, vbi pro potu est, contineri. extinctis simul naufragio matre & puero, infantem prius videri mortuum. Harum quæstionum definitio pendet partim ex principiis artis expertibus, vt sunt testes & instrumenta: partim ex principiis, quæ continentur, qualia sunt pręsumtiones & coniecturæ. quarum illæ quidem ex naturalibus cuiusque rei principiis deducuntur: hæ verò ex iis, quę foris rem circumstant, eamque vel pręcedunt, vel sequuntur, vel ei sunt coniuncta. sanè vtræq; aliç aliis sunt vehementiores. Status diffinitiuus est, quum quid res sit quęritur, & id à lege, nominis ratione, definitione vel diuisione explicatur: quod diuersis modis accidit. Aliquando enim res declaratur esse talis, quod est naturale: aliquando pro tali aut tali haberi, quod ciuile: aliquando talem aut talem fingi, quod partim ciuile, partim naturale. Hoc autē in vniuersum constat principiis vel Physicis, vel Logicis: ex quibus vtique omnium rerum definitiones & nomina diuisionesque descendunt, vt obligatio est iuris vinculum, quo quis necessitate cōstringitur, alicuius rei soluendę: vel ciuilibus, veluti quum additur, secūdum nostrę ciuitatis iura. Nec raro fit in re dubia, vt ab ordinariis principiis ad extraordinaria procedatur.

tur. Veluti, quod apud Iustinianum, quia non liquet, vtrū emphyteusis emptio venditio sit, an locatio conductio: separatus per se contractus esse iubetur. Status iuridicialis est, quando quid res sit, & quod nomen habeat, scitur: sed qualis sit, dubitatur: hoc est, iusta an iniusta, licita an illicita sit, idque lege lata statuitur: veluti, quod dicitur duorum fratrum liberos rectè matrimonio iungi: adoptionem rem esse licitam, furtum illicitum, & similia. Quæ res pēdet ex principiis omnis generis, pro natura cuiusque, hoc est, rei & personæ. Nam prout quæque persona vel res subiecta est: ita per sui generis ac qualitatis principia dirigi, & prędicatum suum ab iis accipere debet, sic vt paria paribus respondeant: nisi aliud circūstantiæ cogant: quod sæpè faciunt, vt nō per sui sed alterius generis siue interna, siue externa, siue naturalia siue ciuilia, siue ordinaria siue extraordinaria, siue infinita, siue definita principia, res redigatur. Iam quantū ad coniunctionē subiecti & prædicati, hæc est per quam legis substantia conflatur. nam subiectum pro materia est, prædicatum pro forma. Et quidem ratione subiecti, omnes leges iuraque pertinent vel ad personas, vt Deum timere: vel ad res, vt, Ne sumas nomen Domini in vanum: ad circumstantias, vt, sabbathum sanctifica. Ratione verò prædicati, sunt vel coniecturalis status, vt, nemo suum iactare præsumitur: vel definitiui, vt, testamentū est testatio mentis: vel iuridicialis, vt, qvod quisque iuris in alium statuerit, eodem ipse vtatur. Ad hoc porrò sex genera, cum supremo ex eis mixto, quidquid in toto orbe iuris est, quantum ad hanc internam substātiam, reuocatur. Quandoquidem leges omnes vel affirmatiuæ sunt siue aientes, quibus quid asseritur confectando, definiendo, aut qualitatē eius explicando: vel contra negantes siue negatiuæ, quibus quid negatur. Post principia, quæ ad substantiam legum pertinent, explicata: veniamus nunc ad secundaria, quæ in virtu-

tibus, gradibus & formis legum collocauimus. Virtutes legum sunt, quæ earum substantiæ inhærent, adeò vt etsi non exprimātur. ex subiecto tamen & prædicato intelligantur. Consistunt autem partim in vetando malum, partim in iubendo bonum, partim in permittendo licitum, quod est indifferens. Ab his tribus virtutibus leges vocantur iussa vel vetita: itē omnes sunt prohibitiuę vel permissę: affirmatiuæ vel negatiuę: iustę vel iniustę: licitę vel illicitę. Atque ex his quidem virtutibus exterioribus & prędicatis interioribus lex dicitur esse vox siue ratio in Repub. (quod prędicati loco est & subiecti) iubens ea quę faciēda sunt, & prohibens cōtraria (quod harum virtutum) Legum gradus sunt tres, infimus, medius, summus. Infimus, quū non tam iubetur aut vetatur aliquid, quàm suadetur, dissuadetur, laudatur aut vituperatur, aut quo alio modo leuioribus verbis significatur, rectè fore vt fiat, vel non fiat: veluti, quod pater non prohibetur quidem filij sponsam vxorem non ducere, sed rectè tamē facturus dicitur, si ab his nuptiis abstineat Huc etiam pertinet, quod dicitur, quędam fieri prohiberi, quę tamen facta tenent. Hic infimus gradus est vel loco prohibitionis, quādo nō probatur, vel loco iussionis, quādo non contradicitur. Medius est, quum assensus expressè adhibetur vel denegatur: hoc facito, omittito. Summus demum, quum pręter assensionem vel dissensionem insuper prohibitio vel permissio accedit, veluti, dico edico vt facias, ne facias. Permissionis rursus alij tres gradus sunt. Summus, quū expressim simpliciterque & absolutè quid permittitur, quod accidit iis, in quibus nihil est mali. Medius, quum nō absolutè quid permittitur, sed non dicitur vetari tātum: vel permittitur adhibita hortatione vel dehortatione in contrarium: quod fit iis, quę per se mala non sunt, sed aliquid mali secum trahunt, vt in his per indulgentiam solùm procedatur. quo refertur. l. transige-

re. C.

re. C. de transactionib. disp. Infimus, quum non tam quid permittitur, quam conniuentibus oculis dissimulatur tacitè, aut toleratur: quod accidit in iis, quæ per se mala, vel certè non bona, ob hominum imbecillitatem maioris mali vitandi causa tolerare oportet, vt prostibula. Igitur quę permittuntur, ea permittuntur vt non illicita, quod infimi gradus est: aut vt licita, quod medij: aut vt pulcra & laudabilia, quod summi. Econtra, quę non permittuntur, ea non permittuntur, partim ita, vt tamen facta teneant, vel confirmentur. quod infimi gradus. partim ita, vt pro inutilibus, perperam factis & hmilibus habeantur, quod medij: partim ita, vt tanquam turpia & vituperabilia reiiciantur, quo ad res: & puniantur, quo ad personas, quod summi. Atque hęc quidem omnia inde dependent, quatenus principia vel vehementiùs vel remissiùs in res subiectas influunt, & ab iis recipiuntur, alięque aliis impediuntur, vel non: fitque ab his intentionibus vel remissionibus, vt leges alię vocentur pręcepta, quum quid iubetur aut vetatur: alię consilia, quũ quid suadetur aut dissuadetur: item vt earum alię sint magnæ, quę omninò faciendę sint: alię paruę, quę nõ omittendę. Porrò fit sæpenumero, vt quod ab initio inferioris gradus fuerat, postmodum fiat superioris, vt fideicommissis accidit. Formæ legum sunt directa, indirecta, mixta. Directam voco, quæ recta via declarat vel præcipit quod vult, vt plerũque accidit. Indirectã, quæ per circuitionẽ procedit. Ea quoque est triplex. Prima est iudicialis, quum quid ipso iure per directã actionem fieri nequit, beneficio actionis vtilis, exceptionis vel replicationis efficitur. Secũda quæ fit ope Magistratus, quum rebus succurritur per in integrum restitutionem, bonorum possessionem, officium iudicis. Tertia, quæ fit fictione legis siue nominis, quum verbi lenitate iustitia mitigatur, siue rei, vt in postlimi nio, Publiciana, & in eo quod qui in acie moriuntur,

perpetuò per gloriam viuere intelligatur. Atq; ad has quidem circuitiones sæpè veniendum est: vt, quod pugnantibus inter se principiis obtineri nequit, per anfractum obtineatur. Mixta ex directa & indirecta tum dicitur, quum directæ constitutioni aliquid insuper additur ad eam rem perandam ac dirigendam: quod fit vel per solam legem, veluti quod, quæ lex permittit filij spōsam ducere, eadem dissuadet ne fiat: vel per legem & Magistratum: veluti quum lex, quæ pupillo quid permittit, auctore tutore & Magistratu id fieri vult: vel per legem Magistratuum ac iudicum, veluti quod lege constitutum est, bona pupillorum non nisi decreto iudicis, causa cognita posse alienari. Porrò ad duas posteriores formulas deuenitur, quum lex directa, sola per se non sufficit: sed vel temperamento aliquo, vel Magistratus auxilio debet iuuari, vel vtroque simul. Nam hæc tria sæpe ope mutua indigent.

Expositis iis, quæ ad substantiam legum pertinent: dicamus nunc de iis, quibus natura earum cōtinetur. Hæc sunt origines legum, partes, & effectus. A legis origine tres eius proficiscuntur diuisiones. Prima diuisio est, omnes leges manasse partim ex naturalibus præceptis, quæ nobis cum beluis sunt communia, & in natura sunt iusta, vt maris & fœminæ coniunctio, liberorum procreatio & educatio, partim ex præceptis iuris gentium, quæ solis hominibus conueniunt, proueniunt vel ex diuinis principiis ante peccatum, vt amor Dei & proximi, quę sunt iurisgentium primarij, vel ex humanis post peccatum, vt emere, vendere, quæ secundarij, quod a primario arte & ingenio humano deriuatur: partim manant ex præceptis ciuilibus, quę ex ciuilibus ac definitis principiis industria humana deducta, vnius ciuitatis propria sunt, vt Corinthiorū, Atheniensiū, Lacedæmoniorum. Romanorum. Et ciuiles quidem hæ leges sunt legislatorum: quorū, quia alij

alij primarij, alij secūdarij, alij vltimi sunt: fit, vt omnes leges ciuiles sint vel legislatorum, vel secundariorum, vel vltimorum. Primarios voco, apud quos summa ciuitatis perpetuò est: qui quidem vel sunt plures, vel vnus est, vnus vt rex, aut princeps, a quo in iure manant placita, rescripta, orationes, sanctiones, & aliæ Principum constitutiones: plures, vt optimates, vnde Senatuscōsulta Macedonianum, Velleianum, Orphitianum, & similia: vel vniuersus populus, vnde plebiscita, vt lex Aquilia, Hortensia, & similes, & leges propriæ dictæ, vt lex Iulia, lex Cornelia, lex Pompeia, & aliæ tales. Secundarios nomino, qui ad tēpus præsunt: à quibus originem ducūt Prætorum, ædiliumque: his ad primariorū leges temperandas, supplendas, iuuandas, corrigendas, & executioni mandandas opus est. Vltimos appello, qui legibus interpretandis præpositi sunt: vnde responsa prudentum, quibus constant Digestorum libri, proficiscuntur. Porrò sæpè fit, vt secundariæ leges fiant primariæ, eas vel cum primariis ponendo, vel eos auctoritate primaria cōfirmādo, quod in Pandectis vsu venit.

Secunda legū ab origine diuisio est, quòd omne ius partim cōsensus facit, cùm a supra dictis Legislatoribus libera voluntate & electione constitutum à populis recipitur, quod ab homine potissimum proficiscitur: partim necessitas constituit, quod a naturalibus necessitatibus proficiscitur, in quibus legislalor coactè procedit, & hoc a mundo trahit originem: partim firmat consuetudo, quod tacito populi vsu paulatim introducitur. Hoc a tacita Dei voluntate oritur, nisi fortè ab errore fit, vt sæpè accidit. Tertia diuisio est: quòd leges sint vel primariæ, vel secundariæ, vel mixtæ. Primariæ non habent alias ante se, vnde deducantur. Secundariæ ab aliis deriuantur, aut per verborum interpretationem: aut per consequentias, vt patronorum legitima tutela. aut per exemplum quod fit, vel

quum quod semel atque iterum factum est, legislator ad exemplum trahit, vt Angelus fideicommissa traxit: vel quũ lex ab vna specie ducitur ad aliam, vt lex Cornelia de falsis, per Senatuscon. Libonianum ad testamẽta. Sanè sæpè fit, vt quod per deductionem in principio obtinuit, pòst pro iure principali habeatur. Postremò mixtæ, inferiorum respectu sunt pro primariis: superiorum verò pro secundariis, vt regulæ iuris, quæ aliæ vnius, aliæ alterius sunt generis. Possunt etiã leges ab origine aliter & quarto modo diuidi. Quædã enim propriæ sunt alicuius Reipubl. nempe domi natæ, vt Scytharum leges: alię peregrinæ, quæ foris sunt allatæ, & ab aliis Rebuspub. assumtæ: aliæ mixtæ, partim domi natæ, partim foris allatæ, vt leges xij. tabularum apud Romanos.

Legis partes sunt tres: prooemium, constitutio, & sanctio. Prooemium est, quod constitutionem præcedens, vtilitatem legis, necessitatem, æquitatem, rationem, causam, occasionẽ, & similia ostendit, vel ipsum auctorem. Constitutio legis continet voluntatẽ, quocunque causa modo proponatur, siue adiecta ratione, siue non. Sanctio, quæ constitutionem sequẽs, exhortationes ad seruandam legem proponit, nec non præmia & poenas, (vnde leges poenales, sanctiones appellantur) quæ a disciplina & gradibus iustitiæ originem traxit. Nec verò omnes leges istis partibus constant: sed aliæ tribus, aliæ duabus, aliæ vna duntaxat, siue constitutione, vt plerunque fit, quæ leges proprię vocantur: siue præmio, quæ præcepta sunt exhortantia ad bonum: siue sanctione, quæ iudicia, terrentia a malo. Sanè quum præmium legi pro capite sit, & originem ducat a doctrina, de qua supra diximus, constitutio pro corpore, & legis substantiam contineat, de qua explicatum est: sanctio legi pro pedibus est.

Effectus legum sunt, quod omnes vel quid statuũt, vel statutum tollunt, aut mutant. Statuunt, quæ aliquid

quid decernant, vt communiter accidit: sub quibus etiam continentur, quæ ab aliis statuta vel collecta confirmant: cuius generis sunt Iustiniani confirmationes, Digestorum, Codicis, & Institutionum. Quod statutum erat tollitur, vt veterem legem abrogando, vel ei demendo, aliquid derogando, vt de lege Fusia Caninia tollenda, de caducis tollẽdis, de formulis actionum sublatis. Quod priùs statutum fuerat, mutatur, partim de vno genere in aliud perpetuò transferẽdo, partim ei aliquid addendo, hoc est abrogando, vt de testamentis apud Romanos factum est, & in vsucapione tranformanda. Horum effectuum, hoc est statuendarum, tollendarum, mutandarumque legum, causæ tres sunt. Prima ducitur a rebus subiectis, de quibus leges feruntur, quæ quod mutatæ sint aliud postulant. Nam quum in rebus istis inferioribus nihil secundum principia physica sit stabile, quod non moriatur, mutetur, occidat, fit vt leges, quæ ex iis oriuntur, partim oriantur, partim mutentur, partim occidant, Quod quidem secus est de rebus & legibus superioribus, quæ diuinitus constitutæ, hominum quidem malitia obscurari possunt, per se autem interire, aut mutari non possunt. Secunda trahitur ab ipsis hominibus, quibus leges scribuntur. Nam prout illi perfectiores, aut imperfectiores sunt ac fiunt: ita leges quoque perfectiores aut imperfectiores illis sunt scribẽdæ. Vnde quum Moses rudi adhuc populo Israelitico legem diuortij dedisset: Christus, perspectũ populum instituens, eam abstulit. Nec pauca extant in iure ciuili Romanorum, quæ aliter rudioribus adhuc tẽporibus, aliter cultioribus fuere constituta, quibus pòst accedens religio Christiana plurima mutauit. Tertia causa proficiscitur a legislatoribus, re meliùs perspecta, & incommodis aliquibus emergentibus. Nam quum more ingenij humani labi & errare possint, sępe fit, vt seipsos aut superiores corrigant vel emendent. cui accedit, quod

res aliter atq; aliter inspecta, diuersas sæpè leges producit. Nam vnam & eandem rem multis modis rectè se habere posse, iam antè dictum est. Vnde fit, vt & animi affectio minimè vitiosa diuersarum legum sit causa.

Restat de iis, quæ legibus insunt, dicamus. Ea sunt, quæ foris legibus adiiciuntur: & sunt partim generalia, partim specialia. Generalia sunt ortus vel expressus per constitutionem, vel tacitus per consuetudinē: occasus, etiam aut expressus per sublationem, aut tacitus per desuetudinem. Specialia verò sunt vel prima, vel secunda, vel tertia. Prima legis accidentia sunt, quòd omnes leges partim sunt loquētes, vt magistratus & quasi magistratus, per quos multa fiunt, quæ legibus describi non possunt: partim mutæ, vt leges & constitutiones, quibus propterea opus est, vt intelligatur, quo iure in Repub. viuatur, & ne Magistratus pro suo arbitrio grassentur: partim mixtæ, vt iudicia, per quæ magistratus leges executioni mandat. ideo hæc sic ab inuicem dependent, vt mutua ope indigeāt, neque vnum sine altero quidquā efficiat. Hæc verò trahunt originem ex iis, quæ de principiis a definitione iustitiæ manantibus. Secunda legum accidentia sunt, quòd omnes leges sunt expressæ, tacitæ, vel mixtæ seu mediæ. Expressæ sunt, quæ per se existētes clarè exprimunt, quod volunt: vel testamento aliquid, vel prohibendo, vel mutando: & sunt partim scriptæ, quæ literis sunt consignatæ: partim non scriptę, quæ consuetudine, longo populi vsu obtinuerunt: eaq; siue tacitè per se nata (vt sępè fit) siue a legislatore lata (quod principium externum esse diximus) vt nonnunquam in rebus minoribus, & tamen in Republi. necessariis fit: partim mixtæ, quæ primùm consuetudine introductæ, pòst scripto comprehensa sunt, quod sæpè accidit. Tacitæ, quæ per se non subsistūt, nec quicquam exprimunt: sed ex aliis legibus per consequentias & exempla

exempla dependent, Mixtæ seu mediæ, per se quidem subsistunt: sed non claré exprimunt, quod volunt: verùm tegunt id figuris quibusdã & ænigmatibus. Tertia legum accidentia sunt, quòd legum aliæ sunt generales, aliæ speciales, aliæ singulares. Generales ad cunctos, qui in ciuitate sunt, pertinẽt, vt quemadmodum oportet, æquo iure inter se degant. Speciales, ad certum in ciuitate hominum genus spectant, vt iura militum, clericorum, professorum, & similium. Singulares in singulorum hominum priuilegiis consistunt, vt quum singulari ratione aliquid præbetur aut irrogatur, quibus subinde opus esse singularia principia, de quibus antè dictum est, demonstrant: fitque frequenter, vt ex singularibus vel specialibus legibus generales fiant, & econtrà.

Dictum est, quo pacto ad pincipia iura legesque se habeant: dictum est etiam, quomodo principia se habeant ad iura & leges: superest, vt videamus de intelligẽtia legum per principia. In hac re primùm sciendũ est, in quonam vera hæc intelligentia consistat: deinde quomodo paretur. Consistit autem vera iuris ac legum intelligentia in his quatuor: primùm, vt quidnã velit lex, intelligatur: deinde cur ita velit, hoc est, quęnam sit eius ratio: tum, quæ vis eius sit & effectus: postremò quo pacto plures leges in speciẽ dissentientes re ipsa concordent. Acquiritur autem vera iuris ac legum intelligentia, per certam earum interpretationem. Ea interpretio triplex est, Scholastica, Forensis, Politica. Scholastica interpretatio circa nudam legis intelligentiam versatur, quod ad docendas leges pertinent. Eius à natura ducti tres sunt gradus: vniuersalis, generalis, specialis. Estque res perinde, atq; si quis eminus videns primùm animal esse cognoscat, deinde hominem, tum Titium aut Seium. Vniuersalis est, quæ totius iuris alicuius populi, Atheniensis fortè vel Romani, summam cõplectitur. Eius partes sunt tres

Prima, quot totius alicuius iuris libri, & qui ostẽdũt. ac sunt hi quidem alij Isagogici, Institutionum: alij principales, Pandectarum & Codicis: alij accessorij, Nouellarum constitutionum. Secũda totius iuris titulos seu Rubricas profert, & quomodo inter se vnum corpus efficiãt & cohæreant, & quid generaliter significent, ostendit. Quod quidem in libris Institutionum haud difficile factu est, nec non in Pandectis, quibus, quòd certo ordine atque via sunt descriptæ, Digestorum est nomẽ: atque adeò in libris Codicis, qui a methodo Pandectarum non multum abhorrent. Cęterũ in libro nouellarum constitutionem fieri non potest quoniam non rerum, sed temporum ordine sunt digestæ. Tertia facit, vt cuiusque tituli significatio intelligatur, & lex eius generalis, vt pacta seruanda esse, & eius ratio ex principiis ducta, nempe nihil magis cõgruum esse fidei humanæ, quam vt ea quæ placuerũt seruentur. Generalem scholasticam interpretationem voco, quę ad singula membra seu titulos descendit, & cuiusq; tituli summam exhibet, quod fit duobus modis. Primò eorum, quæ sub quoque titulo sunt, ordinem demonstrando, & singula diuisionis membra ac capita explicando: quod quidem in libris Institutionum nihil admodũ habet difficultatis. Quia non modò tituli ipsi, sed & ea quæ sunt sub titulis certo ordine ac methodo constãt. atque idem quoque sentiendũ esse de Pandectis, ex eo apparet, quòd plurimas leges ex diuersis Iurisconsultis ita contextus videmus, vt vnam sententiam efficiant, nõnullosque titulos in duas aut tres partes distributos. Estque hæc ratio in Pandectis seruata, vt vel proposito edicto Prętoris, legéve, aut senatuscõsulto, ad eius interpretationem regi siquæ applicentur, vel certis capitibus totus titulus distinguatur: quæ licet non exprimantur: non difficile tamen, si quis diligenter animum attẽdat, colligi possunt: quanquam hæc omnia non ad viuum resecari,

sed pinguius accipi debent. Secundus verò modus est, quum quis ipse sibi certa capita constituit, & ad ea vniuersa, quæ sub Rubrica sunt, legum capita reducet. Quod in Codice nõnulli effecere: quoniam ibi leges nõ rerum, sed personarum, hoc est Imperatorũ, prout alij aliis successere, ordine sunt digestæ. Ac quantum ad nouellas constitutiones attinet, vt plurimum vel vnam duntaxat rem tractant, vel si plures, ita, vt ipse se ordo prodat. Fitque his rebus facillimè, vt totius alicuius tituli summam ob oculos positã quis habeat: ac maximè quidem, si singulorum capitum rationes ex principiis repetantur, iisque tanquam vinculis in animo ligentur, absque quibus non erudita, sed vulgaris est memoria, quæ non certa scientia, sed opinione continetur. Specialis interpretatio dicitur, quæ ad singulos tituli articulos seu leges perfectè explicãdas descendit. Eius partes sunt quatuor, interpretatio Historica, Etymologica seu Ætiologica, Pragmatica, & Analogica. De quibus singulis accuratè videndum Et quidem quum historica interpretatio ipsi legi inhæreat: Etymologica autẽ supra ipsam feratur. Pragmatica verò infra se dimittat: Analogica per omnia vagatur. Historica interpretatio declarat, quid lex secũdum subiectum & prædicatum dicat, ad quod potissimum Dialecticis & Grãmaticis principiis vtitur. Consistit autem in septem: verborum obscuriorum interpretationes, antiquitatis, si qua ad rẽ opus est, explicatione: rerum, quę noscenda sunt, præmissione: legis propositæ, si res postulat, diuisione: speciei facti apta fictioni: totius in vnam summam cõiectione: & scripturæ, vtrum se recte habeat examinatione: qua tamen in re sic versandum est, vt a scriptura communi & recepta, non nisi necessitate cogente, & re euidenter comperta, & publica auctoritate recedatur. Estque in hoc genere interpretationis diligenter cauendum, ne aut apprehensis verbis legis, contra eius nitaris volun-

tatem: aut iis neglectis, a vera eius sententia aberres. Ad interpretationem Etymologicam propriè pertinet, vt quæ vera legis ratio sit, & causa & occasio, indaget: qua in re vna anima ipsius legis, quę interpretanda suscipitur, & vera scientia, illius qui eam interpretandam suscipit, consistit: adeò vt, si illam ignoret, nihil nôrit. At quum historica interpretatio cum legulei squoquomodo communis videri posset: pragmatica autem cum pragmaticis: analogica cum vtrisque: hæc propriè veri perfectique Iurisconsulti est, consistitque in eo, non vt leues quasdam & peruulgatas tritasque ratiúculas afferat: sed ad ipsa vera propriaque principia suprà commemorata, secundum cuiusque rei naturam legem reducat: eiusque veram rationem à capite, quoad eius fieri potest, accersat. Hæc considerat rationem, causam, & occasionem. Nam hæc lóngè latéque differunt, & si nomina sæpè confundantur. Ratio enim a principiis manãs, natura ipsa est insita. (siue enim regio aggeres habeat siue non, per se verum est, aggeres non esse perfodiendos.) Causa verò rebus adhæret, & ab iis non diuellitur. Vnde si regio aggeres non habet, nihil opus est, vt lex de iis non perfodiendis feratur: sin autem habet, contra. Postremò occasio extra rem & principia posita foris aduenit, mouens animum legislatoris ad aliquid faciendum: vt si ob perfossos aggeres, & damnum quod inde accidit Princeps impellatur legem de non perfodiendis aggeribus scribere. Atque hoc modo circa postulationem mulierum apud Romanos prohibitam occasio erat improbitas Calphurniæ: Causa, communis vsus postulandi mulierum: Ratio, pudor sexus. In exquirendis autem rationibus hic ordo tenendus est: vt primò proponatur ratio dubitandi, deinde ratio decidendi, tum vtriusque collatio: idque tum quidem circa inferiorem substantiam, vbi subiectum pariter & prædicatum, diligentissimè secũdum tres sta-

tus

tus considerandæ, & ad sua principia reuocanda sunt: vnde mox vera ratio elucet: tum autem circa exteriorem nec non naturalia eius & accidentia, si qua fortè se offerant: (nam non omnia vbique locum habent) quorum ipsorum ratio indaganda & explicanda est. Vitium autem, quod in hoc genere declinare oportet: ne non inuenta ratione, continuò lex damnetur: alioquin multa subuerterentur. Pragmaticæ interpretationis, quæ vim & effectum legis perpendit, triplex munus est, Primùm, vt ex lege proposita notabilia colligat, quæ insunt vel expressè vel tacitè: velati quum ex specialibus legum constitutionibus, quæ iam generales sententiæ eliciuntur: quod genus acutum inprimis est, & fructuosum, dummodo modus adhibeatur. Secundum munus est, vt ex claris legis verbis eius tacita voluntas colligatur, quod fit vel porrigendo ea latiùs vel auctiùs restringendo: idque dependet in latitudine vel angustia siue rationis siue verborum. Nā si lex dicat, genitorē honora: patrem honore afficiendum esse: expressum est: matrē tantùm ex verbi genitoris & rationis latitudine. Est tamen diligeter in hoc genere cauendum: ne aut omissa ratione legis: verba eius vrgeas, fraudemque latoris facias volūtati, quod sycophantarum est: aut contrà omissis verbis, rationē æquitatis, ampliùs quam oportet, producas: qua in re multos grauiter decipi, Celsus ait. Tertium porrò munus est huius interpretationis, vt præter superiora etiā ea, quæ in vim vel effectum legis siue tacitè siue expressè cadunt, inde educantur. Nam tametsi quidem propriè intestatus est, qui testamentum non fecit: vi tamē & effectu pro intestato habetur, cuius testamentum nullum exitum habuit: vnde in eandem causam cū intestato cadere dicitur. Analogica interpretatio, cum ea lege, quam interpretamur, dissidentes (vt videtur) leges conciliat: idque tribus modis. Vno quo leges in speciem pugnantes non pugnare ostenditur.

veluti, quum non solùm verbis ipsius legis (quæ sæpè variè capiuntur) sed ipsius præcedentibus, sequentibus, coniunctis, & titulis sub quibus ponuntur, & auctoribus ac libris vnde desumuntur, & similibus consideratis, demonstrantur, vel subiecto (hoc est, facti specie) vel prædicato (hoc est, constitutione ipsa) eiusque virtutibus, gradibus, aut formis, vel denique vtroque sic eas differre, vt recta differentię ratio reddi, & antinomia dissolui possit: quod quum sit, nulla vtique antinomia vel legum pugna est. Secundo modo, vna lex ad aliam trahitur: sicuti quum dispicimus, vtra alteri cedere debeat, vt vel vires suas penitus amittat, vel secundum eam distinguatur: quod depēdet ex eo, vt cognoscantur tria. Primum, quis eius legis auctor, & quo tempore lata. nam non est nouum, inquit Paulus, vt priores leges ad posteriores trahantur. Secundum, quomodo verba sint concepta, an vt ius faciant, an verò vt rem propositam rudi aliquo exemplo declarēt, vt fit in libris Institutionum. Tertium, quibus principiis quæque lex nitatur, boni an æqui, physicis an ethicis, externis an internis, & similia, ex quibus hæc præponderare debeant, ex re statuendum est, nisi quòd generalis regula est. In omnibus rebus potiorē esse iustitiæ æquitatisque, quam stricti iuris rationem. Tertius modus, quo hæc interpretatio vtitur, est ex vtroque pręcedenti mixtus: quum partim vnus, partim alter adhibetur, hoc est, quum vtrunque conciliationis genus miscetur. Porrò qui ad scripturæ emēdationes confugiunt, ij grauiter peccant, & inscitiam ignorantiamque suam testantur.

Post scholasticam interpretationem explicatam, deinceps, vt erat propositum, de Forensi dicamus: quæ iura legesque in scholis cognitas, in forū & iudicium tanquam in puluerem & solem producit. Nam pertinet ad leges exercendas. Consistit autem tum in legis actionibus, tū in fori quæstionibus. In legis actionibus

nibus consistit, quam a legibus ad res forenses descenditur, demonstrando, partim quo pacto, quæ legibus descripta sunt, ad communem vsum in foro deducantur, quod est intelligentiæ: partim quomodo ad effectum deducantur, quod cautionis, vt si forte testamentum condendum, negotium contrahendum, aut simile quidpiam secundum præcepta legum faciendum: partim quo pacto actiones in foro exerceantur, quo ad formulas actionum, exceptionum, replicationum, & similia rite in iudicio instituenda pertinet. In fori verò quæstionibus consistit, quia a quæstionibus propositis ad leges ascenditur: vt, quid iuris secundum earum præscriptionem in iis sit, inuestigetur: ad quam rem opus est inuentione & diiudicatione. Inuentionis duplex munus est: primum, vt quidnam in disceptatione quæstioneque sit, intelligatur: quod pendet partim ex intentione actoris, vt debes mihi centum ex mutuo: partim ex defensione rei, non debeo, quia acceptum tulisti: partim ex firmamento actoris, non tuli: ex rationis autem & firmamenti conflictu, quædam quæstio oritur, quæ vocatur disceptatio, in qua quid veniat in iudicium, & de quo disceptetur quæri solet. Secundum est, vt inuento eo, quod in iudicio versatur, videatur, qualenam id sit, hoc est: cuius status, coniecturalis, definitiuus, an iuridicialis. Diiudicationis verò tres sunt gradus. Primus, vt posito eo, de quo quæritur, ab vna parte, & iure ac legibus descriptis ab altera, videas, ecquid res proposita (quam totam semper inspicere oportet, ab omnibus suis partibus ac membris, aliisque quibus coniungitur) legibus vna vel pluribus expresse vel tacite vi & effectu decisa sint, necne. Secundus si eo destituare, vt videas, annè saltem ex legibus deduci possit: quod fit, vt ante diximus, vel per consequentias, vel per similitudines. Nam ad hæc duo capita plerique omnes argumentorum loci possunt reuocari. Tertius demum, vt primum ad illam

(si nihil ex superioribus fieri queat) in cõsuetudinem secundum regulam iuris, te referas: deinde ad res iudicatas, quæ pro veritate habentur: tum ad prudentum sententias & opiniones: postremò, si ne hoc quidem modo res exitum inueniet, vt Nomothetam, hoc est principem consulas.

Superest de Politica iuris ac legum interpretatione dicere, quæ in Senatu & Repub. regnat, spectans ad cõdendas leges, eius sunt duæ partes: vna maioris illius artis, quæ a Platone vocatur Nomothetice: altera minoris, quæ dicastice. Nomothetice versatur circa leges condendas, corrigendas, tollẽdas. Et quidem hæc quid iustum aut iniustum sit, indagatura, primò subiectum: deinde prædicatum considerat: pòst illa inter se confert: & quomodo illa inter se, secũdum iusti & iniusti principia, conueniant perpendit. Dicastice verò versatur circa leges conditas interpretandas, adiuuandas, vel supplendas. Nam quum nullæ leges ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque incident, cõprehendantur: reliqua vel interpretatione, vel iurisdictione, vel constitutione principis, per consequentias vel similitudines suppleri debent,

METHO-

METHODVS ET RATIO DOCENDI INTERPRETANDIQVE IVRIS CIuilis: unà cum Partitione & Oeconomia Pandectarum annexa: Anonymo Iurisconsulto auctore.

SOlent interpretes iuris in commentariis suis certum ordinem vbique ferè suo more seruare: quum plano, vt aiunt, stylo enarrationes persequi volunt. Primùm enim cohærentiam ostendunt, quam continuationem vocant: vt quomodo antecedentia consequentibus cohæreant, intelligi possit: vtque aliud ex alio, certa doctrinæ serie, fluere ostendant. Deinde ad explananda obscura, & ignota patefaciēda, de quibus in proposito tractatu agitur, quædam solent præmittere: ad totam dispositionem rectè intelligendam maximè necessaria: & veluti instrumenta quædam institutæ materiæ: vt cum vocabula nimis generalia, vel ambigua, vel tyronibus prorsus ignota leguntur, definitionibus vel diuisionibus exponantur. Hoc enim ad cōpendiosam totius materiæ, de qua hic agitur, declarationem inprimis necessarium est: vt omnis, auctore Tullio, quæ a recta ratione suscipitur, aliqua de re institutio a definitione proficiscatur, & clarè intelligatur, quid sit id, de quo disputatio est. Nam defini-

tionibus terminorum non constitutis, quasi in tenebris palpitamus: atque inanis est, & irrita tota cōtentio. Ideoq́ue Caius Iurisconsultus interpretationem aliquam facturis inconueniens esse dicit, sine præfationibus ordiri: quibus præmissis iuuentur discentes ad clariorem propositæ materiæ cognitionem: vt inde euidentem intellectum arripiant. Tertiò totam materiam in membra quædam partiuntur: vt discentes veluti Oeconomiam aut dispositionem perspiciant, vnde felicior intellectus, aut firmior existit memoria. Confusio enim parit obscuritatem, & perturbat memoriam, argumen. § 3. Institu. de lega. Quartò totam doctrinam in breue sermonis compendium contrahunt: quam summam vel summariam vocāt: idq́ue ideo, vt hac breui & compendiosa comprehensione discentes totam materiam animo comprehendant, ac secum circumferant. Quintò speciem facti recitant, ex decisione ipsius textus: vt de qua re fuerit disputatio præcipue, vel dubitatum, veluti exemplo ostendant: idq́ue vocant figurationem casus. Quod adeo familiare est interpretibus: vt supra modum, magno etiam fastidio, in thesibus & sententiis generalibus, eiusmodi formationes casuum faciant: quum propriè ad specialium sententiarum & hypothesium declarationem pertineant. Sextò rationes dubitandi ac decidendi diligenter inuestigent: ne quid vel sine dubitatioe, vel citra honestam causam legislator statuisse videatur. Septimò percurrunt textum, & verba Germanicè explicant: vtrumque sensum ex vera lectione, propriòque vsu verborum eruunt, monstrant, & colligunt: vt eorum instituta partitio, & summaria comprehensio, denique & ipsa facti narratio, verbis textus congruat, planè perspici queat. Octauò ex singulis ferè partibus textus, atque ex verbis memorabilibus sententiam & generalia dicta, quæ Notabilia vocant, excerpunt ac colligunt, ex quibus per similitudinem

liendi iam tum facti, tam rationis, multas quæstiones
decidant. Neque enim ita aut verbis, aut sententiæ le-
gis incumbendum putant: vt eam tantùm in propo-
sita specie locum habere putemus, adeoque restrin-
gamus: vt nusquam extendere, & ad alios casus inge-
niosè transferre, & adaptare liceat. Similia enim ex si-
milibus sunt iudicanda: vt ex vno generali dicto mul-
tæ speciales cõtrouersiæ, modò erudite explicentur,
definiri possint. Nonò antinomias dissoluunt: & leges
contrarias opponendo conciliant: ne quid discenti-
bus ad indubitatam & solidam cognitionem præsen-
tis materiæ desit: aut ingenia contrariis sententiis
non discussis, aut antithesis in cõtrarium allatis non
prius extricatis, in perpetua dubitatione hæreãt. Ne-
que enim recte aliquid cognoscitur, nisi cõtrariorum
dictorum repugnantia, partim ex varietate facti, par-
tim ex rationis diuersitate, eleganter sublatæ sint.

Hic est ordo, & hic est modus, quem interpretes le-
gum in scholis sequi consueuerunt: qui etsi non in-
commodus, nec planè vituperandus est, si prudenter
eo vtamur: ita nimis curiose ei immori, nec ab eo vs-
quam discedere velle, omninò imprudentis est. Sæpè
enim res ipsa, cuius interpretatio facienda est, aliud
monet & postulat. Nam vt de continuatione primùm
dicamus, quid, quæso est ineptius, quam eam vbique
solicitè quærere? Quum satis manifestum sit, totum
ius non ita concinnè a Iustiniano in ordinem reda-
ctum esse: vt tota serie ac veluti methodo exactè om-
nia inter se cohæreant. Vt enim singulæ leges non eo
ordine, nec ea integritate ad nos peruenerunt: quem-
admodum ab ipsis primùm auctoribus cõscriptæ fue-
runt: sed ex diuersorum prudentum responsis, variis-
que responsorum fragmentis coagmentatæ sunt: ita
& tituli Digest. & Cod. temere confusi potiùs, quam
consultò distincti, in ordinem perpetuum & constan-
tem redacti sunt. Nam sicut res vtcunque tulit, ita

alias materias aliis interdum, leui occasione, absque accurato iudicio, subiunctas videre licet: vnde sæpè eandem legem sub diuersis titulis ad verbum positam, easdemque sæpe leges ingeminatas legimus. Nimis igitur anxiè, vel prorsus superstitiosè cõtinuationem vbique indagare, prorsus otiosum & inutile est: satis est, eam discentibus constare, vbi commodè se offert, & ex serie quadam rerum haberi potest. Deinde leges ita sunt conuulsæ, ac tumultuariè sub titulis digestæ: vt nullo planè ordine inter se cohæreãt: ideoque interpretes ipsi fatentur, legis ad legem nullam esse cõtinuationem. Quare hoc continuationum demonstrandarum studium tunc demum vtile est: quum rerum coherentia & ordo id requirit: alioqui curiosam diligentiam in hac re impendere superuacaneum est. Neque verò id, quod secundo, quarto & sexto loco interpretes facere indicauimus, semper necessarium est. Nonnunquam enim sine præfationibus aut vllis præmissis, rem ipsam aggredi satis commodè possumus: ac res interdum adeo succinctæ sunt, vt nec breuiori nec elegantiori compendio comprehendi, aut efferri possint. Postremò speciem facti in omnibus recensere, & casum fingere, argumentum rei nequaquã patitur: ideoque nec dubitandi rationem in omnibus legibus seruari operæpretium est. Neque enim propriè ad earum legum interpretationem pertinẽt, quæ aliquid factum definiunt: & hypothesin, non thesin continent. Hypothesis enim non concipitur: nisi commemoratione totius facti, tanquam historiæ: cuius intuitu Iurisconsultus responsum suum edidit: & in hac ratione dubitandi, quæ ex ambiguè facto oritur, diligenter perscrutanda est: vt de æquitate responsi manifestius constare possit. Thesis autem, seu lex vniuersaliter loquens, etsi exemplis illustrari potest, & debet: tamen quia ex vno aliquo facto oritur, nullam speciem facti, neque rationem dubitandi recipit:

quamuis ratio decidendi, vel potiùs statuendi studiosè inquirenda est. Vnde facilè conspici potest, imprudenter eos facere, nec consulere studiis discentium: qui sine iudicio & delectu, eundem modum in legibus interpretandis promiscuè amplectũtur: nec, quid res proposita potissimùm exigat, perpendunt, aut cõsiderant.

Omnis ergo recta & artificiosa interpretatio sic instituenda est: vt propositæ materiæ sit accommodata: eáque perspicuè explanet atque illustret: nec superuacua rerum congerie infirma ingenia nimium oneret. Eam autem in genere ita commodissimè fieri posse arbitror: si primò rerum dispositio & cõtextus ostendatur: quo simul & argumentum totius doctrinæ complectimur. Erudita enim dispositio materiæ propositæ, & velut Oeconomia, ordine suo facta, magnam lucem rebus intelligendis affert: ac, quid præcipuè doceatur, veluti per Isagogen ac summariam quandam comprehensionem ostendit. Deinde Grammatica orationis explicatio, cum diligenti distinctione ac definitione verborum: additis etiam causis, & rationibus doctis, suscipiatur. Hoc enim adeò vbique necessarium est: vt quasi fons sit omnis intelligentiæ rerum: & aditum ad reliqua tractanda patefaciat. Nam sensus rerum absconditus est, & quasi in profundo latet: nisi explicatione illustri proferatur ac elucescat.

Tertiò collectio memorabilium dictorum & locorum, tam ex verbis, quam ex summa legis fiat: ex quibus cognitæ quæstiones multæ diiudicari ac decidi possunt. Hoc enim est scire leges: vt Celsus ait, vim ac potestatem earum ita intelligere: vt quomodo iuxta verba & voluntatem ad multas quęstiones protendi & applicari debeant, pernoscamus. Atque tanta est huius exercicij vtilitas: vt multi existimarint: id solum ad summum eruditionis gradum consequen-

dum sufficere: quum ingenium vehementer acuat; magnamque perspicaciam in iudicandis causis conferat. Postremò discutiantur contraria, quæcunque aduersus rem excitari possint. In hoc enim fidelis interpres præcipuè incumbere, omnesque neruos intédere debet: vt subtili ratione pugnantia diluat: omneque dissidium contrariarum sententiarum tollat, atque conciliet: ac ita adolescentes ad solidam perfectamque iuris cognitionem perducat. Itaque & veterum commentatorum potissimum studium fuit, per contraria & oppositiones, legum sensus excutere, & hac veluti methodo viam veritatis aperire. Contraria enim iuxta se posita magis illucescunt: ac dubitationum solutio, est veritatis inquisitio, vt ait Aristoteles. Hæc si interpres diligenter præstiterit: ac interdum, pro rerum necessitate, ex supra dictis modis aliquid immiscuerit: proculdubio magno cum fructu discentium, præclarè suo munere fungetur. & discentes ad hanc legum explicandarũ rationem assuefacti, compendiosius celeriusque suum absoluent curriculum.

Ac vt huius tractationis vtilitas illustri exemplo demonstretur: præsentem materiam eo modo enarrabimus.

DE VETERI IVRE ENVcleando.

PRima hæc est constitutio Iustiniani operi Digestorum præfixa: eaque Triboniano dedicata: quę tria continet. Primùm, Consilium de componendis Pandectis. Deinde Mandatum conficiendi operis, ex præscripta ab Imperatore forma: vt publica auctoritas operi futuro cõcilietur. Postremò, præcepta quædam de nuncupatione operis, eiusque interpretatione & scriptione

ſcriptione Cõſiliu, hoc eſt, vt vetus iuriſprudentię ab exordio Reipu. Rom. nata, & multis ſapiẽtiſſimorum interpretum voluminibus diſperſa, in breue opus, & compendium redigatur. Mandatum datur Triboniano: vt delectis pro ſuo iudicio quibuſdam aliis prudentibus & legum peritis, opus ex præſcripta forma faciendum cum ipſis adoriatur. Hæc autẽ forma multa habet capita: quæ totius operis perfectionem pulcerrimam diſponunt. Primum caput eſt, vt materia colligatur ex veterum iuriſprudentum libris, quibus reſpondendi de iure auctoritas a principibus conceſſa fuit. Secundum, vt totum opus in L. libros, & certos titulos, vel iuxta Codicis primò editi formam, vel iuxta perpetuum Prætorij edicti ordinem, prout commodior ratio videbitur, diſtribuatur. Tertium, vt veras ſententias abſq; multitudinis iudicio colligat: quum omniũ iuriſconſultorum par ſit auctoritas: nec quiſquam alteri, quò ad auctoritatem iuris, quam ab Imperatoribus pariter acceperut, præferri debeat. Quartum, vt vitia veteris iuriſprudentiæ corrigat: nẽpe confuſa in ordinem redigendo, ſuperuacua reſecando, imperfecta ſupplendo, iniqua ad æquitatem reducendo: & pugnantia reconciliando: & ſimilibus denique ſententiis non ingeminandis. Quintum, vt leges vetuſtate abolitas, & deſuetudine ſublatas fugiat, nec huic operi inſerat: niſi quæ in iudiciis viſitata, & conſuetudine approbata ſint. Præcepta denique ipſa ſunt generalia: primò de nomine futuri operis, nempe vt Digeſta vel Pandectæ appellentur: deinde de interpretatione, ne quis verboſa commentaria in hoc Pandectarum opus faciat: poſtremò ne quis conciſis ſcriptoribus per notas quaſdam, vt ſit a librariis, huius operis lucem obſcuret: ſed ex iuſta literarum cõſequentia integra verba ſine obſcuritate exprimat.

ACCOMMODATIO PRImæ constitutionis ad vsum Fori.

CÆterùm vt in omnibus artibus, ita potissimùm in doctrina iuris duo spectanda sunt: Methodus nimirum, & vsus. Methodus ordine & compendio constat: vt, quæ traduntur, apta dispositione, & serie rerum inter se cohærentium, breuiter & compendiosè coagmententur, & dilucidè explicentur. Vsus exercitatione comparatur, & quæ tunc rectè suscipitur, quum de vtilitate rei cuiusque propositæ admoniti fuerimus. Sicut igitur in enarratione Pandectarum iuris custodes methodi esse debemus, ita quis vsus sit rerum in singulis capitibus propositarum, breui annotatione, & veluti indice monstrari oportet: vt discentes se in his exercere, & fructum inde aliquem ad Rempublicam afferre possint. Nam Reipublicæ gubernatio verus ac præcipuus scopus & finis est totius iurisprudentiæ. Est autem perutile, omnia, quæ in iure leguntur, omnino ad formam Reipublicæ accommodare: non tantùm eius, in qua ius pronunciatum est, & secundum quem leges latæ sunt: sed etiam illius, in qua versamur: vt quem vsum hodie habeant, intelligere possimus. Quod vtrumque, magna iactura discentium, ab interpretibus vt plurimum negligitur: vnde deploranda quadam infelicitate temporum accidit: vt redeuntes ex scholis iuris studiosi nihil minùs possint, quam præesse Reipublicæ. Totum enim opus legitimum, vt Iustinianus loquitur, nondum absoluerunt: quod in magno rerum ciuilium vsu, & morum, quibus nunc vtimur in Republica, plena cognitione constat: quarum rerum in scholis nunquam admoniti fuerunt.

Friuolis enim argumentis, & vanis altercationibus, & ambitiosis commentariorum aliorum super alia cumulationibus, contendendarum litium occasiones collegerunt:

legerunt de Reipublicæ vtilitate & salute, ex legum doctrina prouehenda atque ornanda nihil solliciti. At nos his exemplis edocti, exuscitemus studia ad meliorem frugem, & saluberrimam doctrinam doctissimorum hominum percipiendum: & tradita ab his ad nostrũ forum, & Reipublicæ vsum accommodemus. Hæc enim est vera Philosophia, quam Iurisprudentes sectari debent: vt præclarè docet Vlpianus in l. 1 D. de iustitia & iure: nempe promouere, & exercere iustitiam: Quæ, vt Euphrates Philosophus eleganter dixit, nihil aliud est, quam inter homines Deum agere, id est, multis prodesse: vt interpretatur Cicero lib. de Nat. Deor. 2.

Posteà quàm igitur, quid & quo ordine Imperator in prima cõstitutione tradiderit, satis, vt opinor, perspicuè traditum est: videndum nunc est, quæ potissimum vtilitas inde colligenda: & quæ ad communem prudentiam, & iudicium formandum de rebus ciuilibus commoditas percipienda sit: quò veluti in vmbra tractata, in lucem & vsum fori producantur.

Primum est, in omnibus rebus humanis domi & foris rite peragendis, diuina auctoritas inuocanda est.

II. Studium legum rectè disponendarum, vt diuina & humana bene habeant: & tuta sit inter improbos innocentia: vnde & necessarium est: & ad primarium iudicium summorum principum pertinet.

III. Ordo dilucidus, & perspicuitas in componendis legibus, pręsidium præbet vniuersis hominibus ad res suas tuendas, & ad tranquillè viuendum. Hodie in nostra Republica tanta est legum confusio & discordia: vt quid secundum leges fieri oporteat, vix diuinare liceat, vel ipsi iudici. IIII. Exemplis & vsu rerum edoctis, qui & scientia legum, & vsu fori præstant, legum cura & iudicium, de idoneis personis ad aliquod munus publicum adhibendis, committendum est: approbatio verò, & cõfirmatio est magistra-

tis superioris. V. In multorum consortio, ad vnam aliquam rem perficiendam, vnius vigilantioris studio, & opera, res tota celebranda est. VI. Interpretatio legum auctoritate publica facienda, secùs facta, nullam vim habet, meritoque reiicitur & improbatur. VII. Auctores & interpretes iuris publica auctoritate pollentes omnes pares sunt: nec in foro & iudiciis tam enumerandæ sunt opiniones Iurisperitorum, vel causidicorum: quam expendendæ iudici, nec vnius quantumuis pollentis sententia apud æquum iudicem semper præualere debet: sed veritas potius, quisquis eam produxerit Hic locus insignis est, aduersus eos, qui ex pluralitate opinionum pendet: quoties de iure pronunciandum, & sententiæ publice dicendæ sunt. Item admonet eos, qui multitudine testium aliquid euincere student: quum non ad multitudinem, sed sinceram fidem respici oporteat, vt ait Iurisconsul.

IIX. Non est credibile, partes inter se contrarias esse: sed magis pro concordia præsumitur. IX. Desueta & abolita non sunt pro iure habenda: ideo que lege municipali veterem legem allegare non licet, nouæ fortè contrariam: si modò corrigendi reformatibus potestas concessa sit Paul.l 28. D. de legibus.

X. Omnes ciuitates tenentur sequi ius Romanum. Quod eo prodest, vt sciamus, deficientibus statutis municipalibus & legibus, ad ius Romanum, tâquam commune omnium, decurrendum esse. XI. Nulli Iurisperito vel iudici leges aliter interpretari permittitur, quam vt ex verbis, & voluntate earum certam sententiam colligat: & eatenus progrediatur: quatenus aliis locis adductis id probare liceat. Et hactenus de constitutione prima, Sequitur altera.

TANTA CIRCA NOS. &c

PRolixa est hæc constitutio: & multa capita vtilia de confecto opere Digestorum recte pere[illegible]

explicat.

explicat. Summa autem hæc est, quod vniuersi operis methodum & argumentum cum partitione & veluti oeconomica omnium membrorum, (secundum quæ Idea quædam commodè capi ac formari potest,) aperit & demonstrat. Sicut enim in prima Constitutione opus faciendum ex præscripta forma mandauit: ita hic factum & absolutum iuxta omnes partes describit, promulgat, atque omni populo commẽdat. Principium habet diuinam gratiarum actionem pro consummato opere: cum admiratione diuinorum operum & beneficiorum, tam in rebus bellicis agendis, quàm in colligendis ac emendandis legibus: quò impensiùs omnes homines ad opus hoc amplectendum exuscitentur: eiusque summam auctoritatem deuenerentur. Deinde longa est narratio, quæ tria complectitur. Primum argumentum, titulum, ac distributionem totius operis in septem classes: quæ est memorabilis & pręcipua pars huius constitutionis: & ad methodum iuris inprimis conducibilis. Deinde catalogum eorum, quæ instrumentum huic operi præbuerunt. Tum consilium suum de nominibus veterũ prudentum singulis Pandectarum capitulis ascriptis, & cur interdum ab ipsis variauerit: item quo consilio libellum Institutionum componi voluerit, & compositum affirmauerit. Huic narrationi apponitur promulgatio, siue publicatio operis, cũ expositione causarum, & vtilitatum eius, & modesta excusatione erratorum, quæ humana fragilitate in eo committi potuerint: præterea cum compendiosa huius operis noui commendatione, & collatione antiquæ multitudinis, & diligentiæ suæ in nouis negotiis emergentibus decidendis pollicitatione. Accedit his Epilogus non indulgens: in quo primò hortatur omnes homines ad gratiarum actionem pro opere confecto, & ad eius obseruationem: veteribus omnibus sub pœna falsi prohibitis. Deinde quasdam commonefactiones

annectit: primò de omnium librorum veterum, ex quibus Pandectæ concinnatæ sunt, indice seu elencho in fronte huius operis scribendo. Secundò de delectu iurisconsultorum, quorum auctoritates in Pandectis referuntur. Tertiò de interpretatione huius operis breuiter & sobriè facienda. Quartò de librariorum huius operis leges notis conscribentium pœna. Quintò de tempore acceleratæ editionis, & promulgatione huius operis. Postremò de generali obseruatione harum legum vbique locorum in iudiciis explicandarum. Sed nunc ceteris omissis ad primum caput enarrationis veniamus: de methodo & oeconomia Pandectarum, quæ in septem classes a Iustiniano distributa est.

PANDECTARVM SIVE DIgestorum methodus & oeconomia.

PRima classis quatuor libris absoluitur: quibus ea traduntur, quæ τὰ πρῶτα generali vocabulo appellamus: quasi dicas Prima, & veluti principia quædam. quæ in artibus, tanquam fundamenta primo loco ponenda & docenda sunt: quia reliquis omnibus sequentibus clarè perspiciendis, veluti principia conclusionibus viã præparant. Sic Alexãder Aphrodiseus prędicamenta vocat τὰ πρῶτα τῆς φιλοσοφίας. Eruditè autem Imperator transtulit hanc vocem ad quatuor libros Digestorum: quod reuera ad totam iurisprudentiam in Pandectis comprehensam collati sint tanquam principia & fundamenta: quæ vt nihil ante se habent: ita sequentibus intelligendis planè necessaria sunt. Quod vt disertè intelligant discentes: consilium Imperatoris, quod in contexendo opere Pandectarũ, & omnibus libris iuris, eo, quo constanti ordine

ordine digerẽdis ſpectauit, ac ſecutus eſt, inprimis patefaciendum eſt. Sciendum eſt igitur, in potiſſima parte huius operis, & maximè in connectendis titulis, ordinem Edicti perpetui, quemadmodum id à Sal. Iuliano compoſitum fuerat obſeruatum eſſe: totum verò corpus ad ordinem exercendorum iudiciorum eſt cõformatum: quem Iulianus quoque in Edicto perpetuo ſpectauerat: idque ordinem rerum in Pandectis aditarum penitiùs conſideranti, & à capite vſque ad calcem cogitanti, liquidò apparet: niſi planè alienus ſit à rerum forenſium, & ordinis iudiciari cognitione. Vtque hæc ipſa res magis expoſita ſit rudibus animis diſcentium: hoc ipſum cõſilium Iuſtiniani in hac prima parte vberrimè declarabimus. Principio autem ſic vnuſquiſque ſecum ineat rationem: quaſi ipſe aliquãdo iudicium accepturus ſit: in quo, quid primo loco, quid ſecundo aut tertio, & ſic deinceps ſibi faciẽdum ſit, diligenter expendere oportet. Huic ſanè omnium primum occurret: quod ad iuſtitiam omnia referenda ſint, tanquam ad ſcopum & finem humanarum cõtrouerſiarum, adeóque vitæ totius: ideóque operæpcium eſt, ius & partes eius, omniáque ad ius pertinentia, ſine quibus nec iudicium conſtare, nec cauſa defendi aut muniri poteſt, probè cognita habere: quæ omnia prioribus quatuor titulis libri primi explicantur. Deinde & perſonarum, & rerum conditionem ac differentiam noſſe oportet, vt qui ſimus ipſi, & qui ſint, cum quibus agere volumus: & quibus de rebus, & coram quibus agendum ſit, exactè teneamus: quæ XVIII. titu. libr. I. abſoluuntur. Tertio loco iuriſdictionem, & vocationem in ius, & quæ circa ea obſeruanda ſint, meditari debemus: quæ XI. titul. prioribus lib. 2. traduntur. Quartò quum multa interuenire ſoleant, quibus ius noſtrum vel differri, vel præparandum iudicium apud iudicem exponi atque edi: vel tandem etiam omnino abrumpi neceſſe ſit: etiam

atque etiam despiciendum est: vt hæc antè explorata habeamus, quam ad postulandum accingamur: quæ omnia reliquis quatuor titulis prolixè exponuntur. Quintò, si nihil actionem nostram remoratur: tunc demum de postulando, vel per nos, vel per alios idoneos homines soliciti esse debemus: quod quomodo efficere debeamus, totus hic liber tertius docet.

Sextò quia interdum postulatio non admittitur: nisi prius ex istis causis in integrũ restituamur: vel etiã in primordio iuris in cõmunem amicũ arbitrum recipiendum cõpromittamus: ideo hæc ante vlteriorẽ progressum in iudicio cognoscere expedit: quod quidem totum libro quarto explicandum est copiosè: ac in fine huius libri annexus est titulus de nautis & stabulariis, ac vt recepta restituant: partim propter cognationem cum titulo præcedente de receptis arbitris: quum nautæ non minùs, quam arbitri, de recepto teneantur: partim propter securitatem rerum ac iudiciorum: quum potissimùm iter facere coguntur: vt res suas saluas retineant. Hoc ordine & consilio Imperator primã huius operis partem disposuit: vnde facile apparet, totum opus ad formam & imaginẽ iudicij compositum esse: & hæc, quæ in prima parte continentur, vera esse τὰ πρῶτα, & prima principia eorum, quæ ad cognoscendam rationem iudiciorum requiruntur: quippe quum sine his cognitio rei iudiciariæ non magis, quam sine fundamento ædificium consistere queat. Quare & recentiores iurisperiti, qui modum tractandi iudicia, vel iure scripto traditum, vel consuetudine obseruatum, scripserunt, hæc omnia ferè appellant Præparatoria iudiciorum: eo quòd veluti præmia pręparant, & introducũt animos iuueniles ad totũ processum iudiciorum auspicatius cognoscendum.

Secunda classis septem libros Pandectarum complectitur: in quibus ea prodita sunt, quæ ad cognitionem

nem causæ in iudicium deductæ, & excusationem litium faciendã inprimis cõducunt: & naturali ordine rerũ τὰ πρῶτα seu primaria illa præmissa sequuntur: ideóque generali nomine totus hic tractatus de iudiciis appellatur: id est, de iudiciali ordine disceptãdi ac cognoscendi controuersias: quæ à litigantibus coram iudice mouentur. Et quia omne iudicium regulariter tribus personis constat: nempe iudice, actore & reo: primus titulus huius classis ea continet: quæ his personis ad legitimam cognitionem iudicialem conueniunt. Reliqui tituli omnes omnium septem librorum de realibus actionibus & de causis aliis his coniunctis agunt: quibus nomen de iudiciis eam ob causam principaliter inditum est: (quum alioquin omnibus actionibus, tam realibus, quam personalibus commune sit: quod in iudiciis absolutè tractatur: nec alioqui obligationem præsupponit:) quod personalibus digniores habeantur, scilicet propter vetustatem. Ideóque Imperator omnium primò reales actiones in hoc tractatu de iudiciis explicare voluit: initium ab vniuersalium rerum actionibus faciendo: quibus hæreditates iure ciuili vel prætorio: in solidum vel pro parte, directò vel p fideicõmissum petuntur: sicut totus liber quintus ostendit Deinde agitur de actionibus rerum singularium: quæ quũ partim corporales, partim incorporales sint: primò actiones reales singularium exponuntur, quæ pro rebus corporalibus competũt: & ex directo dominio, vel vtili proficiscuntur: quibus explicandis totus liber sextus consumitur. Deinde verò libro septimo & octauo, actiones rerum incorporalium, quæ pro seruitutibus competunt, prolixè tractantur. Nam septimus ad personales seruitutes pertinet: octauus ad reales. quibus subiiciuntur quatuor actiones damnorum in libro nono expositæ: nempe pauperies, l. Aquilia, eiectum vel effusum, & noxæ seruorum. Et quamuis hæ

actiones ex delicto nascūtur, ac propriè loquēdo personales sint:tamen quia persecutionem damni in rebus nostris dati continent, realibus actionibus, propter connexionem, adiunctę sunt. Eadem ratione annumerantur realibus actionibus illæ quatuor: quæ in toto libro x. referuntur: quas mixtam causam obtinere ait Imperator in §. quædam. Institu. de action. quia partim in personam, partim in rem sunt. Seruiunt enim rei vindicationi: & tamen simul plurimas personales præstationes continent. Tametsi igitur hæ actiones diuersi generis sunt a realibus, tamē quia valde affines & coniunctæ sunt, commodioris doctrinæ gratia illis annexæ sunt libro xI. quo hic tractatus de realibus actionibus absoluitur: partim præparatoriæ quædam actionum præcedentium: partim aliæ actiones ex edicto Prætoris ad religiosas res & funerarias pertinentes. Ex his ergo manifestū est, in hac secuda parte cognitionem iudicialium causarum inchoari, & in suquentibus demum absolui. Quumque ea cognitio iuris aut facti sit: primò per omnes actiones, iuxta naturam earum, quod ius pro reo, & quod pro actore faciat exponitur. deinde facti cognitio aspersa est, vbi de interrogationibus ac probationibus, & similibus agitur, quæ diligenter in omnibus partibus huius explicationis consideranda sunt & discernenda: ne, quæ iuris sunt, cum his, quæ factum recipiunt, confundamus.

Tertiæ clasi attribuuntur octo libri: in quibus præcipuè actiones personales distribuuntur, quæ communiter in iudicio proferri solent: & ex velgatissimis cōmerciis hominum nascuntur. Nomen autē huic classi datum planè generale quoddam est, quod sua generalitate omnes sequentes actiones & obligationes comprehendat: specialiter tamen huc relatum: propterea quòd aptissimè congruit iis actionibus, quæ oriuntur ex contractibus, qui vel re, vel cōsensu obli-

gationem aliquam constituunt. Ac quemadmodum in præcedente classe vniuersales actiones in rem præmittuntur singularibus: ita hîc generales actiones in personam specialibus anteponuntur. Generali enim nomine omnes actiones personales quondam condictiones appellatæ sunt, vt docet Imperator in §. appellamus. Institut. de action. Sed quia prudentum auctoritate plerisque actionibus in personam, ex ipsis formis contractuum specialia nomine condita sunt, generale illud nomen in paucis admodum actionibus remansit: quæ ipsæ tamen vt commodiùs discernerentur, varias cognominationes acceperunt, Alia enim condictio certi, alia incerti: alia ob causam, alia sine causa appellatur: sicut ex toto XII. libro, & principio lib. XIII. videre est. Congessit igitur Imperator in hunc tractatum de rebus creditis omnes actiones, quæ ex contractibus tam nominatis, quàm innominatis descendunt. Sed nominatorum tamen contractuum duas species præcipuas hîc explicat: qui vel re, vel verbis perficiuntur: reliquas in alias partes distribuit: & vnà cum actionibus obligationes quoque, tanquàm coniunctã materiam, in singulis locis copiosè describit. Hoc generale est argumentum huius tractatus. In superiore autem libro XII. & XIII. omnes condictitiæ actiones, veluti generis, tractantur: quæ ferè contractum mutui respiciunt, nisi quod tribus titulis proximis libri XIII. quæ speciales actiones, nempe Commodati, & pignoratitia, quæ etiam re contrahuntur, adiectæ sunt. Libro verò XIV. & XV. variæ actiones contrahuntur: & aduersus eos, qui alios, quibuscum negocium gestum est, in potestate habent, competunt: sicut dominus aduersus exercitorem nauis, vel institorem, vel seruum: item pater in potestate filium habet. Deinde libro XVI. in principio ius singulare de fideiussorib. mulierum Senatusconsul. Velleiano introductum exponitur: postea agi-

tur de compensationibus: quibus nonnunquam creditum dissolui solet: ac tandem reditus fit ad quintam actionem ex contractu reali, quæ dicitur actio depositi: haud dubiè, quod compensatio in hac obligatione, singulari priuilegio, non admittitur. Ita finis imponitur actionibus & obligationibus, quę re interueniente contrahuntur. Libro autem XVII. & XVIII. & XIX. quatuor actiones, quæ ex obligatione, solo consensu facta, nascuntur, explicatæ sunt: videlicet mandati, societatis, empti venditi, locati conducti. Sed tribus postremis titulis libri XIX. continentur etiam actiones ex contractibus innominatis prouenientes: quæ generali nomine actiones in factum nominantur, vel præscriptis verbis actiones. In his autem duæ sunt speciales, de æstimatione scilicet, & permutatione: reliquæ omnes in generali stant nomine: quia speciales actiones nullæ proditæ sunt: quod docet titu. de præscriptis verbis. & in fact. actio. Nam actio præscriptis verbis, & in factum reuera nihil differunt. In factum dicitur, quòd persecutio iuxta seriem facti, in iudicio proponi solet, per nudam scilicet narrationem. Præscriptis verbis actio vocatur, quia continet persecutionem iuris nostri: & existit ex certo præscripto eorum, qui negocia inter se contraxerunt.

Quarta classis octo libris cōstat: & varias materias continet: quæ partim præcedentibus, partim sequentibus classibus in[illegible]uiunt: ideóque nullo peculiari titulo ab aliis disce[illegible]untur. Potest autem hæc varietas materiarū commodè in tres partes diuidi. Prima habet quandam cognatam materiam, & paucas actiones cohærentes cum iis, quæ in secunda & tertia classe sunt tradita: quamobrem eas hic Imperator pedissequas superiorum vocat. Nam toto libro XX. quæ ad cōtrahenda pignora & hypothecas spectant, tractat, quæ subseruiunt actioni pignoratitiæ, de qua suprà. Libro XXI. actiones tres, nēpe redhibitoria & quāti

minoris

minoris ex Ædilitio edicto, & ex stipulatu de euictione quę cum actione empti & venditi ex eodem fonte, videlicet ex contractu emptionis oriuntur, item vna exceptio ex negocio emptionis prouenIens exponuntur. Hi igitur duo libri seruiunt duabus tertiæ classis actionibus. Libro verò XXII traduntur ea, quæ & secundam, & tertiam classem respiciunt. Nam in duobus prioribus titulis, nempe de vsuris, & nautico fœnore, accessoria quædam sunt ad omnes reales actiones, & personales pertinentia. in reliquis omnibus, vbi de probationibus & ignorantia iuris agitur, ea quæ cognitionis iudicialis sunt, & ad facti fidem faciendũ conducunt, referuntur. Atque hæc in prima sunt parte huius quartæ classis. Parte verò secunda, iura nuptiarum seu matrimoniorum, & dotium, & quæ his adhærent, commemorantur. Nam libro XXIII. sponsalia, nuptiæ & dotes nascuntur. Libro XXIV. donationes inter virum & vxorem, diuortio, repudia, repetitiones dotium exponentur. Libro XXV. varia ad res dotales & coniugales pertinentia adiecta sunt: sicut ex singulis titulis cognoscere licet. Tertia verò huius quartæ classis pars de tutelis & curationibus agit: quibus plenè explicandis XXVI. & XXVII. libri consumuntur. Eaque ideo nuptiis subiecta est: quòd liberi ex his procreentur, qui ante iustam ætatem orbati parentibus, tutorum & curatorum præsidio indigent. Sic in hãc classem triplices materiæ positæ sunt. quæ respectu antecedentiũ & consequentiũ peræquè necessariç, & quasi mediæ cuiusdã cognitiõis habẽtur.

Quinta classis nouuem libros cõtinet, quibus omnia iura vltimarum voluntatũ (vnde veniũt successiones & actiones testamentariæ, quæ ex quasi contractu originem ducunt) conclusæ sunt: ideoque generali appellatione hic tractatus de testamentis vocatur. Quanquam in eo sunt multa ab hoc generali nomine diuersa, vt legata & fideicommissa, & quæ his co-

hærent. Sed hæc ipsa tamen ex testamentis depēdent: & propterea non incommodè sub hoc genus relata sunt. Quoniam autem testamenta alia sunt paganorum, alia militum: de paganis primum dicitur, tanquam generalibus & communibus. Ita totus liber XXIIX. ad testamenta pertinet: initium verò libri XXIX. de testamentis militum, tanquā de specialibus tractat. reliqua huius libri ad communia sunt referenda testamēta: & vltimus titulus iura codicillorum explicat. Septem deinde libris legata & fideicommissa singularia tractantur. Nam XXX. XXXI. & XXXII. libris in genere de omnibus legatis agitur. Liber verò XXX. & pars prior XXXIV. in specie, & de certarum rerum legatis: posterior pars de ademptione legatorum, & rerum dubiarum interpretatione, & nonnullis aliis docet. Liber autem XXXV, & XXXVI. quædam necessaria legatorum & fideicommissorum habent accidentia: vt de cōditionibus legatis appositis, & de l. Falcidia, & de Senatusconsulto Tertylliano, de cessione diei in legatis, de conditionibus & possessionibus legatorum. Quæ omnia vberrima vltimarum voluntatum declaratione, & ius succedendi, quod ex illis iuxta dispositionem iuris ciuilis competit, nobis expibent atque exponunt.

Sexta classis octo recipit libros singulares, hoc est, in quibus res singulares, & inter se diuersę, nec vno generali nomine comprehensæ docentur. Cohæret autem huius classis principium cum præcedenti classi: quæ successionis ius in illa inchoatum absoluitur. Latè enim patet hoc ius: & partim ex ciuilium legum auctoritate, partim ex Prætorum edicto proficiscitur. Deinde vtraque successio tam prętoria, quàm ciuilis, vel ex testamento, vel ab intestato defertur. Denique vel est ingenuorum, vel libertorum. Iuxta hanc igitur diuersitatem hæc diffusa doctrina hoc ordine disposita est. Primùm successiones ciuiles testamentariæ nomi-

nominantur, vt supra in classe quinta dictum est. Deinde in duob⁹ primis libris huius sextæ classis Prætoriæ successiones, secundum quas est testamentum: ac primò quidem ingenuorum, & posteà libertinorum, expositæ sunt: adiunctis postremò successionibus, quæ ab intestato sunt: primùm prætoris, deinde ciuilibus: item libertorum & ingenuorum. Nam Prætorium edictum partim supplementum est iuris ciuilis: partim temperatum, & redactum ad æquitatem naturalem: vbi eius auctoritas nimis dura visa est. Liber igitur XXXVII. successiones ex iure prætorio, ex testamento & ab intestato, tam ingenuorum, quam libertinorum tradit. Liber verò XXXIIX libertinorum successiones absoluit, & ciuiles ab intestato prætoriis annectit. Hos sequuntur singulares libri: in quibus de rebus singularibus disseritur, & res diuersæ definiuntur. Nam liber XXXIX. continuat Prætorum edicta de rebus singularibus: quoties ex futura damna præcauenda sunt: vel aliquid ex donatione & liberalitate alterius accipiendum est. Liber autem XL. iura libertatum acquirendarum & retinendarum explicat vniuersaliter. nam prioribus vnde cum titulis de acquirenda libertate. posterioribus quinque de ea conseruanda amittendaque agitur. Liber verò XLI. acquirendarum rerum singularium omniũ iura comprehenduntur, tam quo ad dominium, quàm quo ad possessionem & vsucapionem. quæ ex continuatione possessionis inducitur. Deinde verò quia actiones præcipuæ iam expositæ sunt: quæ in omni cognitione iudiciali requiruntur: sequitur liber XLII de iudicatione & sententia, & executione rerum iudicatarum. Nam hoc etiam modo acquiritur rerum dominium, vt docet Imperator in §. vltimo, Institu. de officio iud. Quoniam autem vtili ratione Prætor etiam quędam interdicta ad acquidendam, retinendam, vel recuperandam possessionem proposuit: ea Imperator

XLIII. libro, ſuperioribus modis & titulis acquirendæ poſſeſſionis ex iure ciuili coniungit. Poſtremo abſolutis iam actionibus, & modis acquirendi, ex quibus pleraque actiones originem trahunt, adducuntur libro XLIV. variæ exceptiones, quæ actionibus in iudicio obiiciuntur, tanquam defenſiones reorum: quæ etiam in cognitione iudiciali neceſſariæ ſunt.

Ad finem autem huius libri generalis titulus de obligationibus & actionibus ſubiectus eſt: in quo generalia quædam & communia, & ad ſingularum actionum facilem explicationem neceſſaria expoſita ſunt. Ita a ſingularibꝰ ad vniuerſalia in hoc opere progreſſio inſtituta eſt.

Septima claſſis poſtremos ſex libros huius operis complectitur: quibus actionum omnia iura reliqua, & integram cognitionem iudicialem abſoluentia traduntur. Et quoniam in tertia claſſe ſupra cœpit explicatio perſonalium actionum, ex obligatione contractuum: hic in principio eadem abſoluuntur: & poſtea ad ſimiles actiones & obligationes delictorum fit tranſitus: atque ita cauſarum criminalium cognitio cum cognitione cauſarum ciuilium connectitur: & vtrique cognitioni ſubiicitur tractatus de appellationibus: quo legitimo ordini iudiciorum finis imponitur. Nam quæ deinde in Pandectis ſequuntur: ferè omnia non ad ius commune, de quo antè dictum eſt: ſed ad ius ſingulare, et priuilegia pertinent, ſicut ex titulis facilè colligi poteſt. Hoc eſt generale argumentum huius ſeptimæ partis: nunc de ſingulis etiam libris dicendum eſt. Libro igitur XLV. & XLVI. variæ obligationes verborum docentur: ex quibus actiones perſonales ex ſtipulatu naſcuntur. Nam verborum obligationes, ſiue ſtipulationes, quæ a iure ciuili ad reformandos contractus iuriſgentium inuentæ ſunt, non vnius ſunt generis. Aliæ enim principales ſunt, aliæ acceſſoriæ: aliæ vnius, aliæ plurium perſonarum:

aliæ

aliæ liberorum, aliæ seruorum: aliæ ciuiles, aliæ Prætoriæ. Pro hac igitur varietate hæc tota res in varios titulos duorum librorum sparsa est: interpositis etiam variis modis dissoluendarum obligationum. Libro verò XLVII. & XLVIII. obligationes & actiones ex delictis omnium generum exponentur. Nam priore libro priuata delicta explicantur: quæ vel ordinaria sunt, vel extraordinaria: & vel ius proprium agentes, vel ius totius populi persequuntur. vnde populares actiones priuatis criminalibus iudiciis annexæ sunt. Posteriore autẽ libro publica iudicia tractantur: quibus initio præmittuntur tres generales tituli de publicorum iudiciorum specialibus obseruationibus: deinde subiciuntur XII. tituli, de certis speciebus publicorum criminum: & ad extremum tituli nouem materiam communem omnibus publicis iudiciis continentes, hunc librum absoluunt. Liber autem XLIX tractatum de appellationibus in priorib⁹ XIII. titulis continet: quem Imperator ideo in hunc vsque locum distulit: quod tam ad ciuiles, quam criminales causas pertineat. Reliqui tituli huius libri ius fisci, & ius militare exponunt: quæ quum sint singularia: sicut & illa quę in libro L. de municipibus & decurionibus, deque muneribus & honoribus, aliisque similibus, vsque ad titulum XIII. eius libri traduntur: hæc omnia ius singulare, non commune respiciunt. A titulo verò XIII. vsque ad duos vltimos titulos variæ extraordinariæ cognitiones describuntur: quoniam scilicet deficiente forma actionis, officium iudicis imploratur ad ius nostrũ obtinendum. Sic cognitionibus iudicialibus ordinariis, tam publicis, quam priuatis, extraordinaria subiecta sunt. Ex quo satis liquet, generalem appellationem de iudiciis, quam Imperator secũdæ classi speciatim attribuit, generaliter omnibus partibus huius operis conuenire: & sic demum amplissimum illum tractatum iudicialem, quem Im-

perator in hoc opere, veluti ſimulacrum iudiciorum exercendorum imitatus eſt, abſolutum conſummatumq́ue eſſe. Nam vltimi duo tituli huius nouiſſimi libri, abſolutis communibus cognitionibus iudicialibus, coronidis loco adiecti ſunt: & generaliter ad omne ius priùs expoſitum referuntur. Nec verò aliud, quàm indices totius operis ſunt, alter verborum, alter ſententiarum: vterque tamen ad facilem vniuerſi iuris aſſecutionem valde accommodatus & vtilis.

FINIS.

Errata 2. partis Synosuræ.

Fol. 8 l. 17. meritus. l. 27. specula f. 9 l. 14. partim in iure nouo cōstituēdo, partim in iure veteri tuendo, f. 10 l. 28. Quo responsore, & quo. l. 32. doctorandi facultatē f. 15. l. 18 omnesq́ vno iure. f. 19. l. 3. cuius vsu l. 17. eam. f. 20. l. 5. secus est. f. 24. l. ex cuiusq́. l. 5. coercente. f. 26. l. 4. nisi iterū. l. 20 aliás sciant f. 27 l. 6. fuerit transactū. Et subijcit d. l. 2. D. de trās. Transactū accipere quis. l. antepen. cōminisci. f. 28. l. 14. tignorū protectus. f. 29. l. 30. ob patriā patestatē. l. 33. principia iuris f. 30 l. 7. insulsum. f. 32. l. 11. legislatores. l. 31. aliorū dolis l. 34. Pratoris E... is f. 33. l. 19. iudiciis l. 22. Si marito f. 34 l. 26. Se iusiurandum. f. 36 l. 1. præteritas autem. l. 9. testamentū prius. f. 39 l. 20. quòd non. l. 26. Quadā. n. ex arte sumitur: quadā ex cognitione rerū. Quæ ex arte sumitur, propria. f. 42. l. 1. quibus aurū. f. 44. l. 18. planè abrogatus sit. f. 46. l. Vlpianus dicit. f. 52. l. 12. cunitionem. f. 53 l. 4 ad emendationē. f. 55. l. 3. conciliandis f. 56 l. 2. verborū. l. 10. securus. f. 57. l. 8. ex arca f. 59 l. 32. verbū f. 60 l. 3. secundū f. 62. l. antep. verū esset f. 64. l. 20 à Paulo l. 32. à die mora. l. 34 & ipsi retrò. f. 67. l. 23. duplici. f. 68 l. 4. l. ex verò. l. 8. subijcitur. at lex nostra. f. 72. l. 3. omninò nihil. l. 26 sunt incognita. f. 73. l. 18. explicari. f. 77. l. 28. Ferrariensis f. 78 l. 20 vtriusq́, causam. f. 80. l. 7. tamen de iure. l. 14. quod maximè. l. 20. processu.

nosura. iuris


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm